



ANTONII DADINI ALTESERRÆ

ANTECESSORIS OLIM TOLOSANI

OPERA OMNIA

TOMUS IX.

DISSERTATIONUM JURIS CANONICI

LIBRI SEX,

Quorum duo priores *de adjutoribus Episcoporum*: duo medii *de sacris censibus*: duo ultimi *de parochis, deque officio & potestate parochi*.

CURA ET SUMTIBUS

MICHAELIS MAROTTA

Jurisconsulti & in supremis Neapolitanis tribunalibus causarum patroni.



EDITIO PRIMA NEAPOLITANA. M DCC LXXVII.

CUM PRIVILEGIO REGIS.





ERUDITO LECTORI

MICHAEL MAROTTA.



COmmunis ferme eſt eruditorum ſententia, inter opera viri celeberrimi ANTONII DADINI ALTESERRÆ eminere maxime *juris canonici diſſertationes*, ſive eruditionis copiam, ſive acumen & judicium, quo ſcriptæ ſunt, ſpectes. Eæ continentur ſex libris, quorum primi quatuor anno 1651. duo poſteriores anno 1654. Toloſæ in lucem prodiere: typis vero meis nono hoc tomo emittuntur. Quo diffuſior eſt eruditio, qua *diſſertationes* iſtæ ſcatent, eo majori cura mihi elaborandum fuit, ut eas, quatenus potis erat, ab illapſis mendis purgarem. Non ſecus ac in præcedentibus operibus, leges & canones cum ipſis autographis contuli: ut etiam cum ſuis auctoribus contuli loca omnia Latina & Græca, quæ minus idoneum ſenſum reddebant, ubi licuit ipſos auctores habere. Immo, ſi quando otium fuit, nec omiſi eos conſulere auctores, quos non tranſcriptis locis ALTESERRA in rem ſuam adduxit.

Hiſce curis immenſam pæne errorum ſilvam in his *diſſertationibus* deprehendi. Eorum bene multos indicavi adpoſito ad marginem hoc ſigno †, quod reſpondet alteri ſimili ſi-

gno, quo locus mendosus notatur. Sexcentos in ipso contextu emendavi, addito eodem signo †, ut intelligeretur aliquid mutatum fuisse. Incidi aliquando in leges, canones, & alia veterum loca, quæ idonea mihi visa non sunt ad probandas auctoris adsertiones: cumque inter curas non licuit ea diligentius expendere, nihil mutavi; sed tantum hoc signum *) adposui, quo sapiens lector admonitus ipse deliberaret, & rem omnem ad incudem revocaret. Et hoc signum **) præmisi aliquibus locis, quæ conferre non potui.

Porro editio Tolosana, auctorum locis exceptis, tota typis, ut dicitur, Romanis procedit: & vitio laborat, quod in citationibus, modo numerum Romanum, modo Arabicum usurpat: qui quidem numeri, cum sæpe inter se similes forma sint, sæpe; nisi in rem præsentem eas, nescis eorundem vim & potestatem. Hinc ad evitandam confusionem, ubi opportunum credidi, typos Italicos, in citationibus vero perpetuo numeros Arabicos adhibui.

Ut vero magis lectorum commodis inservirem, iisque laborem, quem ego sustinere debui, levarem, legibus & canonibus, qui sub eodem titulo ab eadem voce incipiunt, numerum addidi: idemque feci in similibus paragraphis ejusdem legis. Et si quando ALTESERRA legis paragraphum, vel loca præcisa auctorum laudatorum non expressit, illa addere curavi, ut expeditior & facilior illorum collatio foret. Et litteris ac sermonibus SS. PP. quos consulere oportuit, adjeci numerum juxta ordinem posteriorum editionum.

Demum specimen errorum emendatorum, ut in præcedentibus operibus, subjungere duxi: qua in re ne longior essem, errores orthographiæ & syntaxis sive Latinæ, sive Græcæ omisi. Sufficiat adnotasse aliquot eorum, qui citationes falsas reddunt, itemque qui obscuram & dubiam sententiam faciunt, quosque in ipso contextu emendavi: nam quod spectat ad eos, qui in margine indicantur, lectorem admonere superfluum est, cum primo obtutu innotescunt.

Spe-

Specimen errorum.

IN PART. I.

Edit. Tolosan.	Edit. mea.
L. vlt. in pr. ff. de iure immunitatis, *pag.* 3. *lin.* 11. & 12.	*l. ult.* † *in fin.* pag. 3. lin. 10.
Augustinus Serm. XXIII. de verb. Apostol. *pag.* 4. *lin.* 6. & *seq. ab infr.*	serm. † 19. de verb. Apostolor. al. 178. cap. 7. *ibid. lin.* 7. *ab infr.*
Eusebius lib. VI. cap. IX. *pag.* 8. *lin.* 6. *ab infr.*	*lib.* 6. *cap.* † 8. pag. 5. lin. 25.
Eusebius lib. VII. cap. XXVI. *ibid. lin. pen.* & *ult.*	*lib.* 7. *cap.* † 32. ibid. lin. 29.
Sozomen. lib. II. cap. XIX. *pag.* 9. *lin.* 2. & 3.	*lib.* 2. *cap.* † 20. ibid. lin. 31.
Epiphan. Hæres. XXIX. *ibid. lin.* 11.	*hæres.* † 68. *artic.* 1. ibid. lin. 37.
can. Episcopum LXXIII. Dist. *pag.* 13. *lin.* 4.	*can.* † *Episcoporum*, 74. *dist.* pag. 7. lin. 15.
Possidio eius vit. cap. IX. *ibid. lin.* 12. & 13.	*cap.* † 5. ibid. lin. 21.
can. qui ea. III. qu. II. *ibid. lin.* 4. *ab infr.*	*can.* † *quia ea*, ibid. lin. 31.
Clem. 1. de for. compet. *pag.* 14. *lin.* 8. *ab infr.*	*clem.* † *un.* ibid. lin. 6. ab infr.
Eusebio lib. III. cap. XXX. *ibid. lin.* 4. *ab infr.*	*lib.* 3. *cap.* † 36. ibid. lin. 3. ab infr.
Possidio in eius vit. cap. IX. *pag.* 15. *lin.* 16.	*cap.* † 8. pag. 8. lin. 11.
Theodorit. lib. IV. cap. V. *pag.* 17. *post. cap. lin.* 3.	*lib.* 4. *cap.* † 6. pag. 9. lin. 2.
cap. pastorali. de Cleric. ægrot. vel debilitat. in VI. *pag.* 20. *lin.* 5. & 6.	cap. † pastoralis, *pag.* 10. *post cap. lin.* 3.
d. cap. Venerabili. *pag.* 25. *lin.* 11.	*cap. venerabili*, † *de offic. delegat.* pag. 12. lin. 19.
can. quoniam LXVIII. Dist. *pag.* 30. *lin.* 9.	*can. quoniam*, † 69. *dist.* pag. 14. lin. 16. & 17.
can. in plebibus. LXIII. dist. *pag.* 41. *lin.* 10. & 11. & denuo *pag.* 136. *lin.* 6. & 7.	*can.* † *si in plebibus*, pag. 18. lin. 11. ab infr. & pag. 60. lin. 5.
alioquin si Archidiaconus propriam iurisdictionem exerceret, gradatim fieret ab ipso appellatio ad Archidiaconum, tamquam ad alium. can. anteriorem. VI. qu. VI. *pag.* 47. *lin.* 7. & *seqq.*	. . . . ab ipso ad † Episcopum, tamquam ad alium; *can.* † *anteriorum*, 2. *qu.* 6. pag. 21. lin. 20. & 21.
cap. Romana. §. 7. de appellat. in VI. *ibid. lin. ult. ad pag.* 48.	*cap. Romana*, §. † *ab archidiaconis*, ibid. lin. 36.

Edit. Tolosan.	Edit. mea.
cap. ad hoc. de excess. prælat. pag. 48. lin. 8. ab infr.	cap. ad † hac, ibid. lin. ult.
Actuum Apostolor. VIII. pag. 52. lin. 12.	actuum Apostolor. cap. † 7. pag. 23. lin. 27.
Socrat. lib. I. cap. V. pag. 56. lin. ult.	lib. 1. cap. † 8. pag. 25. lin. 24.
Sozomen. lib. II. cap. XVI. ead. lin. ad pag. 57.	lib. † 1. cap. 17. ibid. ead. lin.
can. Honoratum. LXXIV. Dist. pag. 61. lin. 5. & seq. ab infr.	can. † Honoratus, pag. 27. lin. 21. ab infr.
cap. II. de offic. Archidiac. pag. 64. lin. 17. & seq.	de offic. † archipresbyt. pag. 28. lin. 15. ab infr.
can. Presbyteri. XCVI. dist. pag. 66. lin. 10. ab infr.	can. presbyteri, ult. † 95. dist. pag. 29. lin. 20. & seq. ab infr.
Conc. Carthag. II. can. III. Carthag. II. can. XXXIII. Agath. can XIV. can. ministrare. can. Presbyter. XXVI. qu. VI. ibid. lin. antepen. ad ultim.	conc. Carthag. II. can. 3. Carthag. † III. can. † 32. Agath. can. † 44. can. 1. can. ministrare, can. presbyter 14. 26. qu. 6. ibid. lin. 15. & seq. ab infr.
cap. VII. de off. Archipresbyt. pag. 67. lin. 11.	cap. † 3. ibid. lin. 7. ab infr.
Socrat. lib. VI. cap. XIV. pag. 68. lin. 18.	lib. 6. cap. † 16. pag. 30. lin. 21. & 22.
can. cum simus. IX. qu. II. can. in noua. XVI. qu. VII. pag. 71. lin. 7. & 8.	can. cum simus, 9. qu. † 3. can. in † nona, 16. qu. 7. pag. 32. lin. 6. & 7.
cap. cum generali. de offic. Vicar. in VI. pag. 72. lin. pen. & ult.	cap. cum † in generali, pag. 33. lin. 14.
can. in noua. XVI. qu. II. pag. 74. lin. 9. can. in noua. XVI. qu. VII. pag. 90. lin. 19.	can. in † nona, 16. qu. 7. ibid. lin. 12. & seq. ab infr. & pag. 40. lin. 21. ab infr.
can. miramur. XXIV. qu. V. pag. 76. lin. 1. & 2.	24. qu. † 1. pag. 34. lin. 28.
d. l. 2. C. de offic. Vicar. ibid. lin. 18.	d. l. † 1. ibid. lin. 15. ab infr.
Nou. LXX. pag. 83. lin. 2.	nov. †. 70. cap. 3. pag. 37. lin. 23.
can. quisquis. XVII. qu. III. pag. 84. lin. 21.	17. qu. † 4. pag. 38. lin. 6. & 7.
can. Apostol. XXXVIII. pag. 86. lin. 6. & pag. 88. lin. 7.	can. Apostolorum, † 37. ibid. lin. 6. ab infr. & pag. 39. lin. 32.
Clemens lib. II. cap. XXXVI. pag. 88. lin. 13. & 14.	lib. 2. cap. † 35. pag. 39. lin. 17. ab infr.
August. epist. I. ibid. lin. 22.	epist. † 50. al. 185. ibid. lin. 11. ab infr.
can. ult. XXII. qu. III. pag. 91. lin. 8.	22. qu. † 5. pag. 40. lin. 8. ab infr.
Isidorus Pelusiota lib. I. epist. CCLXX. ibid. lin. 5. & seq. ab infr.	epist. † 269. pag. 41. lin. 7.
can. Monachus LXXVI. Dist. pag. 99. lin. 4. & 5.	can. monachus, † 77. dist. pag. 44. lin. 10.
can. Monachi.... XVI. qu. I. ibid.	can. † quidam monachi, ibid. lin. 21.

Edit. Tolosan.	Edit. mea.
lin. 20. & 21.	
can. pervenit. XII. qu. I. pag. 100. lin. pen.	11. † qu. 1. ibid. lin. ult.
can. Apostol. LVIII. pag. 101. lin. 6. ab infr.	can. Apostolorum, † 57. pag. 45. lin. 9.
Euseb. lib. VII. cap. XI. pag. 102. lin. 3.	lib. 7. cap. † 13. ibid. lin. 15.
Socrat. lib. V. cap. XXI. pag. 105. lin. 12.	lib. 5. cap. † 22. pag. 46. lin. 6. ab infr.
Theod. lib. IV. cap. XXIII. pag. 106. lin. ult.	lib. 4. cap. † 25. pag. 47. lin. 31.
Eusebio lib. VII. cap. XXIII. pag. 107. in fine ad 108.	lib. 7. cap. † 29. pag. 48. lin. 2.
Eusebius lib. V. cap. X. XII. lib. VI. cap. XII. pag. 108. lin. 4. & 5.	lib. 5. cap. 10. † 11. lib. 6. cap. † 6. 19. ibid. lin. 5.
Euseb. lib. VI. cap. XXV. ibid. lin. 9.	lib. 6. cap. † 27. ibid. lin. 8.
cap. licet, de translat. cap. cùm Ecclesiastica. de his quæ fiunt a Prænl. sine consens. Capitul. pag. 110. lin. 14. & 15.	cap. licet, de † suppl. neglig. prael. cap. cum † apostolica, de iis quae &c. pag. 49. lin. 4. & 5.
Socrates, lib. IV. cap. XIX. pag. 115. lin. 13.	lib. 4. cap. † 26. pag. 51. lin. 9.
Possid. eius vit. cap. II. pag. 116. lin. 2.	cap. † 12. ibid. lin. 25.
Chrysostomus lib. III. de Sacerdot. cap. LIV. pag. 118. lin. antep. & pen.	cap. † 16. pag. 52. lin. 16. ab infr.
Theodorit. lib. V. cap. XVIII. pag. 120. lin. pen.	lib. 5. cap. † 19. pag. 53. lin. 30.
Hincmarus Remens. Epist. III. pag. 121. lin. 5. & 6.	epist. † 7. ibid. lin. 34. & 35.
l. omnem LII. ibid. lin. 4. ab infr.	l. omnem, † 42. ibid. lin. antepen.
Conc. Hispal. II. can. VII. pag. 123. lin. 5. & seq. ab infr.	can. † 11. pag. 54. lin. 10. ab infr.
can. in decima. XIX. qu. II. ibid. lin. ult.	can. in decima, † 18. qu. 2. ibid. lin. 8. ab infr.
Epiphan. hæres. LXXVII. pag. 127. lin. pen.	hæres. † 75. artic. 5. pag. 56. post cap. lin. 5.
Euseb. lib. V. cap. XVI. pag. 130. lin. 8.	lib. 5. cap. † 10. pag. 57. post. cap. lin. 10. & 11.
Sozomen. lib. II. cap. XXIII. ibid. lin. 11.	lib. 2. cap. † 24. ibid. lin. 12. & 13.
Socrat. lib. I. cap. XV. ibid. ead. lin. & seq.	lib. 1. cap. † 19. ibid. lin. 13.
Socrat. lib. IV. cap. XXIX. ibid. lin. 16.	lib. 4. cap. † 36. ibid. lin. 16.
cap. II. eod. tit. in VI. pag. 135. lin. 6. & seq. ab infr.	cap. † unic. §. cum vero, pag. 59. lin. 4. ab infr.
l. ex certis LV. ff. de iudic. pag. 139. lin. 11. & 12.	l. † vix certis ex causis 53. pag. 62. lin. 20.
can. omnis de consecr. Dist. 2. pag. 140. lin. 5. & seq. ab infr.	dist. † 1. pag. 63. lin. 5.

Edit. Tolosan.	*Edit. mea.*
Theodorito lib. IV. cap. XVII. *pag.* 141. *lin.* 15. *&* 16.	lib. 4. cap. † 19. *ibid. lin.* 19. *&* 20.
Theodorit. lib. V. cap. XVII. *ibid. lin.* 5. *& seq. ab infr.*	lib. 5. cap. † 18. *ibid. lin.* 27. *&* 28.
can. didicimus, de consecratiôn. dist. I. *pag.* 144. *lin.* 11. *&* 12.	*dist.* † 2. pag. 64. post cap. lin. 8.
Augustinus lib. VI. Contra Iulian. cap. IX. *pag.* 145. *lin.* 17.	lib. 6. contra Julian. cap. † 21. num. 27. *ibid. lin.* 5. *ab infr.*
Conc.... Vasens. I. can. IV... Arelatens. II. can. XXVIII. Aurelian. III. can. XXI. *pag.* 149. *lin.* 17. *& seqq.*	Vasens. I. *can.* † 1.... Arelatens. II. *can.* † 47.... Aurelian. III. *can.* † 22. *pag.* 66. *lin.* 18. *& seqq. ab infr.*
Vineam quam Bebrimodus facit, tibi eatenus, ut diebus festis, & omnibus Dominicis sacris altaribus mea inde offeratur oblatio. ibid. lin. 7. & seqq. ab infr.	*Vineam, quam Bebrimodus facit, tibi eatenus* † *derelinquo, ut* &c. ibid. lin. 12. ab infr.
Aliter legitimum non sit coniugium, nisi ab his, qui super ipsam feminam dominationem habere videntur, & a quibus custoditur uxor petatur, & a parentibus & propinquioribus sponsetur, & legibus, & suo tempore Sacerdotaliter, ut mos est, cum precibus & oblationibus a Sacerdote benedicatur. pag. 150. lin. 10. & seqq. ab infr.	. . . . *& legibus* † *dotetur*, &c. pag. 67. lin. 12.
Concil. Carthag. IV. canon. LIX. can. discordantes LXXXXIX. dist. *pag.* 156. *lin.* 14. *&* 15.	*can.* † 93. *can.* † *oblationes*, 90. *dist.* pag. 69. lin. 7. ab infr.
can. nobis... can. de reditibus. XII. qu. I. *pag.* 159. *lin.* 5. *& seq. ab infr.*	*can.* † *vobis . . . can. de reditibus*, 12. *qu.* † 2. pag. 71. lin. 18. & 19.
can. quoniam. XIX. qu. I. *pag.* 161. *lin.* 9.	19. *qu.* † 3. ibid. lin. 5. & seq. ab infr.
Sozomenum lib. V. ep. 15. *pag.* 163. *lin.* 13.	*lib.* 5. *cap.* † 16. pag. 72. lin. 8. ab infr.
August. in cap. 14. epist. ad Rom. *ibid. in marg.*	*in cap.* † 78. pag. 73. in marg.
Si quando fames & pecunia, & rerum omnium egestas opprimunt mundum, sciamus hoc ex Dei ira descendere, &c. pag. 164. in fin.	*si quando fames & penuria*, &c. pag. 73. post cap. lin. 4.
Augustin. homil. LVIII. *pag.* 165. *lin.* 11. *&* 12.	homil. † 48. al. serm. 86. in append. num. 2. *ibid. lin.* 16. *ab infr.*
De decimis quas populus dare non vult, nisi quolibet modo ab eo redimantur, ab Episcopis prohibendum est ne fiat. pag. 167. lin. 12. & seqq.	. . . . *nisi quolibet munere ab eo redimantur*, pag. 74. lin. 20. ab infr.
can. sancitum. XIII. qu. VIII. *pag.* 168. *lin.* 3.	*can. sancitum*, † 23. *qu.* 8. pag. 74. lin. 5. ab infr.
Hieronym. ad Gerontiam. *pag.* 169. *lin.* 5. & iterum *pag.* 235. *lin.* 14.	ad † Ageruchiam, *pag.* 75. *post cap. lin.* 7. *& pag.* 102. *lin.* 12. *ab infr.*

Socrat.

Edit. Tolosan.	*Edit. mea.*
Socrat. lib. II. cap. XIV. *pag.* 170. *lin. 6. ab infr.*	*lib.* 2. *cap.* † 17. pag. 76. lin. 7.
Matthæum Paris. ad ann. M.C.LVI. *pag.* 181. *lin.* 5. *& seq. ab infr.*	ad ann. † 1155. *pag.* 79. *lin.* 11.
Matthæus Paris. A. C. M.CC.XXVI. *pag.* 192. *lin.* 9. *ab infr.*	ad ann. † 1241. *pag.* 83. *lin.* 16. *ab infr.*
can. nobis. XII. qu. II. *pag.* 199. *lin.* 14.	*can.* † *vobis*, pag. 87. lin. 21.
Nazianzen. Orat. V. *ibid. lin.* 16.	orat. † 1. num. 18. *ibid. lin.* 22. *&* 23.
Eusebium lib. VII. c. XXIV. *ibid. lin.* 7. *& seq. ab infr.*	*lib.* 7. *cap.* † 30. ibid. lin. 29.
Socrates, lib. VII. cap. XIV. *pag.* 200. *lin.* 17.	lib. 7. cap. † 12. *ibid. lin.* 9. *ab infr.*
can. sta subiectus. XCVI. dist. *pag.* 203. *lin.* 5. *&* 6.	*can.* † *esto subjectus*, 95. *dist.* pag. 88. lin. antepen.
can. decernimus. X. qu. I. *pag.* 205. *lin.* 2.	*can.* † *decrevimus*, pag. 89. lin. 14. ab infr.
can. ad hoc XVI. qu. IV. *ibid. lin.* 5. *ab infr.*	*can. ad hoc*, 16. *qu.* † 1. pag. 90. lin. 4.
cap. certificati. de sepultur. *pag.* 207. *lin.* 4. & 5.	*cap.* † *certificari*, ibid. lin. 33.
l. II. C. de curs. public. *pag.* 111. *lin.* 15.	*l.* † 3. pag. 92. lin. 25.
can. relata. X. qu. III. *pag.* 215. *lin.* 6.	*can. relata*, 10. *qu.* † 1. pag. 94. lin. 2.
cap. felicis II. de censib. in VI. *ibid. lin.* 8. *&* 9.	*cap. felicis* † 3. ibid. lin. 4.
can placuit. X. qu. I. *&* can. ult. ead. caus. qu. III. *pag.* 219. *lin.* 19. *&* 20.	*can. placuit*, † *can. ult.* 10. *qu.* 3. pag. 95. lin. 5. ab infr.
Hincmarus Rhemensis in capitulis Archidiaconis Presbyteris datis, anno DCCCLXXXVII. *pag.* 221. *lin. pen. & ult.*	. . . . anno † 877. cap. 5. *pag.* 96. *lin.* 5. *ab infr.*
can. cavendum X. qu. I. *pag.* 223. *lin.* 2. & 3.	*can. cavendum*, 10. *qu.* † 3. pag. 97. lin. 20. & 21.
Nos autem, Deo venalitatem omnem tam ex rebus, quàm ex ministeriis Ecclesiasticis propellentes, &c. pag. 227. lin. 9. & seq. ab infr.	*Nos, auctore Deo, venalitatem*, &c. pag. 99. lin. 29.
can. si privatum, XII. qu. II. *pag.* 234. *lin. pen.*	*can. si privatum*, 12. *qu.* † 1. pag. 102. post cap. lin. 12.
Conc. Toletan. IV. *pag.* 243. *lin.* 2.	conc. Toletan. † IX. can. 2. *pag.* 105. *lin.* 5. *ab infr.*

Edit. Tolosan.	*Edit. mea.*
can. XLIV. in can. si iubet. can. Presbyter. can. ministrare. can. Presbyter, XXVI. qu. VI. *pag.* 84. *lin.* 4. & *seqq.*	*si jubet*, *can.* † *ministrare*, *can. presbyter ult.* 26. *qu.* 6. pag. 150. lin. 2. & 3.
Panem nostrum quotidianum, si quotidianus est panis, cur post annum illum sumis, quemadmodum Graeci in Oriente facere consueuerunt, accipe quod tibi prosit, sic viue vt quotidie merearis accipere. pag. 86. lin. 5. & seqq.	*Panem nostrum quotidianum. Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumis, quemadmodum Graeci in Oriente facere consueverunt? Accipe quotidie quod quotidie tibi prosit. Sic vive, ut quotidie merearis accipere.* ibid. lin. 9. & seq. ab infr.
Augustin. de dogmatibus Ecclesiastic. cap. LIII. *ibid. lin.* 8. & 9.	cap. † 23. *ibid. lin.* 5. *ab infr.*
Augustinus de verb. Domin. serm. XXVIII. in illud: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumas quem iam modum Graeci in Oriente facere consueuerunt, accipe quotidie, quod quotidie tibi prosit, sic viue vt quotidie merearis accipere.* ibid. lin. 16. & seqq.	August. de verb. Domin. serm. 28. (al. 84. num. 3.) in illud: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumis, quemadmodum Graeci in Oriente facere consueverunt? Accipe quotidie quod quotidie tibi prosit. Sic vive, ut quotidie merearis accipere.* pag. 151. lin. 1. & seqq.
Eusebio lib. VI. cap. XXXVI. *pag.* 90. *lin.* 16.	*lib.* 6. *cap.* † 44. pag. 152. lin. 16. ab infr.
Greg. I. lib. VII. epist. LXIII. *Tamen si quid boni vel ipsa, vel altera Ecclesia habet, ego & minores meos, quos de illicitis probibeo, in bono imitari paratus sum, stultus enim est qui in eo primùm existimat, ut bona quae videat discere contemnat.* pag. 93. lin. 5. & seqq.	Gregor. I. lib. 7. epist. † 64. *Tamen si quid boni vel ipsa vel altera ecclesia habet, ego & minores meos, quos ab illicitis probibeo, in bono imitari paratus sum. Stultus est enim qui in eo se primum existimat, ut bona quae viderit discere contemnat.* pag. 153. lin. 12. & seqq. ab infr.
Socrates lib. II. cap. XXXIII. *pag.* 95. *lin.* 13. & 14.	*lib.* 2. *cap.* † 43. pag. 154. lin. 9. ab infr.
Sozomenus lib. III. cap. XIII. *ibid. lin.* 15.	*lib.* 3. cap. † 14. ibid. lin. 8. ab infr.
can. ecce ego. XCVI. dist. *pag.* 96. *lin.* 8. & 9.	*can. ecce ego*, † 95. *dist.* pag. 155. lin. 5. & 6.
can. sta subiectus. XCVI. dist. *pag.* 97. *lin.* 11. & 12.	*can.* † *esto subjectus*, 95. *dist.* ibid. lin. 23.
Socrat. lib. V. cap. XXI. *ibid. lin.* 15. & 16.	*lib.* 5. *cap.* † 22. ibid. lin. 20. ab infr.
ex Leonis epist. CXII. & CXIII. *ibid. lin.* 10. & *seq. ab infr.*	*epist.* † 61. *al.* 63. ibid. lin. 16. ab infr.
cap. quod clerici, de foro competent. *pag.* 100. *lin.* 11.	*cap. quod* † *clericis*, pag. 156. lin. 14. ab infr.
apud Matthaeum Paris in edicto Henrici II. Regis Anglorum. *Si quis inuentus fuerit ferens litteras Domini Papae, aut mandatum Thomae Arabiepiscopi continens interdictum Christianitatis, capiatur & retineatur.* pag. 103. lin. 15.	apud Matthaeum Paris. in edicto Henrici II. Regis Anglorum (ad ann. 1164.) *Si quis inventus fuerit ferens litteras domini Papae vel mandatum, aut Thomae Archiepiscopi, continens interdictum Christianitatis in Anglia, capiatur &*

Edit. Tolosan.	*Edit. mea.*
	retineatur. pag. 157. lin. 8. & seqq. ab infr.
Conc. Carthag. II. can. III. Carthag. III. can. LXXXVI. Agathensi, can. XLIV. can. si jubet. can. Presbyter. can. ministrare. XXVI. qu. VI. *pag.* 105. *lin.* 21. *&* *seqq.*	*Conc. Carthag. II. can.* 3. *Carthag. III. can.* † 32. *Agath. can.* 44. *can. si jubet, can. ministrare, can. presbyter ult.* 26. *qu.* 6. pag. 158. lin. 17. & seq. ab infr.
d. cap. cum Ecclesiarum, *pag.* 109. *lin.* 17. *&* 18.	*cum* † *ab ecclesiarum*, pag. 160. lin. 14.
Quanto magis in Dei causis, ac per hoc Antistitem eius puriorem cæteris esse oportet, ipsius enim personam habere videtur, est enim Vicarius eius, quia necesse habet quotidie Christi vicem agere, aut orare pro populo, aut offerre, aut tingere. pag. 110. lin. 6. & seqq. ab infr.	*Quanto magis in Dei causis? Ac per hoc Antistitem ejus puriorem ceteris esse oportet: ipsius enim personam habere videtur, est enim vicarius ejus:* † *ut quod ceteris licet illi non liceat: quia necesse habet*, &c. pag. 160. lin. 14. & seqq. ab infr.
Theodorito, lib. V. cap. XXXVI. *pag.* 112. *lin.* 16. *&* 17.	*lib.* 5. *cap.* † 37. pag. 161. lin. 24.
Matth. Paris. ad ann. M. CC. XXXIII. *pag.* 118. *lin. ult.*	Matth. Paris. ad ann. † 1238. *pag.* 163. *lin.* 6. *ab infr.*
Gregor. lib. XII. epist. *pag.* 121. *lin. antepen.*	lib. 12. epist. † 27. *pag.* 165. *lin.* 2. *&* 3.
Ambros. lib. III. de Virginib. *pag.* 122. *lin.* 11. *&* 12.	lib. † de virginitat. cap. 3. in fine: *ibid. post cap. lin.* 7.
Concil. Brachar. I. can. XXXVI. *pag.* 123. *lin.* 5. *ab infr.*	can. † 18. *ibid. lin.* 8. *ab infr.*
Socrat. lib. VI. cap. XV. *pag.* 124. *lin.* 15. *&* 16.	*lib.* 6. *cap.* † 17. pag. 166. lin. 7.
Euagrio lib. IV. cap. XXX. *ibid. lin.* 7. *&* *seq. ab infr.*	*lib.* 4. *cap.* † 31. ibid. lin. 14.
can. Sacerdotum. de consecrat. dist. 1. *pag.* 138. *lin.* 4. *&* *seq. ab infr.*	*de consecrat. dist.* † 2. pag. 171. lin. 9. ab infr.
Ambros. in Luc. lib. IX. cap. XIX. *pag.* 140. *lin.* 15.	lib. 9. † super cap. 20. num. 29. *pag.* 172. *lin.* 26.

Aliquot exempla errorum in insertis fragmentis Græcis.

IN PART. I.

Edit. Tolosan.	*Edit. mea.*
Eadem interpretatione vsus est Suidas in loco qui emendatione indiget. *ῥυζαίνβος* lege *αὐβαδίνβος*, pag. 5. lin. 13. & seqq.	Eadem interpretatione usus est Suidas in loco qui emendatione indiget, *ῥυβαίουβος* lege *συβαδίνβος*. pag. 4. lin. 7. & 8.
ἐγένετο δὲ κατὰ τὴν ἡμέραν τῆς ἁγίας πεντηκοστῆς ταραχὴ, διὰ τὴν καθέδραν,	. . . .
	. . . .

Edit. Tolosan.	*Edit. mea.*
ἐν τῇ λειτουργίᾳ, μὴ καταδεξαμένων τῶν μετροπολιτῶν αὐτῶν τοὺς συγκέλλους ἐν τῷ συνθρόνῳ. *Die Pentecostes sacro tumultuatum est ob sessionem in sacro officio, Metropolitis non ferentibus superiori loco ipsis sedere syncellos*. pag. 25. in fin.	. . . . Μετροπολίτων προκαθίσαι αὐτῶν. . τῷ συνθρόνῳ. pag. 12. lin. 27. & seqq.
ἢ τοὺς κεκλημένους χωρεπισκόπους, εἰ καὶ χειροθεσίαν εἶεν ἐπισκόπων εἰληφότες: *Chorepiscopos, qui manuum impositionem ab Episcopis acceperint*. pag. 28. in fin. ac 29.	. . . . εἰληφότες. pag. 13. lin. 12. ab infr.
ὁ βασιλεὺς ὅτε προβάλλεται ἀρχιδιάκονον ἐκ τῆς τοιαύτης τῶν ἐξκατακοίλων τάξεως, ὡς ἐντιμοτέρων τῶν ἄλλων ὄντων προβάλλεται τοῦτον, καὶ οὐκ ἄλλοθεν: *Imperator autem cum designat Archidiaconum ex huiusmodi sex Catacœlorum ordine, ut qui alios honore antecellunt designat eum, ac non aliunde*. pag. 62. lin. 13. & seqq.	. . . . ἐξοκατακοίλων . . . ἐντιμοτέρων . . . . *Imperator igitur quando designat archidiaconum ex exocatacœlorum ordine, anquam ceteris honoratiore, eum designat, nec aliunde assumitur*. pag. 27. lin. 9. & seqq. ab infr.
Apud Iustin. martyr. Apolog. II. superest rescriptum Adriani, ut Cristiani damnarentur causâ cognitâ pro tribunali, non petitionibus, & vociferationibus populi, καὶ πρὸ βήματος ἀποκρίνεσθαι, ἀλλ' οὐκ ἀξιώσεσιν, οὐδὲ μόναις βοαῖς. pag. 81. lin. 3. & seqq.	Apud Iustin. Martyr. apolog. 2. († al. 1. cap. 69.) superest &c. . . . . ὡς καὶ πρὸ βήματος ἀποκρίνεσθαι, ἐπὶ τοῦτο μόνον τραπέσθω, ἀλλ' οὐκ ἀξιώσεσιν, οὐδὲ μόναις βοαῖς. pag. 36. lin. 31.
Nec satis mirari valeo Gregorii Nazianzeni fiduciam aut contemtum rerum temporalium, de quo scribit Gregor. Presbyter eius vitæ auctor, quod rerum & redituum Ecclesiasticorum rationes a curatoribus ecclesiæ non repetiit, cauponum, id verius, quam Ecclesiasticorum opus esse inquiens, præfectorum, non Episcoporum καπηλικῶν μᾶλλον, ἢ ἐκκλησιαστικῶν ἀνδρῶν τὸ ἔργον, καὶ ἀρχόντων, οὐκ ἐπισκόπων. pag. 92. in fin.	. . . . καπηλικῶν μᾶλλον, ἢ ἐκκλησιαστικῶν ἀνδρῶν τὸ ἔργον τοῦτο ὑπολαβών, καὶ ἀρχόντων, οὐκ Ἐπισκόπων. pag. 41. lin. 29. & 30.
τὰ δὲ λεγόμενα πατριμώνια τῶν ἐν Ῥώμῃ ναῶν τῶν ἁγίων, καὶ κορυφαίων ἀποστόλων ἐκπαλαι τελούμενα τάλαντα τρία ἥμισυ, τῷ δημοσίῳ λόγῳ τελεῖσθαι προσέταξεν. *Patrimonia quoque templorum Romæ Principibus Apostolis consecratorum, quæ olim pendebantur talentorum trium & semis in ærarium publicum conferri jussit*. pag. 186. lin. 2. & seqq.	. . . . λόγῳ τελεῖσθαι προσέταξεν. pag. 80. lin. 6. ab infr.

IN PART. II.

Edit. Tolosan.	*Edit. mea.*
ὁ μαρεώτης, inquit, χώρα τῆς ἀλεξανδρείας ἐστὶ, καὶ οὐδέποτε ἐν τῇ χώρᾳ ἐπίσκοπος, οὐδὲ χωρεπίσκοπος, ἀλλὰ τῷ τῆς ἀλεξανδρείας ἐπισκόπῳ αἱ ἐκκλησίαι πάσης τῆς χώρας ὑπόκεινται, ἕκαστος δὲ τῶν πρεσβυτέρων ἔχει τὰς ἰδίας κώμας. *Mareotis ager est Alexandriæ, quo in loco nunquam Episcopus fuit, imo ne Chorepiscopus quidem, sed universæ ejus loci Ecclesiæ Episcopo Alexandrino subiacent: ita tamen ut singuli Presbyteri suos pagos habeant.* pag. 40. lin. 5. & seqq.	ὁ Μαρεώτης, inquit, καθὼς προεῖπον χώρα τῆς Ἀλεξανδρείας ἐστὶ, καὶ οὐδέποτε ἐν τῇ χώρᾳ γέγονεν Ἐπίσκοπος, οὐδὲ χωρεπίσκοπος· ἀλλὰ τῷ τῆς Ἀλεξανδρείας Ἐπισκόπῳ αἱ ἐκκλησίαι πάσης τῆς χώρας ὑπόκεινται· ἕκαστος δὲ τῶν πρεσβυτέρων ἔχει τὰς ἰδίας κώμας μεγίστας, καὶ ἀριθμῷ δέκα που καὶ πλείονας. *Mareotes, ut supra dictum est, regio est Alexandrina, in qua numquam Episcopus fuit, aut chorepiscopus: sed universæ illius regionis ecclesiæ Alexandrino parent Episcopo. Presbyteri autem singuli suos vicos habent, qui decem circiter sunt, immo plures numero.* pag. 131. in fin. ad 132.
καθηγοροῦσι δὲ οὐδὲν τῶν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ τὰς ἀγαπητὰς λεγομένας συνεισάκτους γυναῖκας. *interim vero accusant illos qui subintroductas fœminas quas vocant dilectas sibi ascìscunt.* pag. 49. lin. 14. & seqq.	. . . . γυναῖκας κεκτημένων. *Interim vero Catholicos illos clericos accusant, qui dilectas quas vocant, & contubernales feminas ascìscunt.* pag. 135. lin. 20. & seqq. ab infr.
ὅτι οἱ τὰς ἀφοριστικὰς ἔχουσιν οἱ ἱεράρχαι δυνάμεις, ὡς ἐκφαντορικοὶ τῶν θείων. *Sic etiam segregandi vim habent Pontifices, ut interpretes divinæ justitiæ.* pag. 102. in fine ad 103.	ὅτι καὶ τὰς . . . . θείων † δικαιωμάτων. pag. 157. lin. 19. & seqq. ab infr.
ἀπαγορεύσω λοιπὸν ὑμῖν τῶν ἱερῶν τούτων ἐπιβῆναι προθύρων. *Ego de cetero vobis ne sacra hæc vestibula ingrediamini vetabo.* pag. 112. lin. 4. & seqq.	ἀπαγορεύσω . . . . ἐπιβῆναι, &c. pag. 161. lin. 15. & seq.

Errores Tolosanæ editionis in meam inadvertenter transfusi.

Archypresbyter, *pag.* 23. *lin.* 6.	archipresbyter, *pag.* 11. *lin.* 15.
Monica, *pag.* 147. *lin.* 17.	Monnica, *pag.* 65. *lin.* 6. *ab infr.*
Elemosynæ pag. 186. in summ. cap.	*Eleemosynæ* pag. 175. in summ. cap.
Mathæus *pag.* 192. *lin.* 11. & 17. & *pag.* 193. *lin.* 12.	Matthæus. *pag.* 83. *post cap. lin.* 10. 24. & *ult.*
Concill. *pag.* 210. *lin.* 10.	concil. *pag.* 91. *lin. ult.*
πρωτοπαπάδας, in par. 2. pag. 20. lin. 5. ab infr.	πρωτοπάπας, pag. 123. lin. pen.

Errata propria editionis meæ.


Pag. 7. *lin.* 4. *ab infra*, Antioehenæ, Antiochenæ. *p.* 11. *lin.* 29. iu, in. *p.* 14. *lin. pen.* Damsi, Damasi. *p.* 15. lin. pen. *diamoni*, *diaconi*, *p.* 34. *lin.* 5. tinquæ, linguæ. *p.* 38. *lin.* 27. dannavit, damnavit. p. 42. lin. 14. ab infra, *eliguntur*, *eligantur*. *p.* 52. *lin.* 12. ab, ad. *p.* 58. *lin.* 18. catachefes, catechefes. *p.* 94. *lin.* 6. reliquit, relinquit. ibid. lin. 5. ab infr. *can. poffeffionis*, *can. poffeffiones*. p. 104. lin. 32. *earundem*, *earundem*. p. 168. lin. antepen. *divinam*, *divina*. p. 131. in fumm. cap. *benificiorum*, *beneficiorum*. *ibid. lin.* 12. *ab infra*, ecclefis, ecclefiis. p. 135. lin. 8. ab infr. *quippo*, *quippe*. *p.* 145. *lin.* 1. præsbyterorum, presbyterorum. p. 146. lin. 12. ab infra. *aliorum*, *aliorum*. p. 148. lin. 13. *non incoboa*, *non inchoo*. *p.* 149. *lin.* 5. *ab infra*. qræritur, quæritur. *p.* 156. *poft cap. lin.* 13. deftinabantut, deftinabantur. p. 166. in fumm. cap. *Parocbus*, *Parochus*. p. 168. in fumm. cap. *parochialibus*, *parochialibus*. ibid. *ecclefia*, *ecclefia*.

Quæ fequuntur, etfi in majori parte plagularum integra exftent, currente prelo, infcitia typographi, corrupta funt.

Pag. 5. *lin.* 23. *ad* 24. fecucutis, fecutis. p. 24. in fumm. cap. *archidiaconi*, *archidiaconi*, *ibid. lin.* 30. archidioconatu, archidiaconatu. p. 76. lin. 11. *transmaria*, *trans maria*. p. 77. lin. 14. ab infra, *Byfantium*, *Byfantium*. p. 130. lin. 3. *can. decernimus*, *can. decrevimus*. *p.* 168. *lin.* 19. ecclefiæ, ecclefiæ.

Similia, fi quæ funt, ex te corrige. Vale. Dabam Neapoli die XI menfis feptembris M. DCC. LXXVII.

ILLUSTRISSIMO VIRO
DOMINO DOM.
CAROLO DE MONTCHAL,
ARCHIEPISCOPO TOLOSANO.



USPICATO tibi offero, ILLUSTRISSIME ARCHIPRÆSUL, priores hosce quatuor dissertationum juris canonici libellos. Quem enim auspicem lubentius solicitem, quam te, qui in hoc jure, velut in tuo regno, versaris, divini juris summus magister, non sacerdotii, sed altioris scientiæ prærogativa? Adhuc pars illa juris suam lucem desiderat, suam a te prorsus expectat. Adhuc jus sacrum glossularum squallore obsitum jacet: sed depromptis a te historiæ sacræ, & sanctorum patrum manubiis, meliorem formam & cultum sperat. Per te his accessuri sunt sæcularium litterarum apices. Sacras enim litteras colis, sæculares non spernis: has ut ancillas & obstetrices, illas ut magistras & dominas habes. Magna litterarum laus, sed pietatis, qua polles, meritis comparata decrescit. Hac dote te vere Pontificem intelligimus, his infulis sacram plebem illuminas, magis quam purpura & auro: pietatem doces conjunctis studiis verbi, operis, & exempli; Saturnini & Exuperii, quorum cathedram tenes, virtutes singulas quasi unam æmularis. Totus efformandis clericorum & plebis moribus, totus restituendæ & fovendæ ecclesiasticæ disciplinæ invigilas. Hic unus scopus indicti a te in proximum diem provincialis concilii, ut Tolosanæ pietatis genius per omnem provinciam latius propagetur. Tuis precibus Tolosa inter civiles turbas tranquilla sedit, & redivivum in te sensit Exuperium, cujus votis barbaricum olim ferrum evasit. Tu Dei & hominum mediator jugi intercessione cives tuos Deo concilias, & sanctissimo fœdere terram cælo consocias. Quis æquior ecclesiæ opum dispensator? Quam largum & effusum te in pauperes novimus, in te & tuos parcum, & velut alienis abstinentem.

Tuum

Tuum ecclesiasticæ rei gestum commendant instauratæ tot ecclesiarum & episcopalis domus ruinæ : multarum ætatum opera præstant, æternumque posteris tui exemplum proponunt. Nec laudum tuarum modus his terminis continetur: qualem & quantum in ecclesia, talem ac tantum suspicimus in senatu & in republica. Quoties pro ecclesia & plebe, tum in universi cleri concilio, cum in provincialium ordinum consessu adversus fisci satellites difficillima tempestate certasti? attamen ea religione, ut ecclesiæ & populo non deesses, & debitam Principi fidem ac reverentiam servares : æquo libramine stateram appenderes, & quæ sunt Cæsaris Cæsari, quæ Dei sunt Deo redderes. Nec virtutis famam capit Gallia: miratur Roma suum alumnum, & quæ Gallicana ingenia vix fert, Romanæ indolis in te decus agnoscit. Te Romanæ fidei acerrimum vindicem, pontificiæ majestatis cultorem devotissimum prædicat, & suis honoribus peregrinum non putat. Ego tot meritis in tuæ virtutis venerationem & obsequium provocatus, publica vota prosequor; & ne populares inter plausuum concentus sileam, testatam propensioris in te animi professionem exhibeo, uberem laboris fructum laturus, si, quo glorior nomine, censear

TUÆ AMPLITUDINI,

Devotissimus,

ANT. DADINUS ALTESERRA.

Tolosæ VI. octobr. M. DC. L.



INDEX CAPITUM

LIBER PRIMUS.

LI-

LIBER II.

L I B E R III.

LI-

LIBER IV.

LIBER V.

L I B E R VI.

DIS-



DISSERTATIONUM

JURIS CANONICI,

LIBER PRIMUS.

DE ADJUTORIBUS EPISCOPORUM,

PRÆFATIO.



PISCOPATUS onus adeo grave, varium, & multiplex, ut unius hominis operam obruat, & tam in spiritualibus, quam in temporalibus adjutore indigeat. Hoc provide jam olim sensit ecclesia, cum Episcopis ob valetudinem, vel senium, vel ob molem oneris, aliamve justam causam, adhibuit coadjutores, vel chorepiscopos, & alios minores subadjuvas: puta archidiaconos, decanos sive archipresbyteros, ac praeterea vicarios generales & officiales, nec non vicedominos, seu œconomos; ne quid solatii deesset Episcopis in administratione spiritualium & temporalium. Inde mihi, ecclesiæ

& Ducis quo regitur providentiam miranti, enatum consilium de Episcoporum auxiliis solemnem in scholis nuper aperiendis prælectionem instituendi: sed quia amplior erat seges, quam ut una prælectione demeti posset, successit desiderium justam eadem de re disputationem emetiendi, quo pio lectori pulcherrima ecclesiasticæ œconomiæ ratio, & singulorum pontificii adjutorum delineata statio, velut castrorum acies ordinata spectanda mirandaque proponatur, & priores otii mei litterarii partus non alio quam sacro consecrentur auspicio. Tu, lector optime, æqui bonique consule.

CA-



CAPUT I.

Adjutor in singulis officiis. Optiones militum. Proscholus adjutor scholarum. Subadjuva.



DJUTOR, ut a notatione nominis rem facilius assequamur, is vulgo dicitur, qui alterius vices seu locum implet: quod genus officii familiare est, & velut accessio omnium fere munerum, tum publicorum, cum privatorum. Hac ratione adjutor datur tutori, qui non sufficit in administratione tutelæ; *l. solet* 13. *ff. de tutel. l. si præses* 6. *C. quomod. & quand. judex.* Βοηθὸς Harmenopulo *lib.* 5. *tit.* 11. Adjutores suos habent commentarienfis, seu præfectus custodiarum; *l. ad commentariensem*, C. *de custod. reor.* & cornicularii; *l. ult.* † *in fin. ff. de jure immunitatis*: memoratur item adjutor officii præfecti prætorio, & aliorum majorum magistratuum; *l. ultim. C. de offic. præf. urb.* & passim in notit. imper. adjutores officii præfecturæ urbanæ memorat Symmachus tum præfectus urbis lib. 10. ep. 36. *Ad hæc Fulgentius V. C. tribunus & notarius conventos adjutores urbanæ sedis asseruit.* Et mox: *Ad hæc Urbani adjutor officii per Felicem sibi a clarissimo viro Fulgentio mandatum esse respondit, &c.* In re militari adjutor datur Imperatori, & aliis copiarum præfectis, immo & ipsis militibus. Scipioni in Hispania Syllanum adjutorem datum proprætoris titulo, auctor est Livius, lib. 26. *Et M. Junius Syllanus propr. adjutor ad res gerendas datus est.* Et Fulvium Posthumum Lentulo quæstori adjutorem datum; testis Jul. Cæsar. lib. 3. de bell. civil. *Huic, quod valetudine minus commoda utebatur, Fulvium Posthumum adjutorem summiserat.* Et optiones militum sunt vicarii & adjutores; qui eis adhibentur a centurionibus & tribunis militum; Vegetius lib. 2. de re militar. cap. 7. *Optiones ab optando appellati, quod antecedentibus ægritudine præpeditis, hi tanquam adoptati eorum atque vicarii solent universa curare.* Et in militia palatina magistro officiorum datur adjutor; Cassiodorus lib. 6. var. epist. 6. *Adjutor etiam magistri nostris præsentatur obtutibus, ut vicaria forte beneficii, eligamus ejus præsidium, qui nobis præstat fidele solatium.* In conc. Chalcedonensi *act.* 1. memoratur Constantinus magistrianus, & adjutor sacri secretarii, μαγιστριανὸς καὶ βοηθὸς τῶν θείων σκρινίων: & ejusdem conc. *act.* 3. Eleusinius adjutor magistri sacrorum officiorum, βοηθὸς τοῦ μαγίστρου τῶν θείων ὀφφικίων. Etiam in rebus privatis laudantur adjutores servi actoris, seu dispensatoris; *l. Sticho*, §. *item quæro* 4. *ff. de statulib.* Basilicis συνεπιτροπεύοντας. Quid in scholis? nonne præfecti scholarum suum adjutorem habuere, quem proscholum vocabant? sic grammatico Mediolanensi proscholum adjungit Augustinus, serm. † 19. de verb. Apostolor. al. 178. cap. 7. *Dicam quod fecerit pauperrimus homo nobis apud Mediolanum constitutis, tam pauper, ut proscholus esset grammatici*, quod iisdem fere verbis repetit idem *homil.* 9. sic Victorium subdoctorem, sive proscholum inter professores Burdegalenses celebrat Ausonius, *epigr.* 23. Recentiores vocarunt adjutorem scholarum; Fulbertus epist. 80. *Adjutorem scholarum nolo tibi mittere, qui nondum assecutus sit maturitatem ætatis, & gravitatem morum.* Eo res pervenit in singulis fere muniis civilibus & mi-

Hinc adjutores dicti advocati, qui alienas lites suscipiunt; Gregor. Tur. de glor. confess. cap. 71. *Denique conjuncti adjutores causam discutiunt.*

litaribus, ut adjutor principalis subadjuvam sortitus sit. Sic in officio præfecti præt. & aliorum, adjutori apponitur subadjuva passim in notitia imperii. Subadjuvam reddit Synesius pro adjutoris administro, seu vicario ep. 145. Ἁρποκρατίων τίς ἐστι τῶν Ηρακλειανοῦ δορυφόρων τάξιν ἔχων τῷ βοηθῷ βοηθεῖν, ἡ γὰρ συβαδίουβα λέξις τοῦτο ἑρμηνεύειν πιστεύεται. *Harpocratio quidam est ex satellitibus Herculiani, munus habens adjutorem adjuvandi, hæc enim dictio subadjuva id significare creditur.* Eadem interpretatione usus est Suidas in loco qui emendatione indiget, ῥυβαΐουβος lege συβαδίουβος παρὰ Ῥωμαίοις, ὁ τῷ βοηθῷ βοηθός. *Subadjuva apud Romanos adjutoris adjutor.* Adjutoribus magistri officiorum fuere & subadjuvæ. In conc. Chalced. act. 3. celebratur Severianus subadjuva scholæ magistrianorum, συβαδίουβα τῆς σχολῆς μαγιστριανῶν. Denique in omnibus vitæ officiis, nemo per se satis valet sine adjutore; Senec. epist. 52. *Nemo per se satis valet, ut emergat: oportet manum aliquis porrigat, aliquis educat.* Et mox: *cum elige adjutorem, quem magis admireris cum videris, quam cum audieris.* His argumentis, an Episcopo ob senium, valetudinem, aut aliam justam causam coadjutor dandus sit, videamus.

C A P. II.

Superstiti Episcopo coadjutor dari potest. Varia hac de re exempla. Syncellus.

AN viventi Episcopo coadjutor dari posset, dubitatum est, quod, ne in una eademque civitate duo Episcopi existant, vetat *can.* 8. Nicænæ synodi, & ex eo *cap.* 10. concil. generalis Lateranensis habiti sub Innocentio III. *cap. quoniam, de offic. ordinar.* ubi ratio redditur, ne ecclesia diversos Pontifices habeat, tamquam unum corpus diversa capita monstro simile: unde & Episcopo non licet sibi successorem deligere, ex *can.* 23. Antioch. conc. *can. Episcopo* 3. 8. *qu.* 1. Hujus Nicæni canonis observantissima ecclesia Romana duos Pontifices non tulit, & lectis Constantii A. litteris, quibus Liberio ab exsilio Romam redire permittebatur, & ecclesiam regere una cum Felice in ejus locum intruso, plebs conclamavit, unum esse Deum, unum Christum, unum Episcopum, εἷς Θεὸς, εἷς Χριστὸς, εἷς Ἐπίσκοπος. Theodorit. *lib.* 2. *cap.* 17. Certe nonnumquam ecclesia ex dispensatione κατ' οἰκονομίαν duos in una sede passa est Episcopos, sed hoc propter majus bonum, nempe schismatis & dissidii componendi causa, ut in concil. Nicæno *canone supra laudato* id Novatianorum ad Catholicam unionem revocandorum causa indultum, ut si Novatianæ sectæ Episcopus ad sanam frugem rediret, Episcopi nomen & titulum in eadem civitate obtineret. Hoc exemplo Antiochena ecclesia in duas partes divisa, Meletius benigne & comiter Paulinum compellavit, ut seposita quæstione de primatu gregem communiter pascerent, & si de cathedra, quæ erat contentio, solvi non posset, collocato in ea evangelio tamquam pacis sequestro, utrinque ipsi assiderent; Theodorit. *lib.* 5. *cap.* 3. Consimili & pacis fovendæ studio, Africa Donatistarum schismate laborante, Catholici Episcopi Donatistis Pseudoepiscopis episcopatus obtulere consortium, & honorem confessus; synodi Carthag. *can.* 74. apud Zonaram, *cap.* 1. *de parochiis*, in gestis collat. Carthag. I. *cap.* 16. & apud Augustin. *epist.* 162. (*al.* 43. *cap.* 5.) Et in Chalcedonensi conc. *act.* 14. Athanasius olim Perrhenorum Episcopus restitutus, ita ut Salvianus, qui post ejus depositionem ordinatus fuerat, Episcopalem dignitatem cum eo haberet quasi ὑποκαθιστάμενος, seu substitutus, & pro facultatibus ecclesiæ aleretur. Sed hæc omnia ex dispensatione ecclesiastica accipienda sunt. Igitur non sine Nicæni concilii labe & offensa, viventi Episcopo coadjutor

jutor

jutor adjungi posse videbatur, cum per hoc duo Episcopi appareant in una eademque ecclesia. Et Augustinus ipse, postquam Valerio Hipponensi Episcopo coadjutor adscitus, doluit se nescisse concilii Nicæni decretum; præter Possidium ejus vitæ auctorem, testis ipse in epist. 110. (al. 213. num. 4.) *Hic adhuc*, inquit, *in corpore posito beatæ memoriæ patre & Episcopo meo sene Valerio, Episcopus ordinatus sum, & sedi cum illo: quod concilio Nicæno prohibitum fuisse nesciebam; nec ipse sciebat*. Ipseque Augustinus, ut hujusmodi lapsui in posterum occurreretur, in concilio quodam legem dici curavit, ut libellus canonum ordinandis traderetur; auctore Possidio *ejus vita, cap. 9.* Est quod miremur, Augustinum nomen sacrarum litterarum, Nicænæ fidei defensorem acerrimum, Nicænum istum canonem ignorasse; immo magis est quod miremur nimiam ejus religionem verentis in sua ordinatione tentatum Nicænum canonem! nec enim coadjutor potest videri alter Episcopus, sed unum cum eo cui adjungitur efficit Episcopum: non dividit cathedram, sed unam cum adjutore cathedram implet: non succedit Episcopo, sed accedit, ut de Augustino eleganter scripsit Paulinus in epist. ad Romanianum, quæ inserta est in can. *non autem, 7. quæst. 1. Ita consecratus est, ut non succederet in cathedra Episcopo, sed accederet*. Hoc disciplinæ ecclesiasticæ genio primum Petrus Princeps Apostolorum adjutores sibi adscivit Linum & Cletum, de quo Irenæus *lib. 3. cap. 3.* Epiphan. *in Panario, hæres.* 27. & Joannes III. in *epistol.* quæ refertur in *can. si Petrus*, 8. *qu.* 1. nemo tamen erit qui dicat, Principem Apostolorum, qui ecclesiæ unionem suo sanguine sancivit, malo exemplo Christi ecclesiam discidisse. Inde coadjutorum datio multis varia per tempora secutis comprobatur exemplis. Ante Nicænum concil. sub Severo, Narcisso Hierosolymitano Antistiti coadjutor datus Alexander; Euseb. *lib. 6. cap.* † 8. Zonar. *in Sever.* Sub Diocletiano Theotecnus Cæsariensis Episcopus Anatolium *διάδοχον*, id est successorem sibi designavit, & una cum eo administravit, donec is, vita functo Eusebio Laodicensi Episcopo, invitus in ejus locum electus est; Euseb. *lib. 7. cap.* † 32. quid? a Nicæno concilio sub ipsa tempora Constantini, Maximus coadjutor datus Macario in Hierosolymitano episcopatu; Sozomen. *lib. 2. cap.* † 20. Nicephor. *lib. 8. cap. 46.* Meletio in Apamiensi Episcopatu administrando *συνεργὸς*, id est coadjutor ascitus Stephanus. Theodorit. *lib. 5. cap. 4.* Gregorio patri Coepiscopus & coadjutor accessit Gregorius Nazianzenus filius, quod factum ipse tuetur *orat. 8. & in epist. 42. & in carmine de vita sua*. Meletio Thebaidis Episcopo coadjuva usus est Petrus Alexandrinus in universi patriarchatus administratione, *ὡς δὴ ἀναπληρῶν αὐτοῦ χώραν*. Epiphan. *hæres.* † 68. *artic.* 1. & Synesius Cyrenensis Episcopus, Pentapoleos & totius Cyrenaicæ Provinciæ curam gessit ex speciali Patriarchæ Alexandrini commendatione, non alio in ea re, quam coadjutoris officio functus; auctorem habemus ipsum Synesium *epist.* 67. Annon & Patriarchæ CP. adjungi coadjutorem futurum successorem, quem nuncupabant *συγκελλὸν*, quasi diceres consellaneum, & ejusdem cathedræ participem, moris antiqui fuit? Testes Zonar. & Cedren. *in Constantin. Monomacho, & aliis locis*. Tot exemplis, velut auctoritatis instrumentis propositis, facile ordinationis suæ rationem tueri potuit Augustinus, & merito damnatur quod Paulinus & Possidius dixere, Augustinum novo more, & contra morem ecclesiæ provectum: nec enim a moribus ecclesiæ alienum dici potest quod tot juvatur exemplis varia per tempora subortis: atque ideo cum Augustinus Episcopatum suscipere recusaret, contra morem ecclesiæ, ut dicebat, vivente Episcopo, id fieri solere ab omnibus qui aderant Episcopis & clericis suasum, & tam transmarinis, quam Africanis ecclesiæ exemplis probatum, narrat idem Possidius: & quidem ipse Augustinus errorem suum facto emendavit, dum ordinationis suæ exempla propagavit, & Eradium sibi coadjutorem & futurum successorem designavit, accedente

fiducia ex recenti Severi Milevitani Episcopi exemplo, qui vivens coadjutorem & successorem sibi delegerat; Augustin. *epist.* 110. (*al.* 213. *num.* 1.) Denique, ut omnis expungatur scrupulus, quem exemplo & austerioris conscientiæ nutu Augustinus movere potuit, præsto est Capuensis synodus habita sub Syricio pæne in conspectu ecclesiæ Romanæ, quæ Basso Episcopo Senecionem coadjutorem dare non dubitavit: cujus concilii gesta, quæ hodie desiderantur, ad se delata rata habuit Ambrosius; testis ipse in *epist.* 79. (*al.* 56. *in fin.*) ad Theophilum & Anysium: *Legimus etiam*, inquit, *& omnia percurrimus*, *vel de eo quod fratri nostro & Coepiscopo Basso in consortium regendæ ecclesiæ datus est Senecio*. Unde nihil est quod dubitemus, superstiti Episcopo coadjutorem dari posse, cum res tot exemplis, & conciliorum patrumque auctoritate probetur.

C A P. III.

Quibus ex causis detur coadjutor.

NON una ex causa Episcopo datur coadjutor: adeo enim grave est onus sacerdotii, ut unius hominis operam & vires longe exsuperet, & mortales tot casibus obnoxii sunt, ut quampluribus ex causis coadjutorem dari necesse sit: puta ob valetudinem, ætatem, & alias causas. Ob infirmitatem non removetur Episcopus, sed ei datur coadjutor, si morbus sit sonticus & perpetuus; *can. scripsit*, *can. quamvis*, 7. *qu.* 1. *cap. de rectoribus*, *cap. ex parte*, *cap. ult. de cleric. ægrot. vel debilitat. cap. pastoralis*, *eod. tit. in* 6. Ita Tetrico Lingonensi Episcopo, oneri episcopali ob ægritudinem impari, Mundericus assentiente Principe coadjutor & futurus successor datus; ita ut, superstite Tetrico, is Tornodorense castrum, quasi propriam diœcesim, ut archipresbyter regeret; Greg. Tur. *lib.* 5. *cap.* 5. Pari de causa Maurilius Cadurc. Episcopus adjutorem & successorem sibi designavit Ursicinum, & Domnolus Cenomannensis Theodulphum, quem nactus est successorem; Gregor. Tur. *lib.* 5. *cap.* 42. *lib.* 6. *cap.* 9. Aimon. *lib.* 3. *cap.* 39. pariterque ob infirmitatem Rimberto Bremensi Archiepiscopo, Adalgarium ex monacho Corbiensi coadjutorem datum; testis Adamus Bremensis, *lib.* 1. *cap.* 39. & in specie *d. cap. ex parte*, coadjutor datus Arausicensi Episcopo, cui nomen erat Arnulphus, ob diutinum & insanabilem morbum. Æque ob senium & ingravescentem ætatem datur coadjutor, nam senectus ipsa deterrimus morbus est: ob senium Narcisso Hierosolymitano coadjutor datus Alexander: Gregorio ob senium & infirmitatem corporis coadjutor accessit Gregorius Nazianzenus filius: Bonifacio Episcopo Moguntino ob senium adjutorem assumere permissum a Zacharia Ro. Pontifice; *can. petiisti*, 7. *qu.* 1. & apud Bonifac. *epist.* 142. etiam ob senium Adalgario Bremensi quinque viciniores Episcopos coadjutores datos; testis Adamus *loco supra laudato*. Nec non Episcopo, ante justos ætatis annos promoto, ex indulgentia interim datur coadjutor, ut Hugoni filio Heriberti Veromanduorum Comitis ad Remensem episcopatum vix puberi provecto, Odalricus Aquensis Episcopus coadjutor datus, ut episcopali fungeretur officio, quoad Hugo ætatis compos factus esset; Frodoard. *in chron. ad ann.* 828. *& lib.* 4. *hist. Remens. cap.* 18. 20. 22. & Deodericus Dux Mosellanorum, ut refert Sigebertus *sub ann. Chr.* 1009. post fratrem suum Alberonem, dato Metensi episcopatu filio suo adhuc parvulo tutorem, sic vocat coadjutorem, ei substituit Deodericum, quo genere indulgentiæ aliquando usi Pontifices etiam in minoribus beneficiis: cum Episcopus Conventrensis in Anglia ecclesias quasdam con-

concessisset impuberibus, Alexander III. eos ex dispensatione non removit, sed interim ecclesiarum custodiam idoneis clericis commendavit; *cap. ex ratione, de ætat. & qualit. præficiend.* interdum bene valenti, & optime administranti, adjutorem sumptum invenio ob molem oneris, vel ob periculum & malignitatem temporum, ut Petrus Princeps Apostolorum Linum & Cletum adjutores sibi adscivit, ut exteriora ministrarent, ipse autem verbo, id est verbi prædicationi, & orationi daret operam; *can. si Petrus*, 8. *qu.* 1. & Maximus post mortem Macarii successurus in episcopatu Hierosolymitano designatus est, ita ut interim episcopali munere una cum Macario fungeretur, ne forte extincto Macario Arriani vacantem & indefensam ecclesiam occuparent; Sozomen. & Nicephorus *locis supra adductis*. Item Episcopo ob simplicitatem & imperitiam datur coadjutor, qui ejus vices suppleat; *can. quia frater*, 7. *qu.* 1. ut in minoribus archidiacono, in quo industria & solertia desideratur, si rerum agendarum expers sit, ab Episcopo datur coadjutor; *conc. Agathens. can.* 18. *can.* † *Episcoporum*, 74. *dist.* & plebanis seu parochis illitteratis & imperitis, si alias honestis moribus præditi sint, Episcopus tanquam delegatus sedis apostolicæ coadjutorem aut vicarium pro tempore dare potest; conc. Trident. *sess.* 21. *de reform. cap.* 9. Quid? Episcopo si sit imperitus linguæ vernaculæ, datur etiam coadjutor: hanc ob causam Valerius Hipponensis Episcopus, Latinæ linguæ minus peritus, coadjutorem sibi adscivit Augustinum; Possidio *ejus vit. cap.* † 5. eandemque ob causam ex conc. general. Lateranensi habito sub Innocent. III. si diœcesis diversis linguis distincta sit, & in una eademque civitate & diœcesi commixti sint populi linguis varii, & Episcopus tot linguarum compos non sit, coadjutorem & vicarium sibi adsciscere debet linguæ peritum; *cap. quoniam, de offic. ordinar.* quod statutum est propter Francos, & ceteros Latinos, a quibus occupata Syria & ipsa Constantinopoli, hac occasione passim Latini his partibus insederunt, & pulsis Græculis Latini Episcopi impositi sunt: sed cum hi Græce nescirent, necesse fuit legem dici, ut coadjutores & vicarios hellenismi peritos sibi adsciscerent, ne omnia per interpretem agere cogerentur. Dilapidatori etiam interdicitur administratione temporalium, & coadjutor ei datur in temporalibus; *can.* † *quia ea*, 3. *qu.* 2. Hac de causa Cephaladunensi Episcopo coadjutorem adhibuit Honorius III. *cap. venerabili, de offic. delegat.* quod suspecti tutoris exemplo constitutum; *l. eum quem, C. de suspect. tut.* Ita ex rescripto Gregorii IX. ad abbatem Montis belli apud Matthæum Paris. *sub ann. Chr.* 1231. si a visitatoribus abbas non exemptus nimis negligens & remissus inventus fuerit, a Diœcesano dandus est ei coadjutor usque ad proximum capitulum generale; quod si dilapidator inventus fuerit, a regimine abbatiæ amovetur per Diœcesanum, & interim datur administrator idoneus, qui temporalium curam gerat, donec monasterio de abbate prospectum fuerit: quod & ante sancitum ab Honorio III. *cap. ult. de stat. monach.* Immo & Episcopo, pœnitentiæ causa sacris abstento, datur coadjutor: Genebaldo Laudunensi Episcopo, pœnitentiæ causa recluso in cellula in septennium, quod uxoris consuetudine usus esset, Remigius Remensis Metropolitanus interim coadjutoris officio functus est, ita ut alternis dominicis missam celebraret Remis, & Lauduni; testis Hincmarus *in vita Remig. apud Surium*, 13. *Jun.* Præsuli capto ab hostibus & barbaris datur quoque coadjutor; *cap. si Episcopus, de supplend. neglig. prælat. in 6. clem.* † *un. de for. compet.* Sic Ignatius Antiochenus, cum Romam duceretur damnandus ad bestias, Polycarpo Smyrnensi Episcopo Antiochenæ ecclesiæ gregem commendavit; Eusebio *lib.* 3. *cap.*† 36. & hæ sunt fere causæ, propter quas solet dari coadjutor. Nunc videamus ad quem pertineat datio coadjutoris, an ad Metropolitanum, an ad Romanum Pontificem?

C A P. V.

Coadjutor non datur invito, nisi urgente necessitate. An duo vel plures coadjutores dari possint? Syncelli.

QUA ratione Principi invito non est dandus consors Imperii, ut olim obtestatum Valentinianum narrat Theodoret. *lib.* 4. *cap.* † 6. & curator non datur adulto invito, nisi ad litem; §. *item inviti, inst. de curat. l.* 1. *C. qui pet. tut.* quia ipse capax est administrationis rerum suarum, Episcopo invito non datur coadjutor, qui est vice curatoris; *can. scripsit, can. qualiter, can. quamvis*, 7. *qu.* 1. *cap. pastoralis*; *de cleric. ægrot. in* 6. Sed si coadjutore indigeat propter valetudinem, vel ætatem, monendus est, ut coadjutorem sibi petat: & hoc est quod ait *d. can. scripsit*, suggerendum esse, ut dispensator illi requiratur: quod si admonitus, ut coadjutorem petat, non acquiescat, tunc invito & non consentienti dandus est coadjutor a Rom. Pontifice precibus capituli. Immo & consentienti non est dandus coadjutor sine consilio & consensu capituli; *d. cap. pastoralis*. In prælaturis, quæ pertinent ad nominationem regiam, puta episcopatu, & abbatia, an consensus Regis desideretur in coadjutore dando? Rebuffus *in concord. tit. de reg. ad prælatur. nominat.* §. 1. *in verb. sponte factam*, negat, hac ratione, quod ob ætatem, valetudinem, vel captivitatem Episcopi, vel alias causas, propter quas datur coadjutor, non vacet episcopatus, & consensum Regis requiri ait in casu vacationis tantum: sed verius est, coadjutorem non dari absque consensu Principis, ad quem spectat nominatio vacante ecclesia, quia alias per coadjutoris dationem impediretur vacatio, & fraus fieret nominationi regiæ: & eo jure utimur: & jam olim Gregorius I. *in epist.* 4. *lib.* 9. ad Anatolium diaconum, quæ refertur in *d. can. scripsit*, aperte insinuat, se moveri ad dandum coadjutorem Joanni Primæ Justinianeæ Episcopo, voluntate & præcepto Imperatoris, quem piissimum dominum appellat, urgentis, ut ei ob ægritudinem daretur coadjutor, ne civitas pastore destituta hostium insidiis pateret. Et vota Principis audienda in dando coadjutore satis intelligi voluit Innoc. III. in *d. cap. ex parte, de cler. ægrot. vel debilitat.* cum Archiepiscopo Arelatensi mandavit, ut Aransicensi Episcopo coadjutor daretur, id exposcente Arausicensi Principe. Quin & in minoribus beneficiis, quæ sunt juris patronatus, non est dandus coadjutor cum futura successione sine consensu patroni, ut consentiunt Lambertinus *de jure patronat. lib.* 2. *part.* 1. *qu.* 6. *principal. art.* 2. *n.* 1. Gonzales in *reg.* 8. *cancell. gloss.* 5. §. 9. *num.* 18. & alii. Si quæras quot coadjutores dari possint? olim certa regula non fuit in numero dandorum coadjutorum: sed quo modo unus, duo, vel plures tutores dantur pro modo patrimonii, & onere tutelæ; ita unum, duos, vel plures coadjutores dari mos fuit pro ratione oneris episcopalis. Cletum & Linum adjutores sibi adscivit Petrus Princeps Apostolorum, & his tertium superadjecit Clementem, quem successorem designavit; *can. si Petrus*, 8. *qu.* 1. Priscam, Aquilam, & Timotheum legationis Apostolicæ *συνεργὺς*, id est adjutores habuit Paulus, ut ipse innuit in *epist. ad Rom. cap.* 16. (3. & 21.) Plures coadjutores dari posse significat Nicolaus I. in epist. inscripta Alvino Januensi Archiep. *can. Pontifices*, 7. *qu.* 1. dum Episcopum ob infirmitatem removeri vetat, sed vicinos Episcopos ei adjutores dari: *Vicinorum*, inquit, *usque ad recipiendam sanitatem Episcoporum auxilia subrogentur*. Adalgario Remensi ob senium quinque vicinores Episcopos a Rom. Pontifice adjutores adscitos jam relatum ex Adamo Bremensi. Constantinopolit.

Hoc jure Grimoaldus abbas S. Galli Hartmolum sibi adscivit vicarium & futurum successorem, assentiente Ludovico P. Ratpert *de casibus mon. S. Galli cap.* 6. *apud Goldast. tom.* 1. *rer. Alamannic.*

Patriarcham nonnumquam plures adjutores, sive syncellos suscepisse, argumento est, quod protosyncelli meminit Codinus: plures syncellos commemorat Cedrenus, in Romano Argyropoli, ἐπίμησε δὲ συγκέλλους Μητροπολίτας τρεῖς. *Fecit etiam tres syncellos Metropolitas*.

C A P. VI.

Coadjutores alii ad tempus, alii cum futura successione. Syncellus coadjutor & futurus successor Constantinopolit. P.

COADJUTORIA, ipso jure est temporalis, non perpetua, & coadjutoris officium expirat morte coadjuti, vel cessante impedimento, quod causam dedit coadjutoriæ; *can. Pontifices*, 7. *qu.* 1. *cap.* † *pastoralis*, *de cleric. agrot. vel debilit. in 6.* unde coadjutoria non est proprie beneficium ecclesiasticum, cum non sit titulus perpetuus, sed nudum ministerium: ex dispensatione & mera gratia introductæ sunt coadjutoriæ perpetuæ, id est eæ quæ sunt cum futura successione; quia non vergunt in utilitatem ecclesiæ, sed in rem eorum, qui dantur coadjutores, & sunt meræ gratiæ expectativæ: unde coadjutorem cum futura successione solus dare potest Romanus Pontifex: quo jure Bonifacio Moguntino ob senium missionem postulanti a Zacharia Rom. Pontifice permissum, ut successorem sibi deligeret, eundem futurum successorem; *can. petiisti*, 7. *qu.* 1. olim tamen ex usu coadjutores etiam cum futura successione sæpe sæpius datos citra apostolicam auctoritatem, multis comprobatur exemplis, ut Augustini, Eradii, & aliorum, quæ supra adducta sunt: & Constantinopolit. Patriarcha syncellum proprio nutu sibi assumebat, eundem futurum successorem; Zonar. *in Constantino Monomacho* (*cap.*35.), ubi legatum a Sultano missum ad Imperatorem refert, quem illi seriphen vocant. ὅνος, inquit, δ' ἐςὶ παρ' αὐτοῖς πάλαι ἦν παρ' ὅπερ ἡμῖν ὁ λεγόμενος σύγκελλος, ὡς γὰρ ὁ σύγκελλος τοῦ Πατριάρχου θανόντος, εἰς τὸν ἐκείνου τόπον ἀνεκαθίζετο, οὕτω καὶ ὁ σερίφης τοῦ Καλιφᾶ θανόντος τὸν πλουτήσαντα διεδέχετο, *is est apud eos, qui olim apud nos syncellus; nam ut syncellus Patriarchæ defuncti locum occupabat, sic etiam seriphes Calipha defuncto succedebat*, quod & Cedrenus eodem loco exscripsit; unde & Romanus Lacapenus Theophylactum filium natu minorem a Nicolao Patriarcha syncellum designari fecit, in spem patriarchatus, ut scribunt iidem Zonaras & Cedrenus *in Lacapeno*. Intelligitis quis esset syncellus? aliquando tamen & suffraganei syncellorum nomine audiebant, cancellos corrupte Guillelm. Tyrius lib. 14. cap. 12. *Et quoniam iterum eundem Patriarcham oportebat habere præter supradictos Metropolitanos familiares suffraganeos quos Græci cancellos vocant.* His moribus ante concilium Tridentinum passim coadjutoriæ cum futura successione concedebantur; sed eo concilio sublatæ sunt, *session.* 25. *de reformat. cap.* 7. ne in beneficiis ecclesiasticis hereditaria successio admittatur; nisi aliud suadeat urgens necessitas, & evidens utilitas, concessione reservata summo Pontifici. Sane ordinarius potest archidiaconis, vel parochis coadjutores dare ad tempus, & ita accipe *cap. de rectoribus*, *cap. tua nos*, *cap. ult. de cleric. ægrot. vel debilitat.* sed non potest coadjutores imponere in perpetuum, & cum futura successione: argumento est, quod Episcopus non potest cuiquam conferre beneficium sub conditione, ut post mortem ejus alius succedat; *cap. accepimus*, *de pact. cap. audivimus*, *de collusione detegend.* ex concil. Trident. *sess.* 21. *de reform. cap.* 9. parochis illitteratis & imperitis, si alias bonis moribus præditi sint, Episcopus tanquam apostolicæ sedis delegatus coadjutores dare potest, sed ad tempus dumtaxat.

CAP.

CAP. VII.

Dignitas & potestas coadjutorum. Tituli coadjutorum de ecclesiis, quæ sunt in partibus infidelium, satis recens inventum. Metropolitanorum cum syncellis de gradu certamen.

QUÆ sit dignitas & potestas coadjutoris in hoc tractatu scire in primis conducit. De jure coadjutor est socius & particeps honoris episcopalis, unde coepiscopus dicitur, ut de Augustino, postquam Valerio coadjutor datus est, proditum est in Paulini epist. *can. non autem*, 7. *qu.* 1. & Valafrid. Strab. de reb. eccles. cap. ult *Porro sicut Comites quidam missos suos præponunt popularibus, qui minores causas determinent, ipsis majora reservent: ita quidam Episcopi coepiscopos habent, qui in rebus sibi congruentibus quæ injunguntur efficiunt.* Coadjutor prælati est prælatus, & ut talis curam animarum penes se habet; *gloss. in cap. de rectoribus, de cleric. ægrot. vel debilit.* Coadjutorem aliquando datum invenio cum titulo Episcopi certi castri, vel partis diœcesis, vel etiam cum titulo archipresbyteri, ut Pientio Pictaviensi Eustrapius coadjutor datus cum futura successione, & interim apud Sellense castrum Pictaviensis diœcesis Episcopus ordinatus; Gregor. Turonens. *lib.* 4. *cap.* 18. Tetrico Lingonensi Mundericus coadjutor datus, ita ut interim dum is viveret Tornoderense castrum, nostris *Tonnerre*, ut archypresbyter regeret; idem Turonens. *lib.* 5. *cap.* 5. Verum ex stilo, quoniam duo non possunt esse in solidum titulares ejusdem ecclesiæ, ne episcopatus sectio induci videatur, coadjutor datur cum titulo Episcopi alicujus ecclesiæ, de his quæ positæ sunt in barbarico solo, & in partibus infidelium, ut loquuntur, quod est satis recens inventum, & ab eo tempore introductum, quo Latini Hierosolyma & Syria exciderunt, quasi ad retinendam civilem & festucariam possessionem. De jure coadjutor habet administrationem spiritualium & temporalium una cum Episcopo; *can. scripsit, can. quia frater.*, 7. *qu.* 1. unde dispensator dicitur in *d. can. scripsit*, & habet curam animarum penes se; *d. cap. de rectoribus*: & certe ecclesiæ interest ne coadjutor careat actu, ne ecclesia debitis fraudetur obsequiis. Adjutor, inquam, habet administrationem, sed non plenam & liberam, unde in actu & administratione ita se gerere debet, ut obsequium & reverentiam præstet Episcopo, quia naturali ratione adjutor minor est eo, cui adjutor accedit, ut constat exemplo mulieris, quæ subjecta est viro, cui data est in adjutorium: quo argumento usus est Ambros. lib. de paradis. cap. 10. (in fin.) *In eo igitur adjutorium bonum mulieris, quamquam etiam inferior dicatur adjutor, ut & in usu reperimus humano, quia dignitate potiores plerumque adjutorem meriti inferioris adsciscunt.* Atque adeo adjutor nihil potest agere sine assensu Episcopi. Sic Augustinus, etsi jam presbyter factus a Valerio prædicandi potestatem accepisset, postquam eidem coadjutor sumptus, non prius monasterium posuit intra septa episcopii, quam impetrato ejusdem consensu; testis ipse Augustinus, vel alius quisquis est ex ejus persona, serm. 21. ad fratr. in eremo: *Et quia solus stare non poteram Episcopus, ideo rogavi sanctum senem Episcopum Valerium, qui mihi jam potestatem prædicandi in populo dederat, ut infra domum Episcopi monasterium clericorum constituerem.* Et hoc jure viventi abbati successor designatus non potest attingere administrationem temporalium, saltem absque consensu abbatis; conc. Cabillonens. can. 12. *Si quilibet abbas elegerit successorem, ipse, qui sic eligitur, de facultatibus ipsius monasterii ad regendum nullam habeat potestatem.* Sic Notkerus abbatiæ S. Galli apud Hel-

August. in Joann. tract. 21. (num. 17.) *videmus in rebus humanis, quia major est qui mittit, quam ille qui mittitur.*

vetios investituram accepit per traditionem ferulæ ab Ottone I. ea lege, ut vivo abbate Burkardo, nihil capitale absque ejus nutu ageret; ut narrat Ekkeardus Junior, *lib. de casib. monast. S. Galli cap. 16. apud Goldastum, tom. 2. rerum Alamannicar.* Et coadjutor, etsi jurisdictionis episcopalis compos sit, tamen omnino prohibetur alienare bona ecclesiastica; *cap. pastoralis, de cleric. ægrot. in 6.* quod & in visitatore pariter se habet; *cap. is cui procuratio, de elect. in 6.* Item coadjutor non potest conferre beneficia sine speciali mandato Episcopi; ut sentiunt Joannes Monachus *in d. cap. pastoralis, Joan. Andreas, in cap. ult. de cleric. ægrot. vel debilit. Oldrad. cons.* 44. hoc argumento, quod in mandato generali vicariatus non venit collatio beneficiorum; *cap. fin. de offic. vicar. in 6.* & hoc plus juris est in visitatore, quod confert beneficia, dummodo datus sit a sede apostolica; *cap. ult. de suppl. neglig. prælat. in 6.* Ac ut tutius sciatur quæ sit potestas coadjutoris, spectanda est forma dationis, ut in Lino, & Cleto, hos sibi adjutores Petrus adscivit, non tamen potestatem pontificii, id est plenam potestatem ligandi & solvendi, eis tradidit, sed eos adhibuit, ut exteriora ministrarent; *can. si Petrus, 8. qu. 1.* Si coadjutor detur suspecto de dilapidatione in temporalibus, hoc juris tantum habet, ut Episcopus nihil possit agere in temporalibus sine consilio & assensu coadjutoris; *cap. venerabili,* † *de offic. delegat.* Denique coadjutor de jure habet quidem administrationem, sed hodie in litteris coadjutoriæ solet apponi clausula, ne coadjutor regimini omnino se immisceat. Utcumque sit coadjutor non habet plenum jus in beneficio, unde promotione ad coadjutoriam non vacant cetera beneficia promoti; Garcias *de benefic. part. 11. cap. 6.* Flam. Parisius *de resig. benef. lib. 3. qu. 1. n. 5. & seqq.* & alii. Syncelli summa erat dignitas post Patriarcham, ob spem successionis: ea tamen numero eviluit, & ubi plures fuere cum his de gradu & proedria certarunt Metropolitæ; Cedrenus in Romano Argyropoli (num. 347.): *ἐγένετο δὲ κατὰ τὴν ἡμέραν τῆς ἁγίας πεντηκοστῆς ταραχὴ, διὰ τὴν καθέδραν, ἐν τῇ λειτουργίᾳ, μὴ καταδεξαμένων τῶν Μητροπολιτῶν προκαθίσαι αὐτῶν τοὺς συγκέλλους ἐν τῷ συνθρόνῳ. Die pentecostæ sacro tumultuatum est ob sessionem in sacro officio, Metropolitis non ferentibus superiore loco ipsis sedere syncellos.*

C A P. VIII.

Congrua portio coadjutorum. Episcopis, sede sua pulsis vi hostium, subsidium impensum.

QUIBUS de causis vicario perpetuo parochialis ecclesiæ assignanda est congrua portio de reditibus ecclesiæ, unde commode sustentari, hospitalitatem exercere, jura episcopalia persolvere, & alia onera debita sustinere valeat; *cap. avaritiæ, cap. de monachis, de præbend. cap. statuto, §. ubi autem, de decim. in 6.* & apud Innoc. III. *registr. 13. epist. ult.* cum juxta Apostolum, qui altari servit, de altari vivere debeat; *cap. cum secundum, eod. tit. de præbend.* iisdem prorsus, ubi coadjutor datur Episcopo ob valetudinem vel ætatem, congruam portionem accipere debet de proventibus ecclesiæ, ex qua se alere & tueri valeat; *cap. de rectoribus, cap. tua nos, de cleric. ægrot. vel debilit. cap. unic. eod. tit. in 6. & constit. Aurelianens. cap. 7.* Sic Odalricus Aquensis Episcopus coadjutor datus Hugoni filio Heriberti Comitis, donatus est abbatia S. Timothei cum præbenda canonica; auctore Frodoardo *locis supra laudatis:* æque ac parochis, si detur coadjutor, portionem fructuum eis assignari par est pro modo alimentorum & facultatum ecclesiæ; *d. cap. de re-*

cto-

floribus, *& cap. tua nos*, *& conc. Tridentin. ſeſſ.* 21. *de reform. cap.* 7. Coadjutori, inquam, debetur congrua, niſi aliud caveatur in proviſione coadjutoriæ, ut ſolet apponi clauſula, ne quicquam adminiſtret, vel de fructibus percipiat. Ita & Epiſcopis ſede pulſis ob vim barbarorum, vel quorumcumque hoſtium, præbendæ aſſignandæ locupletioribus in monaſteriis, ex *nov. Alexii Comneni*, quam laudat Balſamo *in can.* 19. *ſynod. VII.* A Gothis ſede ſua dejectus Quintianus Rutenenſis Epiſcopus, benigne ſusceptus eſt ab Euphraſio Arvernorum Epiſcopo, & ipſius eccleſiæ ſimul ac Lugdunenſis opibus ſuſtentatus; teſte Gregorio Turonenſi *lib.* 2. *cap.* 36. Gothofredo Epiſcopo S. Aſaf in Wallia, ob infeſtationem Wallenſium migrare coacto, Abbendonienſem abbatiam in cuſtodiam, id eſt commendam, dedit Henricus II. Rex Anglorum, donec ad propriam ſedem tutus pateret reditus; Roger. Hoveden. *ad an.* 1175. In Gallia exſulavit Thomas Cantuarienſis Archiepiſcopus, regio ſumptu ſuſtentatus, primum in Pontiniacenſi cœnobio, poſtea in monaſterio S. Columbæ apud Senones; auctori chronic. Altiſſiodor. *ad ann.* 1164. & Matth. Pariſ. *ad eund. ann.* Similiter & Raguſienſis Archiepiſcopus ob ſuorum inſidias in Angliam profugus, beneficium eccleſiaſticum, quo ſe tueretur, accepit ex beneficio Joannis Regis Anglorum: quod comprobatur ab Innocent. III. *in cap. ad ſupplicationem*, *de renunt.*

C A P. IX.

Chorepiſcopi, adjutores & vicarii Epiſcoporum. Chorepiſcopi alii Epiſcopi, alii presbyteri tantum. Singulorum munia & jura diſtincta. Chorepiſcoporum ordo quando ſublatus.

INTER Epiſcoporum auxilia proxime recenſentur chorepiſcopi. Sic dicti quaſi villani Epiſcopi, ut indicat Damaſus *epiſt.* 4. a Græco χώρα, quod villam ſignificat, quia nimirum præerant eccleſiis ruſticanis vice Epiſcopi; *conc. Antiocheni*, *can.* 10. eiſdemque jus erat viſitandi & luſtrandi vicanas eccleſias nomine Epiſcopi, quam ob cauſam forte dicebantur περιοδευταὶ circumcurſatores, ſeu viſitatores; *conc. Laodicen. can.* 57. *can. non debere*, 80. *diſt.* adeoque dicebantur συλλειτουργοὶ comminiſtri; *conc. Neocæſar. can.* 14. *& aliis locis*. Vicarii Epiſcoporum; Ferrandus Diaconus in breviatione canon. cap. 79. *Ut Chorepiſcopi, id eſt vicarii Epiſcoporum, nec presbyteros, nec diaconos ordinent, niſi tantum ſubdiaconos*. Et Iſidorus: *Vicariis Epiſcoporum, quos Græci chorepiſcopos dicunt*. Quinimmo manus & alæ Epiſcopi dicuntur in *conc. Nicæno ex Arabico can.* 58. Quidam erant chorepiſcopi, qui epiſcopali ordine erant inſigniti, de quibus loquitur can. Antiochenus 10. ἢ τὰς καλυμένυς χωρεπισκόπυς, οἱ καὶ χειροθεσίαν εἶεν Ἐπισκόπων εἰληφότες: *chorepiſcopos, qui manuum impoſitionem ab Epiſcopis acceperint*. Alii erant presbyteri tantum, & in hoc ordine primum inſtituti chorepiſcopi: inſtituti enim ſunt ad typum & exemplum 70. diſcipulorum; *ſynod. Neocæſar. can.* 14. & de hoc genere chorepiſcoporum loquitur Damaſus in *epiſtola ſupra laudata*. Duos presbyteros Hypatium & Abramium chorepiſcopos ſuſpicionis de hæreſi purgandæ cauſa ad Leonem Papam miſiſſe ſe ſcribit Thodoritus *epiſt.* 113. *&* 117. Chorepiſcopi, qui eſſent Epiſcopi, non poterant promoveri a ſolo Epiſcopo, nec minus quam a tribus Epiſcopis, quia Epiſcopi nonniſi a tribus Epiſcopis ordinari poſſunt; *can. porro*, 66. *diſt. can.* 1. *ſeq. diſt.* & de hoc genere chorepiſcoporum fuit Agobardus, primum chorepiſcopus, deinde Epiſcopus Lugdunenſis: eum enim a tribus Epiſcopis ordinatum, præcipiente Leidrado proprio Epiſcopo, ſcribit Ado

Viennensis *in chronic.* Chorepiscopi vero secundi ordinis promovebantur a solo Episcopo, sicut reliqui presbyteri, & de his loquitur supra memoratus *can. Antiochenus in fine*, quando vult, ut chorepiscopus ordinetur ab Episcopo, quod statutum, eo haud dubie consilio, ut chorepiscopi promoti a solo Episcopo, & ad ordinem presbyterorum redacti, arcerentur ab officiis episcopalibus. Etsi vero chorepiscopi ordinem episcopalem accepissent, tamen pontificatus apicem, id est plenitudinem potestatis episcopalis, non habebant, nec poterant presbyteros vel diaconos ordinare, virgines benedicere, ecclesias & altaria consecrare, baptizatos consignare, hæreticos & pœnitentes reconciliare, & formatas litteras tribuere *; conc. Ancyran. can.* 13. *d. Antiochen. can.* 10. *& ex epistola Leonis I. ad Episcopos Galliæ & Germaniæ* 86. *can. quamvis*, 68. *dist. concil. Hispal. II. can.* 7. Lectores, exorcistas, etiam hypodiaconos, eis ordinare licebat *; d. can. Antiocheno* 10. necdum enim subdiaconatus inter sacros ordines censebatur: sed postquam ex Gregorii magni decreto subdiaconatus inter sacros ordines recensitus, lectores tantum & alios inferiores, usque ad subdiaconos, eis ordinare permissum *; conc. Niceni* † *VII. can.* 14. *can. quoniam*, † 69. *dist. & synod. Meldens. can.* 44. & quod dicitur in *conc. Niceno Arabico*, *can.* 55. *& in epist. Basilii, quæ est* 180. ad chorepiscopos institutionem ministrorum pertinere, non refertur ad presbyteros, vel ad diaconos, quos *canon* 60. *ejusdem concil.* ab archidiacono & chorepiscopo examinatos, a solo Episcopo ordinari voluit: sed ad inferiores clericos, quos vult probari in monasteriis antequam ad superiores ordines promoveantur. Præter ordinationem minorum clericorum, ad chorepiscopos pertinebat dispensatio ærarii ecclesiastici, & cura alendorum pauperum, quam ob rem valde spectati & ab omnibus culti fuere *; concil. Neocæsar. can.* 14. verum, ut in obsequio continerentur, iterum singulis annis cum lecta manu presbyterorum tenebantur accedere ad civitatem ad salutandum Episcopum, & tradendum se ei, & communionem cum eo habendam *; conc. Nicen. Arabici can.* 57. ait ad tradendum se ei, id est ad instaurandam apud Episcopum professionem obedientiæ & reverentiæ, quo professionis genere clerici Episcopo se tradere dicebantur: recentiores dixere vassallos se commendare, pro eo quod est fidem & hominium præstare feudi nomine; Aimon. lib. 4. cap. 64. *Illuc & Tassilo Dux Baioariorum cum primoribus gentis suæ venit, & more Francico in manus Regis Pipini in vassaticum manibus suis semetipsum commendavit*. Et continuator Aimon. *lib.* 5. *cap.* 33. *Filius ejus* (loquitur de Wigone filio Salomonis Ducis Britonum) *se Carolo commendavit, & fidelitatem coram fidelibus suis illi juravit*. Et præceptum concessionis Ludovici P. Hispanis datum *: Noverint tamen iidem Hispani sibi licentiam a nobis esse concessam, ut se in vassaticum Comitibus nostris more solito commendent*. Honore certabant archidiaconus & chorepiscopus, & uterque adsidebat Episcopo, archidiaconus ad dextram, chorepiscopus ad sinistram ejusdem *; concil. Nicæn. Arabic. canon.* 57. *&* 58. nimirum in conventibus ecclesiasticis sinistra fuit honoratior dextra, unde & in diplomatibus pontificiis a dextra Paulus, a læva Petrus collocatur, ut jam observavit Baronius non uno loco. Tot honorum elatione corrupti chorepiscopi nimium intumuere, & quia superbiebant in ipsos Episcopos beneficii auctores, chorepiscoporum ordo sublatus fertur decreto Damasi *epist.* 4. *can. chorepiscopi*, 68. *dist.* Scio hanc epistolam viris eruditis suspectæ fidei esse, quod multis post sæculis pateant chorepiscoporum vestigia in ecclesiis totius orbis Christiani: sed non contemnenda ejus fides quod successu caruerit: quandoquidem Joannes III. *in epist. ad Episcopos Galliæ & Germaniæ, & patres synodi Metensis*, quæ habita est anno 889. & Sigebertus Gemblacensis in *Chronic. ad ann.* 383. eandem agnoverunt. Nec mihi proscribenda videtur epistola Damsi, sed potius caute cum moderamine accipienda, ita ut per eam non sublatum omnino ordinem chorepiscoporum dicatur, sed

mo-

modum impositum, & ad presbyterorum gradum redactum, quod jam ante tentatum fuerat: & ut hoc credam, suadent verba epistolæ Damasi, cujus argumentum & scopus est probare, chorepiscopos nihil aliud esse quam presbyteros, quod ad formam & typum 70. discipulorum instituti sint, & Episcopos non esse, qui a solo sint ordinati Episcopo: quod enim dicitur *initio ejusdem epistolæ*, chorepiscopos tam a sede apostolica, quam a totius orbis Episcopis fuisse prohibitos, non eo spectat, ut chorepiscoporum ordo penitus sublatus sit, sed tantum ut a pontificalibus officiis remoti sint, ut paulo post memoratur. Multis sæculis laboravit ecclesia in reprimendis chorepiscopis: post Damasum Leo I. episcopalibus officiis eos etiam abstinuit. In Gallia, cum chorepiscopi suis finibus se non continerent, & episcopalia munia tentarent, lex instaurata in *concil. Parisiensi habito sub Ludovico P. sub ann.* 829. *lib.* 1. *cap.* 27. ne chorepiscopi modum sacris canonibus præfixum excederent; unde desumptum capitulare regium *lib.* 5. *cap.* 168. tandemque, cum Episcopis infestiores essent, chorepiscoporum ordo omnino damnatus; capitul. lib. 6. cap. 119. *Placuit ne chorepiscopi a quibusdam deinceps fiant:* nec dum tamen desiit ordo chorepiscoporum, quorum vestigia multis locis occurrunt. In Remensi ecclesia chorepiscopi officium remansisse, testimonio est opusculum Ebonis Remensis Episcopi de ministris Remensis ecclesiæ, in calce Flodoardi editum a Jacobo Sirmondo, quos inter censentur præpositus, archidiaconus, & chorepiscopus, singulorumque officium & munus describitur. Accedit synodus Meldensis habita ann. 845. quæ chorepiscopos agnovit, dum eis modum imposuit, & eos Episcoporum desidia foveri doluit, Episcopis pontificium onus in ipsos rejicientibus, ut otio suo consulerent. Post decimum vero sæculum exolevit usus chorepiscoporum, & eorum munus accessit archidiaconis, quo deceptus Sigebertus, archidiaconos cum chorepiscopis confudit, his verbis: *Damasus Papa decrevit, ne quid contra Episcopos præsumant archidiaconi, qui dicuntur chorepiscopi, id est regionum & villarum Episcopi*. In Oriente vero jam defierat idem ordo chorepiscoporum ætate Balsamonis; testis ipse *in can.* 13. *synod. Ancyr.* Plura de chorepiscopis scire qui volet, consulat Bellarmin. *lib.* 1. *de cleric. cap.* 17. P. de Marca, *lib.* 2. *de concil. regni & sacerdot. cap.* 10. & P. Molanum *lib.* 2. *de canonic. cap.* 32.

C A P. X.

Archidiaconus adjutor & vicarius Episcopi. Idem oculus Episcopi. Archidiaconi primarium munus in cura sacrorum.

CHOREPISCOPIS in censu adjutorum Episcopi conjunguntur archidiaconi, sunt enim ipsius administri in solemnibus sacrorum & ordinationum, in dispensatione sacri ærarii, & exercitio jurisdictionis episcopalis, & sunt vicarii Episcopi in omnibus; ex *ordine Romano, cap.* 1. *cap. ad hæc, de offic. archidiacon.* Unde dicuntur oculi Episcopi; Clemens I. ep. 1. ad Jacobum fratrem Domini: *Diaconi ecclesiæ tanquam oculi sint Episcopi oberrantes, & circumlustrantes cum verecundia actus totius ecclesiæ, & perscrutantes diligentius, si quem videant vicinum fieri præcipitio & proximum esse peccato, ut referant hæc ad Episcopum;* can. *diaconi ecclesiæ*, 93. *dist.* Et Isidorus Pelusiot. *lib.* 1. *ep.* 29. & *lib.* 4. *ep.* 188. utraque ad Lucium archidiaconum: *Εἰ ὀφθαλμοὶ Ἐπισκόπου συγχάνουσιν οἱ τῷ σεπτῷ θυσιαστηρίῳ διάκονοι, σὺ δὲ αὐτῶν κατὰ συγχώρησιν Θεοῦ ἄρχεις, ὅλος ὀφθαλμὸς ὀφείλεις ὑπάρχειν: Si venerandi altaris diaconi Episcopi oculi sunt, profecto cum tu Dei permissu ipsis præsis totus oculus esse debes.*

Quinetiam diaconus, quod de archidiacono intelligendum erit, eſt oculus, auris, & omnia Epiſcopo; idem Clemens lib. 2. conſt. apoſtol. cap. 44. πλὴν ἔσω ὁ διάκονος τῷ Ἐπισκόπῳ ἀκοὴ, καὶ ὀφθαλμὸς, καὶ στόμα, καρδία τε καὶ ψυχή. *Ceterum ſit diaconus Epiſcopi auris & oculus, & item os, cor, & anima.* Et alibi archidiaconi dicuntur manus, quibus adlaborat Epiſcopus, & alæ, quibus idem ſubvehitur; *conc. Nicæn. ex Arabico, can.* 58. de honore archidiaconi & chorepiſcopi: *Quia hi ſunt tanquam duæ manus, & duæ alæ, quibus Epiſcopus volat.* Quin & archidiaconus magnus Epiſcopi miniſter nuncupatur; Fortunatus lib. 3. ad archidiaconum Meldenſem:

Det tibi larga Deus, qui curam mente fideli,
De grege Pontificis magne miniſter habes.

Naſcente eccleſia, ut rerum origines petamus, Chriſtianis in commune veſcentibus, ab Apoſtolis inſtituti ſunt diaconi ſeptem, quorum primarius & Princeps fuit Stephanus, unde eum πρωτοδιάκονον appellat Damaſcenus *lib. 4. de fide, cap. 16.* iique inſtituti ſunt, ut menſis miniſtrarent, quo Apoſtoli, hac cura & ſolicitudine levati, expeditius orationi & verbi prædicationi inſtarent; ex *actuum Apoſtolor. cap. 6.* qua de cauſa diaconi a Judæis nuncupati ſunt azanitæ, quaſi adjutores; Epiphanius in Panar. hæreſ. 30. (art. 11.) καὶ Ἀζανιτῶν τῶν παρ' αὐτοῖς διακόνων ἑρμηνευομένων: *& Azanitas, quo nomine diaconos, aut miniſtros appellant.* Hoc exemplo in ſingulis eccleſiis epiſcopalibus inſtituti ſunt ſeptem diaconi, ex *epiſtola Evariſti ad Epiſcopos Africæ, & conc. Neocæſar. can. 14. ſynod. VI. in Trull. can. 14. can. diaconi qui quaſi, & ſeq. 93. diſt.* & hic numerus diaconorum diu ſe habuit in eccleſia Romana; Sozomen. *lib. 7. cap. 19. can. 6. Synod. Roman. ſub Silveſtr.* & Gregor. Tur. *lib. 10. cap.* 1. Sigebert. *ad ann.* 575. Horum primicerius dictus eſt archidiaconus, quod nomen primitus uſurpatum in *conc. Nicæn. can. 57. & ſeq.* & inde frequens occurrit apud Ambroſium, Hieronymum, Sozomenum, Iſidorum Peluſiotam, & alios. Idemque dictus archilevita Prudentio, & Goffrido Vindocinenſi, & prior diaconorum Innocent. III. *in cap. 1. de ſcrutin. in ord. fac.* Diaconus Cardinalis in eccleſia Romana; *ſynod. Romana ſub Silveſtro can. 7. can. a ſubdiacono*, 93. *diſt.* Ut ſinguli Epiſcopi in matrice eccleſia haberent ſuum archidiaconum, archipresbyterum, & primicerium, id eſt rectorem ſubdiaconorum, & aliorum minorum clericorum, ſtatuit ſynod. Emeritenſis can. 10. *Communi deliberatione ſancimus, ut omnes nos Epiſcopi infra noſtram provinciam conſtituti in cathedralibus noſtris eccleſiis ſinguli noſtrum archipresbyterum, archidiaconum, & primicerium habere debeamus: ſanctus quippe eſt ordo, & a nobis per omnia obſervandus.* Quæ eſſent partes ac munia archidiaconi agedum expendamus. Archidiaconus præerat diaconis, & inferioribus clericis, ex Iſidoro Hiſpalenſi, *can. perlectis*, 25. *diſt.* id officii functus Athanaſius apud Alexandrum Alexandrinum, & eo nomine præfuit choro diaconorum, τῷ χορῷ δὲ τῶν διακόνων ἡγούμενος, Theodorito *lib. 1. cap. 26.* Idcirco & Joannem, Eulalii Comitis filium, ab Innocentio Rutenenſi Epiſcopo in clericum tonſum, ab eodem archidiacono ſuo traditum diſciplinæ cauſa, auctor eſt Gregorius Turonenſis lib. 10. cap. 8. *Suſceptoque Innocentius Epiſcopus puero, totondit comam capitis ejuſdem, deditque eum archidianono eccleſiæ ſuæ.* Archidiaconi officium in primis verſatur in cura ſacrorum, is præeſt officio orationis, & omnibus quæ ad orationem & eccleſiam pertinent, & in oratione Epiſcopo adſtabat ad dextram, chorepiſcopo ſtante ad ſiniſtram; *conc. Nicæn. Arabic. can.* 57. Quando Epiſcopus procedebat intra eccleſiam, vel extra eccleſiam, archidiaconus ei aderat ad dextram, chorepiſcopus ad ſiniſtram, & Epiſcopus erat inter utrumque, tamquam pater in medio filiorum ejus; *conc. Nicæn. can.* 58. Epiſcopum ſacra facturum, archidiaconus ſacra ſtola induebat, tum ad altare ut accederet invitabat, & in ſacris ei miniſtrabat; Severus Dialog. 2. de vit. S. Martin. *Dein*

paulo

paulo post archidiaconus ingressus admonet pro consuetudine expectare in ecclesia populum, illum ad agenda solemnia debere procedere. Idem Greg. Turonensis lib. 4. cap. 43. *Die autem sancto natalitii Episcopo in ecclesiam adveniente, archidiaconus indutus alba adest, Episcopum, ut mos est, invitans ad altare debere procedere, ac solemnitatem diei sancti opportuno debere tempore celebrare*. Nec missæ solemne celebrabat Episcopus sine archidiacono, quo pertinent verba Laurentii archidiaconi ad Sixtum, se martyrii socium, ut sacrorum, optantis, apud Ambros. lib. 1. offic. cap. 41. *Quo, sacerdos sancte, sine diacono properas tuo? Numquam sacrificium sine ministro offerre consueveras . . . Cui commisisti Dominici sanguinis consecrationem, cui consummandorum consortium sacramentorum, huic sanguinis tui consortium negas?* In ecclesia Alexandrina solus archidiaconus legebat evangelium, quod officii alibi commune erat diaconis; Sozomen. lib. 7. cap. 19. ταύτην δὲ τὴν ἱερὰν βίβλον ἀναγινώσκει ἐνθάδε μόνος ὁ ἀρχιδιάκονος, παρὰ δὲ ἄλλοις διάκονοι. *Hunc vero sacrum codicem hic legit solus archidiaconus, apud alios vero diaconi*. Episcopo celebranti archidiaconus duas oblatas offerebat, unam pro se, & alteram pro diacono subministrante; Amalarius Fortunatus, 1. de divin. offic. cap. 19. *Deinde suscipit oblationes sacerdotum & diaconorum, quibus licitum est accedere ad altare; accipit etiam ab archidiacono duas, unam pro se, & alteram pro diacono*. Archidiaconus sacrum calicem elevabat de altari simul cum Episcopo; idem Amalarius lib. 6. cap. 26. *Hunc Joseph ad memoriam ducit archidiaconus, qui elevat calicem de altari, & involvit sudario, scilicet ab aure calicis usque ad aurem, sicut ille diaconus primatum tenet inter ceteros diaconos, qui levat calicem cum sacerdote*. Denique archidiaconus sacrorum ecclesiæ officiorum summus erat moderator, qua de causa idem Amalarius *lib. 1. cap.* 15. Romanum archidiaconum de observantia ritus ecclesiastici se consuluisse ait, velut optimum ejus rei interpretem, & arbitrum: *De qua observatione*, inquit, *interrogavi Romanum archidiaconum*: ac ut universæ res sacræ erant in manu archidiaconi, ei credita erat custodia reliquiarum sanctorum: a Gregorio, tum archidiacono Pelagii, se reliquias per diaconum petiisse scribit Gregor. Turon. lib. 10. cap. 1. *Ab hoc etiam diaconus noster reliquias sanctorum sumpsit dum adhuc in diaconatu degeret*. Ejusdem onus erat translatio reliquiarum sanctorum; idem Turonens. de glor. confess. cap. 86. *Quod audiens benedictus Agricola Episcopus, misit archidiaconum suum, ut Beatum urbis cœmeterio deferret*. Diaconorum autem erat gestare reliquias diebus solemnibus, ut notum est ex *conc. Bracar. III. can.* 5.

C A P. XI.

Ad archidiaconum pertinet instructio, examinatio, & præsentatio ordinandorum. Ad eundem spectat etiam præsentatio in collatione beneficiorum, investitura, & missio in possessionem, installatio abbatum, electio archipresbyteri.

PRÆTER curam sacrorum, ad archidiaconum pertinebat clericorum ordinandorum instructio, examinatio, & oblatio, seu præsentatio; *concil. Nicæn. Arabic. can. 60. concil. Carthag. IV. can. 9. can. ostiarius, 23. dist.* Hoc jure in synodo Suessionensi judicatum est, ordinationem Harduini presbyteri factam per Lupum Catalaunensem Episcopum ratam esse, quod facta fuisset vacante ecclesia Remensi, offerente archidiacono Remensi; Flodoard. *lib. 3. Remens. hist. cap.* 11. Nec non in ordinatione diaconi & presbyteri requirebatur testimonium archidiaconi, id est testificatio apud Episcopum, illum esse idoneum & dignum qui ordinaretur, quod testimonii genus vocant scrutinium;

cap. 1. de scrutin. in ord. fac. Hieronymus ad Evagrium, can. legimus, 93. dist. *Sed dicis, quomodo Romæ ad testimonium diaconi presbyter ordinatur?* Quocirca si Episcopus invitum ordinaverit, archidiaconus, tamquam rei conscius, 10. libras auri jubetur inferre ei qui invitus ordinatus fuerit, ex *novel. Majoriani, de episcopal. judic.* Hinc & Lucium archidiaconum avaritiæ insimulat Isidorus Pelusiota, *lib. 1. epist.* 29. quod de ordinationibus quæstum faceret. Adeoque archidiaconus, quasi administer ordinationis subdiaconi, & inferiorum clericorum. Subdiaconus enim, cum ordinatur, accipit ab archidiacono urceolum ad administrandum vinum, quod in sacrificio offertur, cum aquamanili & manutergio. Acolythus, cum ordinatur, ab archidiacono accipit ceroferarium cum cereo. Item ostiarius, quando ordinatur, suscipit ab Episcopo claves ecclesiæ ad suggestionem archidiaconi, ex *concil. Carthag. IV. can.* 5. 6. *&* 9. *can. subdiaconus, can. acolythus, can. ostiarius*, 23. *dist.* & apud Amalar. *lib.* 1. *cap.* 7. *&* 11. & diaconus non ordinatur ab Episcopo, nisi præsente archidiacono, ut confratre: *τοῦ ἀρχιδιακόνου ὡς συναθλοῦ μόνου παρεστάζοντος*, ait Balsamon **) 1. *respons. interrog.* 40. Nec solum ad archidiaconum pertinet clericorum examinatio, & præsentatio in ordinatione, sed etiam in collatione beneficiorum; *cap. ad hæc, cap. ut nostrum, de offic. archid.* ad eundem spectat investitura ecclesiarum; *cap. in tantum, de simonia*, & institutio parochorum; *cap. super eo, de offic. delegati*, id est institutio civilis, quam sequitur traditio possessionis: plus est enim possessionem dare, quam investituram concedere; *can. visis*, 16. *qu.* 2. hoc sensu institutio personarum dicitur pertinere ad archidiaconum Richemundiæ in universis ecclesiis Eboracensis diœcesis; *cap. cum venissent, de instit.* ad archidiaconum itidem pertinet solemnis installatio abbatum, & abbatissarum; *d. cap. ut nostrum*, & missio in possessionem minorum beneficiariorum: quo jure Hunfredus presbyter Henhamiensis apud Jo. Sarisber. *epist.* 1. ad tuendam suam possessionem liberam ab omni onere & censu, afferebat se per archidiaconum episcopi, ut mos est, in possessionem liberam canonice introductum. Immo & ad archidiaconum pertinet collatio beneficiorum infra fines sui archidiaconatus; *cap. ad aures, de excess. prælat.* quod de consuetudine magis, quam de jure locum habet: nam de jure archidiaconus vel archipresbyter beneficia ecclesiastica conferre non possunt sine judicio Episcopi; *can. nullus* 11. 16. *qu.* 7. Nec omittendum, quod de consuetudine ad archidiaconum etiam pertinet custodia id est procuratio & administratio ecclesiarum vacantium: hoc jure utebantur archidiaconus Cantuariensis, & archidiaconus Richemundiæ, Eboracensis ecclesiæ in universis ecclesiis suæ quisque diœcesis; *d. cap. cum venissent*, cui multam lucem affert Rogerus Hovedenus, *in Joanne ad ann.* 1201. *& cap. bonæ memoriæ, de appellat.* quam ob causam archidiaconus Richemundiæ merito dicitur apud Matthæum Paris. ad ann. 1256. *Unus de nobilioribus canonicis Eboracensis ecclesiæ.* Nec alio jure, id est de consuetudine, Laudunensi archidiacono cedit emolumentum jurisdictionis episcopalis, vacante ecclesia; auctore Oldrado, *consil.* 194. Præterea electio archipresbyteri, una cum clero, & plebe, competebat archidiacono; ex Isidoro, *can.* † *si in plebibus*, 63. *dist.* verum ab Episcopo confirmanda erat; Arnulph. Lexov. epist. 27. ad Alexandr. III. pro P. Pictaviensi archidiacono: *Idcirco si causa ipsius qualitas inquiratur, id juris se in quodam archipresbyteratu suo contendit habere, quod tam ipsi, quam omnibus aliis archidiaconis, in omnibus archipresbyteratibus suis, vetus ecclesiæ illius consuetudo confirmat: porro supervacua videtur quæstione vexari, cum sola sit de sola archipresbyteri electione contentio, cum ab archidiacono facta, ad episcopale de consuetudine referatur arbitrium, eamque potest auctoritate sua, nisi fuerit idonea, reprobare. Ceterum si eo invito in archidiaconatu ejus archipresbyter fuerit institutus; plurimum utilitatibus ejus & honori constabit esse subtractum, cum ei in archidiaconatu suo alius quodammodo archidiaconus agnoscatur.*

De-

Decani, qui idem est cum archipresbytero; electionem archidiacono tribuit & Hincmarus in capitul. archidiaconis & presbyter. datis, cap. ult. *Si decanus in ministerio vestro, aut negligens, aut inutilis, & incorrigibilis fuerit, vel aliquis eorum obierit, non inconsiderate decanum eligite.*

C A P. XII.

Archidiacono incumbit dispensatio ærarii ecclesiastici, cura viduarum, pupillorum, pauperum, & vinctorum.

DIVISIS officiis archidiaconus curabat spiritualia simul & temporalia: penes eum erat custodia & dispensatio sacri ærarii, apud eum deponebantur pecuniæ viduarum & pupillorum securitatis causa. Hinc Nicostratum archidiaconum ecclesiæ Romanæ, de subreptis ecclesiæ nummis, & viduarum pupillorumque depositis, & fuga in Africam, vehementer increpat Cyprian. epist. 49. (al. 52.) *Nicostratum vero, diaconio sanctæ administrationis amisso, ecclesiasticis pecuniis sacrilega fraude subtractis, & viduarum ac pupillorum depositis denegatis, non tam in Africam venire voluisse, quam conscientia rapinarum & criminum nefandorum illinc ab urbe fugisse.* Et Laurentium Sixti archidiaconum, de fide in servandis & dispensandis ecclesiasticis opibus, commendat Prudentius poeta Hispanus, hymn. 2. Peristephan.

Hic primus e septemviris,
Qui stant ad aram proximi
Levita sublimis gradu,
Et ceteris præstantior,
Claustris sacrorum præerat,
Cælestis arcanum domus
Fidis gubernans clavibus,
Votasque dispensans opes.

Archidiaconi, tamquam sacræ gazæ præfecti, officium erat suscipere ecclesiæ reditus, eosque in clericos distribuere; *novel. Justinian.* 123. *cap.* 3. Tertiam, vel quartam rerum, quæ in fabricam ecclesiæ addicta erat, administrabat archidiaconus, ac de ea rationem Episcopo reddebat; conc. Bracar. I. can. 24. *Item placuit, ut de rebus ecclesiasticis tres æque fiant portiones, id est una Episcopi, alia clericorum, tertia in reparatione vel in luminariis ecclesiæ, de qua parte sive archipresbyter, sive archidiaconus illam administrans Episcopo faciat rationem.* Et Gelasius Justino archidiacono: *Fabricis vero quartam, quæ competit, ad ordinationem Pontificis erogatione vestra decernimus esse pensandam.* Et rursus: *Fabricarum etiam portio Episcopo sciente & disponente vestra erogatione pendatur, can. vobis, can. Wlterana*, 12. *qu.* 2. Archidiaconum, utpote sacri peculii custodem, sequebatur onus stipes dispensandi in pauperes; Severus dialog. 2. de vit. S. Martin. *Tunc ille accersito archidiacono jussit algentem sine dilatione vestiri.* Hujus officii memor Laurentius Sixti archilevita, cum sensisset Imperatorem ecclesiasticis thesauris inhiare, protinus eos egentibus distribuit, ut ei sceleris materiam & præmium eriperet, quod eleganti carmine celebrat Prudentius in ejus agone. Ejusdem erat vinctos in carcere spirituali & corporali pabulo reficere; Ebo Remensis, in opusculo de ministris Remens. eccles. *Archidiaconi officium est vinctorum etiam publicæ civitatis ex carcere curam in festivitatibus solemnibus Domini gerere, & eis obsequia benignitatis corporalia spiritaliaque ex divinis & humanis beneficiis refectionem benedictionis parare.* Id tamen officii commune erat diaconis curam habere egentium, & in primis mar-

tyres, pro fide positos in vinculis, ope & consilio solari; Ciprianus, epist. 11. (al. 15.) *Sicut in præteritum semper sub antecessoribus nostris factum est, ut diaconi ad carcerem commeantes, martyrum desideria consiliis suis & scripturarum præceptis gubernarent*: & concil. Carthag. IV. can. 43. *De Christiano Catholico, qui pro Catholica fide tribulationem patitur, etiam & per diaconum ei victus administretur*. Deficiente Episcopo, ut ad archidiaconum redeamus, res ejus per archidiaconi seu archipresbyteri manum, aut juxta defuncti judicium pro ejus salute in eleemosynas expendebantur, aut futuro successori incolumes reservabantur, ex *conc. Arvernensi habito ab Urbano II. can. de laicis*, 12. *qu.* 2. Apud Anglos collecta census pontificii, quem vocant denarium S. Petri, fiebat per archidiaconum intra suos quemque fines archidiaconatus; *cap. ea quæ, de censibus*. Denique summa dispensationis rerum ecclesiasticarum penes archidiaconum erat, idcirco industriam & solertiam in eo requirunt veteres; Hieronym. ad Evagrium: *Diaconi eligant de se, quem industrium noverint, & archidiaconum vocent*. Et Sidonius lib. 4. epist. 25. *Archidiaconus, in quo seu gradu, seu ministerio multum retentus propter industriam*. Archidiacono etiam incumbebat cura viduarum, pupillorum, & peregrinorum; concil. Carthag. IV. can. 17. *Episcopus gubernationem viduarum, & pupillorum, ac peregrinorum, non per se ipsum, sed per archipresbyterum, aut per archidiaconum agat, can. Episcopus 7. 88. dist.* Hanc ob causam, ne prius judices sæculares de causis viduarum aut pupillorum cognoscant, quam adhibito Episcopo, vel eo absente archidiacono, vetitum est Concil. Matisconens. II. can. 12. *Decernimus, ut judices non prius viduas & pupillos conveniant, nisi Episcopo nunciarint, cujus sub velamine degunt: quod si Episcopus præsens non fuerit, archidiacono, vel presbytero cuidam ejus, ut pariter sedentes communi deliberatione causis eorum terminos figant*.

C A P. XIII.

Archidiaconi jurisdictio, ei competit jus visitationis, jus synodi & synodatici, jus conficiendi gesta manumissionum, jus indicendi ferias solemnes & jejunia, obeundi legationes pro Episcopo, prædicandi etiam, ejusdem dispensatio chrismatis, & alia.

ARCHIDIACONI officium, ut ejus partes perlustremus, in primis versabatur in his quæ sunt jurisdictionis episcopalis. Jure antiquo, quoniam diaconis præerat, inter eos lites & jurgia componebat; *concil. Nicæn. ex Arabico, can.* 57. Plenissimam in eos non habebat jurisdictionem, sed de levioribus delictis tantum, graviores vero excessus referebat ad Episcopum; ex Isidoro *can. perlectis*, 25. *dist.* habebatque modicam coercitionem; Ebo Remensis in opusculo de ministris Remensis ecclesiæ: *Officium archidiaconi est pro neglecta lectione, aut officio gradus sui a diacono usque ad infimum excommunicare, etiam & juvenculos talibus pro excessibus verberibus arcere*. In Orientalibus tamen ecclesiis archidiaconus habuit graviorem coercitionem in diaconos, ita ut eos excommunicandi jus habuerit. In concilio Chalcedonensi negavit Ibas Episcopus se Maram diaconum excommunicasse, sed eum a proprio archidiacono excommunicatum, ut habetur in gestis hujusce concil. act. 10. *μάρας δὲ κατὰ τὸ ἀληθὲς ἀκοινώνητος ἐςὶ τῷ ἰδίῳ ἀρχιδιακόνῳ· οὐδὲ γὰρ ἐμοὶ ἐςιν ἀκοινώνητος· ἐπειδὴ ὕβρισε πρεσβύτερον διὰ τῦτο ἀκοινώνητον αὐτὸν ἐποίησεν. Maras autem secundum veritatem excommunicatus est a proprio archidiacono, non enim a me excommunicatus est, quoniam injuriam fecit presbytero, ob hoc eum a communio-*

ne

ne suspendit. Si causa verteretur inter clericum & laicum, ea apud judicem publicum, seu civilem disceptari non poterat, nisi vocato archidiacono; concil. Aurelianens. IV. can. 20. *Quacumque causatio, quoties inter clericum & sacularem vertetur, absque presbytero, aut archidiacono, vel si quis esse prapositus ecclesia dignoscitur, judex publicus audire negotium non prasumat*, &c. Etiam clerici inservientes privatis oratoriis, seu sacellis, quæ erant in prædiis privatorum, suberant jurisdictioni & coercitioni archidiaconi: sed cum domini prædiorum non ferrent eis jus dici per archidiaconum, id vetitum est concil. Cabillonens. can. 14. *De oratoriis, qua per villas fiunt, nonnulli ex fratribus & Coepiscopis nostris residentibus nobis in sancta synodo querimonias detulerunt, quod oratoria per villas potentum jam longo constructa tempore, & facultates ibidem collatas, ipsi, quorum villa sunt, Episcopis contradicant, & jam nec ipsos clericos, qui ad ipsa oratoria deserviunt, ab archidiacono coerceri permittant, quod convenit emendari*. Jure communi archidiaconus non habet propriam & ordinariam jurisdictionem, sed demandatam, ut vicarius Episcopi; *d. can. perlectis, cap. 1. cap. ad hac, de offic. archidiac.* unde ab archidiacono non appellatur ad Episcopum, sed ad Metropolitanum; *cap. referente, de prabend.* ut ab eo, cui prætor mandavit jurisdictionem, non appellatur ad prætorem, sed ad præfectum urbis; *l. 1. ff. quis & a quo appellet.* ne idem a se ipso appellare videretur: alioquin si archidiaconus propriam jurisdictionem exerceret, gradatim fieret appellatio ab ipso ad † Episcopum, tamquam ad alium; *can. † anteriorum, 2. qu. 6.* De usu & consuetudine archidiaconus potest habere jurisdictionem: de consuetudine is suspendit, excommunicat, absolvit presbyteros, ecclesias interdicit, ut proditum est de nonnullis archidiaconis, Ambianensi, Senonensi, Parisiensi, Cantuariensi, Conventrensi, in Anglia; *cap. dudum 54. de elect. cap. dilecto, de offic. archidiac. cap. significantibus, de nov. oper. nuntiat. cap. ad hac, de excess. pralat. cap. licet, de pœn.* & de consuetudine accipiendi sunt plerique loci hujus juris, qui tribuunt jurisdictionem archidiacono; ut *cap. 1. de eo qui furtiv. ord. suscepit, cap. litteras, de restit. spoliator.* Nec aliter quod Polydorus Virgil. *lib. 4. rerum Anglic.* ait, se honori ducere, quod ante decem & quatuor annos archidiaconus Wellensis factus sit, habeatque in ipsa diœcesi Wellensi jurisdictionem: *Qua nos interdum*, inquit, *meliores reddit*. Et quo casu archidiaconus habet jurisdictionem de consuetudine, habetur pro ordinario, sic vocat Matthæus Westmonasteriens. ad ann. Chr. 1261. *Prioribus, archidiaconis, & aliis ecclesiarum ordinariis*, & habet suum officialem, sicut ipse Episcopus; *d. cap. significantibus, cap. Romana*, §. † *ab archidiaconis, de appellat. in 6. cap. Romana, de sent. excom. eod.* Matth. Paris. ad ann. 1225. de concubinis clericorum: *Item si pepererint, non purificentur, nisi prius sufficientem prastiterint cautionem archidiacono, vel ejus officiali, de satisfactione in proximo capitulo, post purificationem earum, facienda. Item sacerdotes, in quorum parochiis concubina talium commorantur, si non hoc ostenderint archidiacono, vel ejus officiali, suspendantur*. Et in synodo Londinensi apud eundem Matthæum Paris. ad ann. 1237. *Ne ecclesiarum prælati, & maxime archidiaconi & decani, vel officiales eorum, vel etiam quicumque alii, ad universitatem causarum, vel aliqua negotia ratione jurisdictionis ecclesiastica vel officii spiritualis, ecclesia forum contingentia, delegati, quin de discordiis vel querelis fiat pariter vel concordia inter partes, prasumant aliquatenus impedire*: & hoc casu etiam ab archidiacono non appellatur ad Metropolitanum, omisso Episcopo; *d. cap. Romana, de appellat.* Jure communi etiam archidiaconus non habet jus visitandi ecclesias, nisi de mandato Episcopi; *can. perlectis, 25. dist.* & ex *conc. Cabillonens. can. 15. can. dictum est, 94. dist.* sed de consuetudine archidiaconus habet suam diœcesim, suumque clerum; *cap. mandamus, de offic. archidiac. cap. pen. de majorit. & obedient. cap. ad † hac, de excess. pralat.* Hincmarus dialog. de

stat. eccles. *Archidiaconatus olim certis terminis distributos non dubitaverim*, & visitatio ei competit intra fines sui archidiaconatus, & procurationis exactio, ratione visitationis; *d. cap. dudum, de elect. cap mandamus; de offic. archid. cap. auditis, de praescript. cap. cum Apostolus, cap. procurationes, de censib.* hoc dispar Episcopo, quod non potest visitare ecclesias suas amplius quam semel in anno; *d. cap. mandamus*: eodemque jure archidiaconus convocat synodum propriam intra metas dioecesis suae; Baldricus Noviomensis Episcopus apud Miraeum in codice donationum piarum, cap. 71. *Porro si archidiaconus, sive decanus in ecclesia supranominatae villae synodum tenuerint*. Et Lothar. III. Imp. in privilegio ecclesiae S. Servatii Trajectensis, eodem in codice cap. 87. *Et consuetudo est longo usu in habitum conversa, ut presbyter parochiae sancti Servatii, & presbyter parochiae sanctae Mariae, praesidente archidiacono communiter habeant synodum in ecclesia sanctae Mariae*. Archidiaconi erat in hujusmodi synodis presbyteros erudire in his quae pertinent ad sacramentorum administrationem. In synodo Londinens. habita anno 1237. apud Matth. Paris. *Archidiaconi quoque in decanatuum suorum conventibus, sacerdotes maxime in his studeant erudire; docentes eos qualiter circa baptismum, poenitentiam, eucharistiam, & matrimonium, debeant se habere*. Ejusdem est convocare synodum episcopalem; capitular. lib. 5. cap. 9. *Presbyteris & clericis sic ordinavimus, ut archidiaconus Episcopi eos ad synodum convocet*. Et eo nomine archidiacono debetur synodus, id est synodaticum, ut circata, id est procuratio pro visitatione saltem pro parte: de utroque Innocent. III. lib. 2. epist. 73. *Archidiaconibus tertiam partem de circatis & synodis*. Jo Saresber. epist. 4. *Praeterea dicebat se litem injicere super alia ecclesia ab eodem Richardo, qui tam Episcopo, quam archidiacono synodalia & quosdam reditus episcopales moliebatur auferre*. Manumissiones in ecclesia fiebant apud Episcopum, ex constitutione Constantini; *l. 1. C. de his qui in eccles. manumitt.* Augustinus, vel alius quisquis est, serm. 53. (al. serm. 356. num. 6.) ad fratres in erem. *Tamen de laboribus suis antequam esset clericus emerat aliquos servulos, hodie illos in conspectu vestro manumissurus est episcopalibus gestis*. Praeter Episcopum moris fuit adhiberi archidiaconum, qui manumissionis gesta conficiebat; legis Ripuar. tit. 60. *Hoc etiam jubemus, ut qualiscumque Francus Ripuarius, seu tabularius servum suum pro animae suae remedio, seu pretio, secundum legem Romanam liberare voluerit, ut in ecclesia coram presbyteris, diaconibus, seu cuncto clero, & plebe in manu Episcopi servum cum tabulis tradat, & Episcopus archidiaconum jubeat, ut ei tabulas secundum legem Romanam, qua ecclesia vivit, scribere faciat*: & hoc muneris archidiacono imponit quoque Isidorus in *d. can. perlectis*, 25. *dist.* Gesta libertatum ecclesiasticarum archidiacono refert & Ebo Remensis, in opusculo supra laudato, de ministris Remensis ecclesiae: *Archidiaconi officium est libertates liberorum cum testibus probare*. Archidiaconi partes etiam erant dies jejuniorum & solemnium festorum in ecclesia indicere; *d. can. perlectis*, id muneris & officii penes se habuisse archidiaconum monasterii S. Albani in Anglia indicat Matth. Paris. ad annum 1257. *Circa eosdem dies . . . abbas & conventus sancti Albani, perpendentes de inundatione pluviarum immoderata, tam foenis, quam segetibus suffocationem generalem imminere, prout consuevit in tali fieri periculo, constituerunt in capitulo, ut indicto jejunio per archidiaconum, tam in populo, quam conventu, cum processione solemni feretrum sancti Albani ad sanctae Mariae ecclesiam, quae de Pratis dicitur, deportaretur*. Peculiaris vero erat cura Episcopi Alexandrini, ut diem paschatis denuntiaret universis Episcopis Aegyptiis, quin etiam & sedi apostolicae, ut constat ex Cassiano *collat.* 10. *cap.* 2. & Leone *epist.* 64. *ad Martianum*. Episcopus Carthaginensis jure primatus eundem diem paschae significabat per litteras formatas omnibus Episcopis Africae; *concil. Carthag. V. can. 7. can. placuit. 24. de consecr. dist.* 3. ac tum archidiaconus

conus in ecclesia episcopali diem paschæ denuntiabat, quo innotesceret per ceteras diœcesis ecclesias. Archidiaconus pro Episcopo legationes obibat. Per Flodegarium archidiaconum, & Arderadum vicedominum legatos, D. Benedictum, ejus sanctitatis fama permotus, adiit Bertigramus Cenomanensis Episcopus; de quo Adrevaldus lib. 1. de mirac. S. Benedict. cap. 6. *Eadem tempestate Bertigramus venerabilis vitæ vir, ac Pontifex Cenomanicæ urbis, fama percitus probatissimi patris, legatos ad eum direxit Flodegarium archidiaconum, & Arderadum vicedominum suum.* Per Hermen archidiaconum Leonem Papam consuluit Rusticus Narbonensis Episcopus, ex *epist. Leonis* 92. Vivianum archidiaconum urbis veteris ab Alexandro III. legatum destinatum in Angliam, indicat Jo. Saresber. epist. 271. *Dimissi sunt ergo nuncii Regis impotes voti, hoc solum impetrato, ut dominus Papa mitteret nuncios, qui pacem procurarent, Gratianum subdiaconum & magistrum Vivianum, urbis veteris archidiaconum, qui munere advocationis fungi solet in curia.* Denique, in omnibus archidiaconus erat legatus Episcopi, ejusque jussa populo intimabat; Bernard. epist. 78. de quodam archidiacono Regis dapifero: *Quis sane non miretur, immo & detestetur unius esse personæ & armatam armatum ducere militiam, & alba, stolaque indutum in medio ecclesiæ pronunciare evangelium, tuba indicere bellum militibus, & jussa Episcopi populis intimare?* Episcopus per archidiaconum silentium indicebat; Hieronymus ad Pammachium: *Nonne ante sepulcrum misso archidiacono præcepisti, ut talia disputans conticesceret?* quod tamen officii commune fuit diaconis; Gregorius Turonensis lib. 7. cap. 8. *Unde factum est, ut quadam die dominica, postquam diaconus silentium populis ut missæ auscultarentur indixit.* Si omnes archidiaconi partes scire te delectat; archidiaconi erat non modo evangelium legere, sed etiam prædicare. Hinc Stephanus protodiaconus & martyr, verbi prædicatione in se commovit Judæos, & martyrii palmam nactus est; actuum Apostolor. *cap.* † 7. In gestis Vincentii diaconi legimus, cum evangelii prædicandi officium suscepisse a Valerio Cæsaraugustano Episcopo, quo ipse per se ob linguæ vitium fungi nequibat. Hanc curam multis sæculis agnovere archidiaconi in Gallia; Ebo Remensis in opuscul. de ministris Remensis ecclesiæ: *Archidiaconi officium est, verbum etiam faciendi ad populum in diebus festis providere, & facere.* Et cum indicto bello sacro oratores pontificii missi sunt per provincias, ut populos cohortarentur ad dandum nomen militiæ, aut æs conferendum in sumptus expeditionis, archidiaconis mandatum est a Pontifice, ut plebem convocarent, ut orantes pro bello audiret; Matth. Paris. ad ann. 1235. *Habuerunt autem ex mandato apostolico provinciarum archidiaconos, & decanos, qui in locis singulis parochianos, viros & mulieres convenire fecerunt: ita ut nullus remaneret sub pœna anathematis, quin eorum prædicationibus interesset.* In obsequio & functione archidiaconi erat quoque susceptio chrismatis, & dispensatio per subjectas ecclesias; concil. Antissiodor. can. 6. *Ut a media quadragesima presbyteri chrisma petant, & si quis infirmitate detentus venire non potuerit, ad archidiaconum suum, vel archisubdiaconum transmittat, sed cum chrismario & linteo, sicut reliquiæ sanctorum deportari solent.* Hinc avaritiæ nota perstringuntur archidiaconi, quod pro chrismate nummos ab ecclesiis emungerent; *cap. ea quæ, de simonia*; quod pertinet ad archidiaconos: est enim pars *cap. ea quæ, de censibus*, ubi agitur de modo collectæ denarii S. Petri per archidiaconos faciendæ. Denique archidiaconus nedum Episcopi vicarius erat in omnibus, & totius rei ecclesiasticæ curator, sed etiam quasi censoria potestate utebatur, sacrosque canones observandos suggerebat Episcopo, & presbyteris, nec non ipsis abbatibus cum monachis accedentibus ad Episcopum; *concil. Nican. Arabic. can. 56. Tolet. I. can. 20.*

C A P. XIV.

Institutio archidiaconi, ejusdem ætas, ordo, gradus, & dignitas.

EXPOSITIS his quæ essent muneris & officii archidiaconi, ut intelligatis non immerito eum locari inter adjutores Episcopi, non alienum erit subjicere ad quem pertineat electio, seu institutio archidiaconi, & qualis sit eligendus. Primitus archidiaconi electio fuit penes ipsos diaconos, ita ut unus ex eorum choro eligeretur; Hieronymus loco supra laudato: *Diaconi eligant de se, quem industrium noverint, & archidiaconum vocent*. Sed ex pontificiis constitutionibus placuit, ut archidiaconus ordinetur ab Episcopo; *can.* 1. *& seq.* 60. *dist.* & inde deducto jure, collatio archidiaconatus, ut aliorum beneficiorum, pertinet primum ad Episcopum, & eo cessante devolvitur ad Romanum Pontificem; *cap. licet, de suppl. neglig. prælat.* ubi quæstio est de archidiaconatu Richemundiæ Eboracensis ecclesiæ in Anglia: hoc jure jam olim usi Galliarum Episcopi: Aymerico Claromontensi Episcopo, ob collatum W. de Longeio archidiaconatum, gratias agit Hildebertus Cenomannens. epist. 55. *Gratias igitur beatitudini vestræ de collato agens beneficio, eundem Willelmum vobis & vestræ commodo ecclesiæ, ab ea quam consecratori suo debet obedientia liberum omnino & absolutum, ex abundanti est pro eo intercedere apud vos, quem fecistis ultro, non quodlibet membrum corporis ecclesiæ, sed oculum*. In Oriente collatio archidiaconatus non pendet ex collatione Episcopi, vel patriarchæ, sed defertur antiquiori ordinationis tempore, & prærogativa ordinis; Joannes Episcopus Citri, 1. respons. ad Cabasilam **), τὸ ἀρχιδιακονικὸν ὀφφίκιον οὐκ ἔστιν ἀρχοντίκιον, οὐδὲ ἐκ φιλοτιμίας ἀρχιερατικῆς ὥσπερ τὰ ἀρχοντίκια, περιφορᾶς δὲ πόλλων ἡλίων συμπέρασμα. *Archidiaconi officium non est magisterium, nec ex liberalitate pontificia, ut magisteria, sed est circumvolutionis multorum annorum terminus*. Qualis legendus sit archidiaconus, ex conc. Pictaviens. & Arvernens. habito sub Urbano II. nullum in archidiaconum ordinari fas est, nisi diaconus sit; *can.* 1. *& seq.* 60. *dist. cap.* 1. *de ætat. & ordin. præficiend. cap. cum in cunctis*, §. *inferiora, de elect.* Archidiaconorum ordo non alius fuit, quam diaconorum, quare cum presbyteri fiebant, archidiaconatu absolvebantur. Joannem archidiaconum Cabillonensem, diu in archidiaconatu detentum, ne aucta dignitate, nempe per presbyteratus ordinem, archidiaconatu amoveretur, testatur Sidonius lib. 4. epist. 25. *Archidiaconus, in quo seu gradu, seu ministerio multum retentus propter industriam, diu dignitate non potuit augeri, ne potestate posset absolvi*. Labente disciplina, tolerati archidiaconi etiam presbyteri, ut in ecclesia Remensi, Guntarius & Odelhardus archidiaconi presbyteri memorantur ab Hincmaro, in capitulis eis datis anno 877. In eis requiritur ætas 25. annorum; *d. cap. cum in cunctis*, §. *inferiora*: quin etiam ut archidiaconi, magistri in theologia doctoris aut licentiati in jure canonico charactere sint insigniti, placuit in conc. Trident. *sess.* 24. *de reform. cap.* 12. Quo gradu censendus sit archidiaconus, nimirum inter dignitates ecclesiasticas? Archidiacono inest dignitas; *cap. ad aures, de rescript.* quia habet jurisdictionem cum officio conjunctam, ideo rescripta pontificia executioni mandare potest; *cap. ex tenore, de foro compet. cap. in nostra, de procuratorib. cap. cum oporteat, de accusat.* quod est argumentum dignitatis ecclesiasticæ; *cap. statutum, de rescript. in* 6. Quamvis archidiaconus presbyteris ordine minor sit, tamen officio & dignitate eis præstat, eique defertur honos confessus post. Episcopum ante diaconos, & presbyteros; *conc. Nicæn. Arab. can.* 58. Hinc synodus VI. in Trullo *can.* 7. *in can. præcipi-*

cipimus, 93. *dist.* ubi vetuit, ne diaconus etiam in dignitate, hoc est in officio quolibet ecclesiastico, positus, ante presbyterum sedeat; statim excipit, nisi proprii Patriarchæ aut Metropolitani vices gerat, ἐπὶ ταῖς κεφαλαῖς, in synodo seu conventu ecclesiastico, tunc enim sicut illius locum tenens honoratur: adeoque archidiaconus, tanquam oculus & pars corporis ipsius Episcopi, abbates antistat; Panormitan. *in cap. per tuas, de simon.* In Anglia tamen archidiaconus locatur post Episcopos & abbates; Scriptores vitæ S. Thom. Cantuariensis, cap. 5. *Et ut per experientiam rerum facilius dispensationis ecclesiasticæ usum consequeretur a præfato Archiepiscopo sanctæ Cantuariensis ecclesiæ, a cujus uberibus coaluerat, archidiaconus constitutus est, ut sic Deo ordinante tempore suo, gradu suo archidiaconus in Archiepiscopum promoveretur: nam post Episcopos & abbates in ecclesia Anglorum, hic primus & dignior personatus habetur.* Archidiaconus Romanus sedebat ad pedes Pontificis, in concilio apud Barum habito, Urbano II. præside: summi honoris ergo juxta archidiaconum Romanum sedem meruit Anselmus Cantuariensis Archiepiscopus, & in orbe id est circulo pontificio locatus, quasi alterius orbis Pontifex: de quo Willelm. Malmesbur. lib. 1. de gestis Pontif. Anglor. *Annitentibusque proximis ad consessum apostolici levatus, sedere jussus juxta Romanum archidiaconum, cui ante Papam sedere moris est: includamus, inquit, hunc in orbe nostro, quasi alterius orbis Papam.* Idem narrat Eadmerus, *lib.* 2. Et ut in omnibus eluceat dignitas archidiaconi, is est individuus socius Episcopi, & comes laborum. In synodo vix apparuit Episcopus sine archidiacono. In conc. Nicæno, Alexandro Alexandrino Episcopo adstitit Athanasius ejus archidiaconus; & in eo strenue de fide certavit adversum Arianos; Socrat. *lib.* 1. *cap.* † 8. Sozomen. *lib.* † 1. *cap.* 17. Et quandoque in hujus individuæ consuetudinis argumentum, communis fuit sepultura archidiacono cum Episcopo. Hillidio Arvernensi Episcopo fuit archidiaconus nomine & opere Justus, qui vita migrans magistri tumulo sociatus; ut ait Gregor. Turonens. *lib.* 1. *cap.* 45. ne quos sacræ militiæ vinculum, & unum virtutis studium in vita conjunxerat, in morte sepultura divelleret ac dissociaret. Et Chalcedonensi concilio Ætius archidiaconus Constantinopolitanus functus est officio primicerii notariorum, qui exciperent gesta concilii, ut liquet passim ex *actis hujusce concilii*. Nec omittendum archidiaconis fuisse jus sigilli authentici æque ac Episcopis & abbatibus; synodus Londinensis apud Matth. Paris. (ad ann. 1237.) *Statuimus, ut sigillum habeant non solum Archiepiscopi & Episcopi, sed etiam eorum officiales. Item abbates, priores, decani, archidiaconi, & eorum officiales.* Denique quæ fuerit ratio hujusce dignitatis ex eo intelligas, quod etiam a natis in regia purpura spreta non fuerit: nimirum memorantur Henricus, & Philippus filii Ludovici Crassi fuisse archidiaconi Aurelianensis ecclesiæ. Gaudebant olim Episcopi stipatu & obsequio archidiaconorum, & horum exemplo ac æmulatione etiam abbates suos archidiaconos habere studuerunt; In synodo Londinensi apud Matth. Paris. (ad eund. ann. 1237.) *Si qui vero abbates archidiaconum vel decanum habent ex privilegio, vel consuetudine approbata, quod de matrimonialibus causis cognoscant diligenter*, &c. Postea res in contrarium versa est, & qui olim fuerant oculi Episcopi, postmodum ei offendiculum facti sunt, de quo proximo capite.

Rufin. lib. 9. cap. 5. *Sed & Athanasius eodem tempore Alexandri diaconus Alexandrin. Episcopi aderat, consiliis senem quam plurimi juvans.*

C A P. XV.

Archidiaconorum avaritia, exactiones, & sordes: eorumdem typhus, & unde manarit: quibus artibus in ordinem redacti archidiaconi.

UT auri & argenti contactu manus sordescunt, rei nummariæ cura & tritura facile contaminatus archidiaconorum ordo, & avaritiæ ingenium eis subrepsit. Hinc Lucium archidiaconum Pelusiotem avaritiæ insimulat Isidorus Pelusiota *lib. 1. epist. 29. & lib. 4. epist. 188.* Rursus Pansophium Archidiaconum increpat idem Isidorus *lib. 1. epist. 157. & 177.* quod illuderet Eusebio Episcopo, qui venales habebat ordinationes. Eo turpitudinis lapsi sunt archidiaconi, ut clerici adulteria, & alia quælibet scelera ab eis facile redimerent pretio, vel obsequio; Ambros. in apocalyps. cap. 18. *Est & aliud scelus valde pessimum, quod ab eis qui archidiaconi appellantur committitur; nam ab adulteris presbyteris pretium accipiunt, & tacendo in malum consentiunt, quod per auctoritatem, quam ab Episcopis acceperunt, emendare possent. Sunt etiam alii ex hujusmodi presbyteris, qui timentes se damnari pro sceleribus suis, in servitiis archidiaconorum plus sunt assidui, quam ceteri.* Tyrannidis damnati archidiaconi, quod a presbyteris parochianis census exigerent; conc. I. Cabillonens. cap. 15. *Dictum est, quod in plerisque locis archidiaconi super presbyteros parochianos quandam exercent dominationem: quod magis ad tyrannidem, quam ad rectitudinis pertinet ordinem, can. dictum est, 94. dist.* Cum archidiaconorum avaritia ecclesiæ esset scandalo, ut Episcopi eorum moribus invigilarent, & horum sordes cohiberent, imperatum synodo Aquisgranensi, can. 25. *Statuimus, ut unusquisque Episcoporum super archidiaconis suis deinceps vigilantiorem curam adhibeat; quoniam propter eorum avaritiam, & morum improbitatem multi scandalizantur, & ministerium sacerdotale vituperatur, & in ecclesiis a sacerdotibus multa propter eos negliguntur.* Necdum ad bonam frugem rediere archidiaconi, quinimo, ut successus sceleris, & ignavia magistratuum reos audaciores facit ad peccandum, archidiaconi Episcoporum inscitia & torpore elati non desiere annuis exactionibus clericos urgere, cessantes in solutione ab officio suspendere, ecclesias interdicere, delictorum pœnas pretio addicere; quod notat Hincmarus Remensis in capitulis archidiaconis & presbyteris datis, cap. 3. *Ut a presbyteris exenia non accipiatis, quatenus illorum mala fama cooperiatur.* Et post hunc Alexander III. in cap. licet, de pœnis: *Accepimus, quod archidiaconi Conventrensis episcopatus, pro corrigendis excessibus & criminibus puniendis, a clericis & laicis pœnam pecuniariam exigunt, & pro annua exactione pecuniæ personas quandoque suspendunt, ecclesias interdicunt, a vicariis denarios, ut eos in ecclesiis cantare permittant, exigere non formidant, & alia agunt, quæ canonum obviant institutis, & de radice cupiditatis & avaritiæ prodire videntur &c.* Nefarie occisus Thomas prior S. Victoris Parisiensis, quod illicitas archidiaconi exactiones in presbyteros palam damnaret; Bernard. epist. 158. *Ob illicitas exactiones, quas sibi occasione archidiaconatus in presbyteros minime jam ut consueverat usurpare liceret, beati utique Thomæ obviante zelo, atque industria, utpote justitiæ amatoris & defensoris oderat illum, & mortem ei jam ipso odio homicida minitari solebat.* Quin & archidiaconi in jura episcopalia, synodaticum, cathedraticum, procurationes, & alias consuetudines manus injecere; quam ob causam Petrus Blesensis ex Bathoniensi Londinensis archidiaconus factus, acerbe querebatur, se non æquis conditionibus cum aliis archidiaconis uti: *Nec ab aliqua ecclesiarum*, ajebat ille

epist.

epist. 151. *synodalia, vel cathedraticum, sive procurationes, vel auxilia, seu hospitia, nec aliquas consuetudines debitas archidiaconis possunt elicere a subjectis*. Eorumdem sordes in jure dicundo perstringit Jo. Sarisber. Polycrat. lib. 5. cap. 16. *Qui decani sunt, vel archidiaconi? nisi illi in quorum manibus iniquitates sunt, dextera eorum repleta est muneribus*. Notantur & archidiaconi de pravis exactionibus pro investitura ecclesiarum; Alexander III. *in cap. in tantum, de simon.* ad Cantuar. Arch. *Pravam etiam illam consuetudinem de tua provincia studeas abolere, per quam pro ecclesiarum investitura archidiaconi marcam argenti, minores vero decani vaccam albam sibi dari postulant, vel certam solvi pecuniæ quantitatem*. Eodem fomite, id est sacri ærarii dispensatione, nimium intumuere archidiaconi, adeo ut presbyteris se præferrent, & in ipsos Episcopos supercilium erigerent: Pansophium archidiaconum, ut mansuetum & humilem se præbeat, admonet Isidor. Pelusiot. lib. 1. epist. 157. οὐ γὰρ, inquit, πολιτικὴν τινὰ χειρίζεις ἡγεμονίαν, τύφῳ καὶ κόμπῳ φλεγμαίνουσαν· ἀλλὰ διακονίαν εἰρηνικὴν καὶ ἀτάραχον: *non enim civilem geris præfecturam fastu & pompa tumentem, sed ministerium pacificum & tranquillum*. Lysiardum Parisiensem archidiaconum Episcopo suo gravem & infensum, & cum oculus Episcopi esse deberet, clavum in ejus oculum impactum, notat Fulbertus epist. 34. *Inter quos videlicet adversarios unus est nomine Lysiardus, olim quidem archidiaconus, qui cum esse deberet oculus Episcopi sui, dispensator pauperum, catechizator insipientium, apostatavit ab omnibus his, & factus est Episcopo suo quasi clavus in oculum, prædo pauperibus, dux erroris insipientibus*. Pari censura archidiaconum Carnotensem gloriosum archilevitam vocat Goffridus Vindocinens. lib. 2. epist. 17. ad Ivonem E. Carnotens. *Indiscrete gloriosus vester archilevita, quasi propheta docens mendacium, solvenda ligat, & solvit liganda*: Et apud Ægidium Aureæ Vallis, de gest. Leodiens. Pontific. cap. 85. *Et ne tibi paternæ consolationis penitus munia subtraham, precor archidiaconatus tui moderare gloriolam*. Has ob causas omnibus admotis machinis enisi sunt Episcopi archidiaconos in ordinem redigere, & illorum typhum coercere: hoc consilio Natalis Episcopus Salonitanus, Honoratum archidiaconum ad presbyterii ordinem invitum promovit, ut specie altioris gradus eum degradaret ab officio & administratione archidiaconatus: de quo graves querelæ apud Gregorium I. *can. quorumdam, can. † Honoratus, 74. dist.* Eodem consilio Petrus Blesensis Bathoniensis archid. suadebatur, ne in diaconatus ordine permaneret, & ad sacerdotium ascenderet, sed quas excusationes necteret, arguit integra ejusdem epistola 123. Nec his artibus solum actum in archidiaconos, sed etiam multi ab ecclesiis penitus explosi sunt, eorumque nomen & officium sublatum: hodie in ecclesia Romana nullus auditur archidiaconus: olim quidem in ecclesia Constantinopolitana, & sacello palatino erat archidiaconus, sed postea ecclesia caruit archidiacono, eumque retinuit solum ædes Palatina; Codinus de offic. Constantin. (cap. 17. num. 38.) καὶ εἰς μὲν τὸ παλαιὸν εἶχε, καὶ ἡ ἐκκλησία ἀρχιδιάκονον, νῦν δὲ οὐδαμῶς, ἀλλ' ἔχει τοῦτον ὁ κλῆρος τοῦ Βασιλέως: *Habuit etc ejsa quoque archidiaconum, nunc vero minime, sed eum habet Imperatoris clerus*. Et archidiaconum designavit Imperator ex ordine exocatacœlorum; idem Codinus (ibid. cap. 9. num. 6.): ὁ Βασιλεὺς, ὅτε προβάλλεται ἀρχιδιάκονον ἐκ τῆς τοιαύτης τῶν ἐξωκατακοίλων τάξεως, ὡς ἐντιμοτέρων τῶν ἄλλων ὄντων προβάλλεται τοῦτον, καὶ οὐκ ἄλλοθεν: *Imperator igitur, quando designat archidiaconum ex exocatacœlorum ordine, tanquam ceteris honoratiore, eum designat, nec aliunde assumitur*. Eandem ob causam ab ecclesia Coloniensi & aliis provincialibus submotos archidiaconos observat Anselmus Leodiens. de gest. Leodiens. Pontif. cap. 85. *Coepiscopos & archidiaconos ob insolentiam removit ecclesia, unde & his caret usque in præsens metropolis Colonia, & tota provincia*. Ubi mitius actum in multis ecclesiis, plures instituti fuere archidiaconi, ut diducta in plu-

res dignitas, numero & rerum tenuitate vilesceret, ac si flumen in plures rivulos dividas, nomen amittat necesse est. Hac arte Richard. Cantuariensis ex uno archidiacono tres constituit; Matth. Paris. ad an. 1176. *Eodem anno Richardus Cantuariensis Archiepiscopus in diœcesi sua, quæ ab antiquis temporibus uno tantum fuerat archidiacono contenta, ultimis his diebus tres archidiaconos constituit, Savaricum scilicet, Nicolaum, & Herebertum.* Et quia archidiaconi habebant suam diœcesim, & plures ecclesias sibi censuales, & obnoxias, Episcopi eas a jurisdictione archidiaconorum exemere; Alexander III. in *cap. ad hæc, de excess. prælat. Quoniam Episcopus plures ecclesias a consuetudine & obsequio archidiaconorum liberas constituit & immunes, per quod reditus deminuit eorumdem &c.* Hoc invento adeo diminuti sunt archidiaconi, ut hodie archidiaconatus sit fere nudum & inane nomen dignitatis, & a multis jam sæculis ita obsolevit potestas archidiaconorum, ut ipse Innocent. III. consultus, quid ad officium archidiaconi pertineret, fere hæserit, ut ipse fatetur, in *cap. ad hæc, de offic. archid. Sane consuluit nos tua fraternitatis devotio, quid ad officium archidiaconi debeat pertinere: . . . . & nos prout possumus respondemus, &c.*

CAP. XVI.

Archipresbyter unus ex adjutoribus Episcopi. Archipresbyteri alii urbani, alii rurales. Munia & jurisdictio archipresbyteri. Major & minor benedictio.

IN Episcopi adjutorum numero archidiaconis subcenturiantur archipresbyteri; etsi enim archipresbyteri sint ordine majores, unde in his quæ sunt ordinis prius nominantur; *can. Salvator 1. qu.* 3. tamen dignitate & officio minores sunt, & subjacent jurisdictioni archidiaconi; *can. perlectis*, 25. *dist. cap.* 1. *cap. ad hæc, de offic. archidiac.* adeoque archipresbyteri electio pertinet ad archidiaconum, una cum clero & plebe, ut modo probatum ex *can. si in plebibus*, 63. *dist.* & Arnulpho Lexoviensi: aut saltem, quod est juris recentioris, archipresbyter non potest institui, vel destitui sine mandato Episcopi & archidiaconi, cum utriusque commune officium exerceat; *d. cap. ad hæc*; & ut archipresbyterum archidiacono cedere intelligas, in decretalibus *tit. de officio archipresbyteri*, locatur post *tit. de officio archidiaconi*. Inter adjutores Episcopi merito censetur archipresbyter; nam archipresbyter vices gerit Episcopi, eo absente, in his quæ pertinent ad sacerdotale officium, exceptis prohibitis, id est his quæ sunt episcopalis ordinis; *d. can. perlectis*, & *cap.* 2. *de offic.* † *archipresbyt.* Archipresbyter præest presbyteris, unde πρωτοπρεσβύτερος dicitur apud Socrat. *lib.* 6. *cap.* 9. & synod. VII. *act.* 4. & 7. recentioribus Græcis πρωτοπαπᾶς, ut Codino. Sic & chorepiscopum, in cujus locum successit archipresbyter, πρωτοπαπᾶν vocat Balsam. in *can.* 59. *Apostolor.* & *can. Antiochen.* 10. fuitque protopapa etiam in sacello Augustali, Cedrenus, (in Zoe Augusta num. 304.) ἀποσταλεὶς ὁ πρωτοπαπᾶς τοῦ παλατίου μετὰ τῶν τιμίων ξύλων: *Missus protopapas palatii cum venerandis lignis*. Archipresbyter, inquam, est primarius & Princeps presbyterorum, unde jam olim dictus decanus, quod nomen ductum a militia quasi a numero subjectorum; *can. in capite*, 50. *dist. can. nullus Episcopus*, & *seq.* 60. *dist. can. nullus omnino*, 16. *qu.* 7. *cap. cum apostolus, de censib. cap.* 2. *ne prælat. vices suas, vel eccles. sub ann. cens. conced.* ut in monasteriis fuere decani, qui singulis decuriis monachorum erant præfecti, & in majoribus monasteriis non unus, sed plures erant, quorum senior primas tenebat post abbatem & præpositum; *concil. Aquisgranens. can.* 12. Inde & de-

decania est tractus, seu territorium archipresbyteri; capitulare Caroli Calvi 5. *tit.* 3. ex conc. Tolos. haustum: *Statuant Episcopi loca convenientia per decanias, sicut constituti sunt archipresbyteri.* Archipresbyterorum alii sunt urbani, seu civitatenses, alii rustici & forenses, quos rurales decanos vocant. Archipresbyter seu decanus urbicus est, qui in urbe constitutus est: is est caput capituli; *cap. cum inter universas, de elect. cap. post electionem, de concess. praebend.* & habet primariam vocem in capitulo; *cap. auditis, de elect.* ejus officium est curam agere super omnes presbyteros in ordine seu canone positos, & assidue stare in ecclesia; *d. can. perlectis, & cap. 1. de off. archipresbyteri*; assidue, id est omnibus horis canonicis, horis competentibus; *cap. 2. eod. tit.* qua loquendi formula assiduus vindex dicitur, pro idoneo & locuplete fidejussore, qui paratus est æs dare ad diem; Quintiliano *lib. 5. cap.* 10. & Gellio, *lib. 16. cap.* 10. Archipresbyteri, inquam, est agere curam presbyterorum, & maxime canonicorum; Walafrid. Strabo *de reb. ecclesiastic. cap. ult.* Sunt etiam archipresbyteri in episcopiis canonicorum curam gerentes, unde decanus habet curam animarum, & ad hoc in eo requiritur ætas 25. annorum, & ut intra annum presbyter ordinetur; *can. 1. & seqq. 60. dist. cap. cum in cunctis, §. inferiora, de elect. cap. 1. de ætat. & ordin. præfic.* Absente Episcopo archipresbyter vice ejus missarum solemnia celebrat, & collectam dicit, vel cui ipse injunxerit; *d. can. perlectis, & cap. 1. de offic. archipresbyter.* Collectam intellige solemnes preces, quæ post evangelium in ambone seu suggestu ecclesiæ recitantur; *Synod. VII. can. 14. can. quoniam videmus, 69. dist.* σύναξιν vocant Græci: Joannes Chrysostomus, homil. 77. **) ad Popul. Antiochen. ἐὰν δὲ ἀτασιαν καὶ τὰς ἐν ταῖς συνάξεσι ῥαθυμίας: *Si pœnas repetat negligentiæ in collectis.* Et ipsa synodus VII. καὶ ἀναγινώσκοντες ἐν τῇ συνάξει ὑπ' ἄμβωνος, *& in collecta super ambonem legentes.* Ejusdem archipresbyteri officium est, observare vitam & ministerium sacerdotum cardinalium; *cap. 1. de offic. archipresb.* id est parochorum civitatis, qui presbyteri cardinales dicuntur, ad differentiam presbyterorum pagensium, & vicanorum, ex epist. Zachar. 7. ad Pipinum: ut ecclesiæ constitutæ in urbe dicuntur tituli cardinales; *concil. Meldens. can.* 54. & sane presbyteri urbis in tantum dignitate præstant presbyteris ruris, ut presbyteris ruris in ecclesia civitatis non liceat offerre præsente Episcopo, vel presbyteris ipsius urbis; *concil. Neocæsar. can. 13. can. presbyteri, ult.* † 95. *dist. & conc. Bracar. II. can.* 56. Archipresbyteri quoque est fontes benedicere, id est fontes baptismales, infirmum oleo perungere, pœnitentem infirmum reconciliare, consulto Episcopo; *cap. 2. de offic. archipresb.* de occultis sc. peccatis pœnitentem potest reconciliare jussione Episcopi; *can. presbyteri, 26. qu. 6.* publicos enim pœnitentes reconciliare solius est Episcopi; *conc. Carthag. II. can. 3. Carthag. III. can.* † 32. *Agath. can.* † 44. *can. 1. can. ministrare, can. presbyter* 14. 26. *qu.* 6. & fertur de Petro protopresbytero ecclesiæ Alexandrinæ, quod pulsus sit a Theophilo P. quod mulierem Manichæam, erroribus sectæ nondum defecatam, ad sacra admisisset inscio Episcopo; Socrat. *lib. 6. cap. 9.* in publica tamen pœnitentia non vacabant omnino partes archipresbyteri: ad eum enim pertinebat publicos pœnitentes præsentare Episcopo pro foribus ecclesiæ; *concil. Agath. can. 9. can. in capite, 50. dist.* Archipresbyteri & officium est, absente Episcopo vice ejus sacrum officium inchoare, benedictiones presbyterales super plebem in ecclesia fundere; *cap.* † 3. *de off. archipresbyter.* ait benedictiones presbyterales: alia enim est benedictio major & solemnior, alia minor, & minus solemnis: laico neutram facere licet sive parvam, sive magnam, εὐλογίαν μικρὰν, ἢ μεγάλην, Clemens constit. apostolic. *lib.* 3. *cap.* 10. neque ab hæreticis εὐλογίας, seu benedictiones omnino accipere licet, quia benedictiones hæreticorum sunt potius maledictiones, quam benedictiones, ex *conc. Laodicens. can.* 32. *& conc. Martini Papæ, can.*

70. *can. non oportet*, *can. non liceat*, 1. *qu.* 1. presbyteri minorem id est minus ſolemnem benedictionem plebi impertiri poſſunt; *can. ecce ego*, 95. *diſt. can. cum ad celebrandas*, *de conſecr. diſt.* 1. & hujusmodi benedictionem olim presbyteri & monachi publice & privatim dare ſolebant; Beda lib. 3. hiſt. Anglic. cap. 26. *In magna erat veneratione tempore illo religionis habitus, ita ut ubicumque clericus aliquis, aut monachus adveniret, gaudenter ab omnibus tamquam Dei famulus exciperetur, etiam ſi in itinere pergens inveniretur accurrebant & flexa cervice, vel manu ſignari, vel ore illius ſe benedici gaudebant*. Benedicere vero prohibentur presbyteri, ſi per ignorantiam vetitas nuptias contraxerint: nec enim conſentaneum eſt, ut is alteri benedicat, qui benedictione & expiatione culpæ ſuæ indiget: benedictio enim eſt ſanctificationis communicatio; *ſynod. VI. in Trull. can.* 26. *& apud Baſil. epiſt. canonicæ ad Amphiloch. can.* 27. Benedictionem vero ſolemnem ſuper plebem in eccleſia fundere presbytero penitus non licet, nec alii quam Epiſcopo, ex *conc. Agath. can.* 44. *can. miniſtrare*, 26. *qu.* 6. & proprium Epiſcopi munus eſt ſolemnis benedictio: ita Chryſoſtomus ab exſilio revocatus, & ad eccleſiam deductus, a plebe rogatus epiſcopalem ſedem capeſſere, & benedictionem ex more dare, καὶ συνήθως τῷ λαῷ τὴν εἰρήνην ἐπεύξασθαι. Et cum ille diceret, non prius ſibi licere, quam ſententia Rom. Pontificis ad quem appellaverat reſtitutus eſſet, victus populi ſtudiis cathedram repetiit, & ex more benedictionem miſit in populum, συνήθως μὲν τὴν εἰρήνην τῷ λαῷ ἐπηύξατο, ait Socrat. *lib.* 6. *cap.* † 16. Adeoque abbates ſolemnem benedictionem impendere non poſſunt ſuper plebem, niſi ex ſpeciali privilegio ſedis apoſtolicæ, idque in eccleſiis ſibi pleno jure ſubjectis; *cap. abbates*, *de privileg. in* 6. ſolemnis autem benedictio eſt, quam Epiſcopus poſt ſacrorum ſolemnia profundit in populum hac formula: *Sit nomen Domini benedictum*, &c. Et quam diaconus ab eo petit pro plebe ſolemni prece: *Jube domne benedicere*, ut monet Oſtienſis, *in ſumma hujus tit. & gloſſ. in d. cap. abbates*. Archipresbyteri etiam eſt curare, ne euchariſtia in ſacrario deſit, neve infirmi e vita migrent ſine pœnitentiæ & euchariſtiæ ſacramentis; *d. cap.* 3. *de offic. archipresb.* etiam pœnitentibus in extremo vitæ diſcrimine, ne denegetur communio euchariſtiæ, tamquam ſacrum viaticum τελευταίου ἐφοδίου, vetat *can.* 13. *Nicænæ ſynodi*. Archipresbyter, ſeu decanus, etiam eſt nomen dignitatis, & exercet vices id eſt juriſdictionem Epiſcopi, velut archidiaconus; *can. nullus* 11. 16. *qu.* 7. *cap. ſignificavit*, *de converſ. conjugat.* & de matrimonialibus cauſis cognoſcit; *cap. ex litteris*, *de conſang. & affinit.* necnon de incantatoribus & maleficis; *ex conſtit. Caroli M. de pace*, *cap.* 25. Quinimmo eo res lapſa eſt, ut Epiſcopi & archidiaconi vices ſuas, id eſt exercitium juriſdictionis & ejus emolumenta, ſub annuo cenſu locarent archipresbyteris, ſeu decanis, quod vetitum fuit *cap.* 1. *&* 2. *ne prælat. vic. ſuas*: alias & decanus habet propriam juriſdictionem de conſuetudine; *cap. dilectis*, *de appell.* & utitur ſigillo authentico, ut Epiſcopus & archidiaconus, ut jam obſervatum ex concil. Londinenſi, apud Matthæum Pariſ. Item archipresbyter ſeu decanus habet jus viſitandi eccleſias tractus ſui, & procurationem exigendi eo nomine; *cap. cum apoſtolus*, *de cenſib.* Archipresbyter enim habet ſuum clerum & ſuas plebes; *cap. ult. de offic. archipresbyt.* & quoties rus pergit, non debet procedere ſine aliquo ex ſuis clericis, ut teſtem habeat converſationis; concil. Turonenſ. III. can. 20. *Quotiescumque archipresbyter ſeu in vico manſerit, ſeu ad villam ſuam ambulaverit, unus lector canonicorum ſuorum, aut certus aliquis de numero clericorum cum illo ambulet*. Quæ fuerit dignitas archipresbyteri intelligere juvat ex eo, quod Petrus protopresbyter eccleſiæ Romanæ, tamquam unus ex legatis ſedis apoſtolicæ, præfuit ſynodo VII. ut patet ex ejus geſtis: & Mundericus Tetrico Lingonenſi Epiſcopo coadjutor & futurus ſucceſſor datus, interim ſatis ſibi habuit, ut Torno-

nodorense castrum archipresbyteri nomine regeret, ut jam a me observatum ex Gregor. Turonensi. Non alius quam archipresbyter fuit Claudianus, frater Mamerci Viennensis Episcopi, qui dicitur antistes secundi ordinis, Sidonio lib. 4. epist. 11.

Antistes fuit ordine in secundo
Fratrem fasce levans episcopali.

Merito enim archipresbyter dicatur antistes secundi ordinis, quia presbyteri constituti sunt in secundo ordine post Episcopos. Nec ferendus Savaro, qui hunc locum voluit accipi de archidiacono; quia archidiaconi sunt in gradu diaconorum, qui sunt tertii ordinis, & ita Joannem ex archidiacono Cabillonensi, jam secundi ordinis sacerdotem, hoc est archipresbyterum fuisse, cum in Episcopum electus est, scribit ipse Sidon. epistol. 25. ejusd. libr. *Lector hic primum, sic minister altaris, idque ab infantia post laborum temporumque processu archidiaconus, in quo seu gradu, seu ministerio multum retentus propter industriam, diu dignitate non potuit augeri, ne potestate posset absolvi. Attamen hunc jam secundi ordinis sacerdotem, dissonas inter partium voces collegam sibi consecravere*. Ruralis archipresbyter rure degit, imperitæ plebis solicitudinem gerit, & presbyterorum, qui per minores titulos, id est vicanas ecclesias, dispositi sunt, vitam & mores observat, ut de his Episcopum doceat; *cap. ult. de offic. archipresbyteri*: ejus officium erat colligere dispensam, quæ a presbyteris debebatur Episcopo, eidemque inferre, ex supra laudato *capitulari Caroli Calvi*.



DISSERTATIONUM JURIS CANONICI, LIBER SECUNDUS.

CAPUT I.

Episcopus sibi vicarium assumere debet. Qualis esse debet vicarius. Officium & potestas vicarii, ejusdem dignitas.



Rchidiaconus & archipresbyter sunt vicarii & administri Episcopi; sed hi sunt vicarii nati, ut loquuntur, constituti a canone, jure dignitatis & officii, non ab Episcopo; *cap. 1. cap. ad hæc, de offic. archidiac. cap. 1. cap. officium, de offic. archipresbyter.* Præter hos, Episcopus alium vicarium sibi constituere potest, debetque; *can. cum simus, 9. qu. † 3. can. in † nona, 16. qu. 7. cap. quoniam in plerisque, de offic. ordinar. cap. Romana, & tot. tit. de offic. vicar. in 6.* Nec causetur Episcopus se non indigere vicario, quasi ipse sufficiat muneri; quia etsi valde idoneus sit, decet tamen, ut sua onera partiatur cum alio, ut de archipresbytero dictum est; *cap. ult. de offic. archipresbyt.* Quod si Episcopus moram faciat in assumendo vicario, ejus datio devolvitur ad Metropolitanum; *cap. ult. de suppl. negl. prælat. in 6. & conc. Trident. sess. 24. de reform. cap. 16.* & hoc exemplo magistratuum civilium comparatum, ut Episcopus sibi vicarium assumat; nam præfecti prætorio, & alii majores magistratus, sive urbani, sive provinciales, suos habuere vicarios; *l. 1. & 2. C. de offic. vicar.* & apud Cassiodor. *6. variar-*

viar. epist. 15. & passim in *notit. utriusque imperii*; ut in Gallia fuere vicarii Comitum; *concil. Cabillonens. II. can.* 21. & *capitular. lib.* 2. *cap.* 28. & apud Walafrid. Strabon. *cap. ult. de reb. ecclesiast.* Vicarius est, qui vices alterius gerit; *l. vicarius, ff. de legationib.* τοποτηρητὰς Græci appellant; *nov. Justin.* 8. *cap.* 4. & *nov.* † 131. *cap.* 1. & hoc significatu Episcopi ipsi dicuntur vicarii Domini, tanquam successores Apostolorum; Augustin. vel alius quisquis est, sermon. 37. ad fratr. in eremo: *Non intrat per ostium ad ecclesiam, qui per laicalem portam intrat; non enim laicis spiritualia dona tradita sunt, sed Domini vicariis.* Vicarii Domini sunt, qui vicem Apostolorum tenent. Labente tamen imperio vicarii dicti rectores provinciarum, qui alium supra se non haberent, ut de vicario Hispaniarum prodit Severus, lib. 1. hist. sacræ: *Hispaniarum vicario, nam jam proconsulem habere desierant.* Ergo Episcopus vicarium sibi adsumere debet, qui dicitur & officialis; *cap. ex frequentibus, de instit. cap. in tantum, de simon. cap.* † *cum in generali, de offic. vicar. in 6.* Idemque vocitatur missus Episcopi; *cap.* 1. *de frigid. & maleficiat.* ad differentiam missorum dominicorum, qui diriguntur ex comitatu Principis; de quibus intelligendum est *cap.* 2. *de regularib.* non ut *glossa* stulte voluit de vicariis seu officialibus Episcopi. Idem etiam vicarius Episcopi dicitur creditus Episcopi: sic Gumtramus Boso ad Magnericum Trevirensem Episcopum apud Greg. Turon. lib. 9. cap. 10. *Nequaquam*, inquit, *sed transmitte abbates, & creditos tuos, ut hæc quæ loquor exponant.* Quo sensu dicuntur & creditarii, id est missi Principis; in Vita Ludovic. Pii, & apud Aimon. Continuat. lib. 5. cap. 10. *Fideles ac creditarios a latere suo misit.* Dixi vicarium dici & officialem, ratio est, quia indivisa erat jurisdictio episcopalis, & vicarius Episcopi utramque, id est spiritualem & temporalem, judicialem & extrajudicialem exercebat: sed hodie alius est vicarius ab officiali, nam vicarius penes se habet jurisdictionem spiritualem, extrajudicialem, non contentiosam: officialis vero exercet jurisdictionem contentiosam, quæ in jure judicioque versatur. Porro vicarii duplicis sunt generis: alius est vicarius principalis, seu generalis, qui plenam habet jurisdictionem per universam diœcesim in spiritualibus & temporalibus; *cap. si Episcopus, de suppl. neglig. prælat. in 6.* ac hujusmodi vicarium sibi elegisse Balduinum Treverensem Archiepiscopum, scribit Albertus Argentinensis in chronic. *Balduinus Archiepiscopus, cum quadraginta duobus annis ecclesiam suam laudabiliter rexisset, ac propter senium & tenacitatem nihil amplius proficeret, Joannem de Liechtenberg valentem & providum in spiritualibus & temporalibus administratorem & vicarium ecclesiæ suæ deputavit.* Alius est vicarius foraneus, qui foris id est extra civitatem constitutus est in certa regione, seu parte diœceseos; de quo *in cap. Romana, de offic. ordinar. in 6. & clement. etsi principalis, de rescript.* sic foraticos presbyteros dixit Martinus Bracarensis, *in collect. can. oriental. can.* 56. pro pagensibus & vicanis presbyteris. Qualis autem esse debet vicarius Episcopi? Nimirum clericus esse debet, non laicus; *concil. Chalced. can.* 2. & *d. can. in* † *nona*, 16. *qu.* 7. laici enim ecclesiastica negotia administrare prohibentur; *can. indicatum*, 89. *dist. cap. ad nostram, de consuetud. cap. decernimus, de judic.* Immo vicarius Episcopi presbyter esse debet, ex constitutione regia, idemque debet esse doctor, vel licentiatus in jure, vel theologia, ex *conc. Trident. loco modo laudato*: nec modo clericus sæcularis, sed etiam monachus, vel religiosus creari potest vicarius Episcopi; *gloss. in can. de præsentium*, 16. *qu.* 1. Jo. Andreas *in cap. ult. de cleric. ægrot. vel debilitat.* Hoc jure jam olim Theophilus Alexandrinus Episcopus duos monachos ex eremo invitos accivit, & postquam eos in clericos ordinasset, administrationem ecclesiæ illis concredidit, καὶ τῇ τῶν κληρικῶν ἀξίᾳ τιμήσας τὴν οἰκονομίαν τῆς ἐκκλησίας αὐτοῖς ἐνεχείρισεν, ut auctor est Socrates, *lib.* 6. *cap.* 7. Hoc jure abbas Lobiensis

† V. si facit. Et adde *nov.* 17. *cap.* 10. *nov.* 128. *cap.* 20. & *nov.* 134. *cap.* 2.

est vicarius Leodiensis Episcopi; Ægidius de gest. Leodiensium Pontificum, cap. 62. *Abbas Lobiensis vicarius est Episcopi Leodiensis in ecclesia Leodiensi & Lobiensi*. Etiam Episcopus potest eligi vicarius Episcopi, ut in casu *cap. quoniam in plerisque, de offic. ordinar.* si eandem diœcesim inhabitent populi linguis varii & discrepantes, & Episcopus utriusque linquæ peritus non sit, Episcopus alium sibi vicarium adsumere debet linguæ peritum. Immo Londinensis Episcopus est vicarius natus Archiepiscopi Cantuariensis, & hoc jure in inauguratione Henrici I. Regis Anglorum Londinensis E. Cant. Archiepiscopi vices functus est; Matthæus Westmonaster. ad annum 1100. *In hac autem coronatione non est derogatum ecclesiæ, vel antistiti Cantuar. quia Londin. Episcopus Archiepiscopi Cantuar. immo totius Angliæ decanus, vices ejus in hoc officio exequebatur, & hoc charta ipsius testificatur*. Itemque Sabinensis Episcopus est vicarius Rom. Pontificis in urbe in episcopalibus; chronic. Normanor. ann. 1151. *Successit ei Conradus Sabinensis Episcopus, apostolicæ sedis in urbe dumtaxat in agendis episcopalibus, dum Papa deest, ex antiqua consuetudine pro dignitate loci sui vicarius*. Quomodo autem constituatur vicarius Episcopi? Non aliter creari potest, quam in scriptis, id est solemni & publico instrumento: nec prius munus suum exercere potest, quam ejus litteræ insinuatæ sint apud gesta episcopalia, ut omnibus innotescant: sic & Judex delegatus non prius mandatam jurisdictionem exercere valet, quam doceat de mandato; *cap. cum in jure, de offic. delegat.* & sedes apostolica non consuevit legatos suscipere absque signatis apicibus; *can. nobilissimus, 97. dist.* Denique gesta ecclesiastica non fiunt sine scriptura, propter fidem & auctoritatem rerum gestarum; ut Episcoporum electio fit decreto manibus omnium eligentium roborato: ordinatus a suis ordinatoribus litteras accipere jubetur: & excommunicatio, vel restitutio fit per libelli inscriptionem: & excommunicatus sine commendatitiis litteris in communionem non recipitur; *can. legum, 2. qu. 1. can. miramur, 24. qu.* † 1. quod ex parte sumptum ex *concil. Milevitan. II. can. 19. & African. can. 56.* pariterque collatio beneficiorum probatur per litteras, non per testes; *cap. ordinarii, de offic. ordinar. in 6.* Quæ vero sit dignitas & potestas vicarii scire in primis conducit. Sane vicarius Episcopi habet dignitatem quatenus Episcopi vices gerit, & est quasi Coepiscopus, unde antistes secundi ordinis dicitur: sic Claudianum Mamerci Viennensis Episcopi fratrem vocat Sidonius *loco superius laudato*, quem idem paulo ante *consiliarium in judiciis, vicarium in ecclesiis, procuratorem in negotiis, villicum in prædiis, tabellarium in tributis*, quibus, amabo, quid aliud signat, quam vicarium generalem in spiritualibus & temporalibus? Nec immerito vicarius Episcopi dicatur antistes secundi ordinis, quia & in civilibus muneribus vicariæ dignitas præfecturæ portionem obtinet; *d. l.* † 1. *C. de offic. vicar.* & ex Cassiodor. *loco supra laudato*. Vicarius etiam Episcopi dignitate coruscat, quatenus rescripta pontificia executioni mandare potest, quoties ad eum diriguntur; & hoc præstat vicario foraneo, qui hujusce potestatis expers est; *d. clem. etsi principalis*. Non idem tamen vicario debetur honos, qui Episcopo: vicarius enim Episcopi non præcedit canonicos in choro & capitulo, sed in actibus dumtaxat, qui ad ejus officium pertinent; *can. præcipimus, 93. dist.* & Balsam. *in can. 18. syn. Nicænæ*. Vicarius Episcopi habet propriam & ordinariam jurisdictionem; *DD. in d. cap. quoniam in plerisque, gloss. in cap. licet, verb. officialem, de offic. vicar. in 6.* quia datur ad universitatem causarum, & semel datus ab Episcopo, jurisdictionem & potestatem accipit a lege, seu canone; ut legatus proconsulis dicitur habere propriam jurisdictionem, etsi non potest eam exercere, nisi prius sibi a proconsule mandata sit; *l. legati, ff. de offic. procons. l. pen. ff. de offic. ejus cui mandat. est jurisdict.* quia scilicet legati non eligebantur ab ipso proconsule, sed ei dabantur a senatu, ut observatur ex Vopisco in

Alia est potestas domini, alia ministri; Augustin. in Joan. tract. 5. *Aliud est enim baptizare per ministerium, aliud baptizare per potestatem. Baptisma enim tale est, qualis est ille, in cujus potestate datur, non qualis est ille, per cujus ministerium datur.*

in Probo, & Capitolino *in Gordian.* Vicarius Episcopi, inquam, habet ordinariam jurisdictionem, & ob hanc causam a vicario Episcopi non appellatur ad Episcopum, sed ad Metropolitanum, quia unum & idem tribunal habet cum Episcopo; *cap. 2. de consuetud. in 6. cap. Romana, de appell. eod.* sed ne aberres, vicarius Episcopi habet ordinariam jurisdictionem in his quæ veniunt ex generali mandato, de cetero habet delegatam in his quæ indigent speciali mandato. Vicarius Episcopi potest omnia, exceptis prohibitis, seu quæ requirunt speciale mandatum; *cap. 2. de offic. vicar. in 6.* puta non potest conferre beneficia sine speciali mandato Episcopi; *can. nullus 11. 16. qu. 7. cap. ult. de offic. vicar. in 6.* quia collatio beneficiorum est in fructu, & meræ gratiæ: potest tamen vicarius Episcopi ex mandato generali confirmare electiones, instituere præsentatos, quia utrumque est munus necessarium; *cap. ex frequentibus, de instit. gloss. in d. cap. ult. de offic. vicar. in 6.* Potest etiam vicarius Episcopi conferre beneficia ex causa permutationis; *gloss. in d. cap. fin.* quia hujusmodi collatio est necessaria; *clement. un. de rer. permutat. cap. unic. eod. tit. in 6.* Vicarius Episcopi non potest conferre ordines, quia Episcopus non potest mandare ea, quæ sunt ordinis episcopalis, inferioris gradus clericis; *cap. pen. de consecr. eccles. vel altar.* sed dat dimissorias ad ordines: ejusdem etiam est dare litteras dimissorias Romam euntibus religionis seu pœnitentiæ causa: ne cuiquam enim liceat adire limina Apostolorum sine licentia Episcopi, vel ejus vicarii, vetat Concil. Salegunstad. can. 16. *Decrevit quoque sancta synodus, ut nullus Romam eat, nisi cum licentia Episcopi, vel ejus vicarii:* quod statutum, ut coerceretur pœnitentium abusus, qui omisso suo Episcopo, spe facilius obtinendæ absolutionis, ad Rom. Pontificem properabant, vel etiam ut evagationis occasio tolleretur, quia nimium frequens erat usus peregrinationis Romanæ; Beda lib. 5. hist. Anglic. cap. 7. *Successit in regnum Hun de stirpe regia, qui cum triginta & septem annis imperium tenuisset gentis illius, & ipse relicto regno, ac junioribus commendato, ad limina beatorum Apostolorum profectus est, quod his temporibus plures de gente Anglorum nobiles, ignobilesque, laici, & clerici, viri, ac feminæ certatim facere consueverunt.* Etsi vicarius pro ordinario habeatur, non potest tamen alium substituere; *cap. clericos, de offic. vicarii*, quia inspecto initio est delegatus, & delegatus non potest subdelegare: excipitur nisi vicarius datus sit ab initio cum potestate substituendi alium; *cap. 1. eod. tit. in 6.* Adde & vicarium Episcopi posse revocari ad nutum; *clem. etsi principalis, de rescript.* quia vicariatus est nudum mandatum, quod nuda voluntate revocatur.

C A P. II.

Officialis, vicarius Episcopi in jure dicundo. Ordo & gradus officialis. Ejusdem jurisdictio & potestas. Officialis habet modicam coercitionem, custodias, quæ decaneta, multæ dictionem. Officialis an sportulas capere possit? Pravæ exactiones officialium.

VICARIO Episcopi accedit officialis, qui commune officialis nomen usu suum fecit: vicarium enim Episcopi & officialem dictum, jam observatum, quod nomen e civili militia ad sacram translatum, ut pleraque alia: officiales enim dicti apparitores & cohortales præsidum, & aliorum majorum magistratuum; *l. præsidis 34. ff. de reb. credit.* Tertullian. de idolatr. *ceterum quid facient servi, vel liberi fideles, item officiales sacrificantibus dominis, vel patronis, vel præsidibus suis adhærentes?* Et Augustin. sermon. '')

188. de tempore*: Interpella ergo hunc judicem, ubi nullus tabellarius conturbat, nullus officialis removet*. Et Salvian. lib. 3. de gubernat. Dei: *Quid autem aliud est cunctorum negotiantium vita, quam fraus, atque perjurium? quid aliud curialium, quam iniquitas? quid aliud officialium, quam calumnia?* Et idem lib. 3. ad eccles. Catholic. *Officialium, atque apparitorum gratiam, favoremque mercatur*. Alias iidem officia, qui & officiales dicuntur; Augustin. serm. de tempore, **) 130. *Non solum rei, sed & officia, quæ nihil sibi conscia sunt*. Inde officium annonæ, id est officialis præfecti annonæ, *in l. ult. ff. de pigner. act.* & officium tribunalis sacri dicuntur angeli Salviano, *eod. lib. 3. ad eccles. Catholicam*; & cavere apud officium, nihil aliud est, quam datis fidejussoribus cavere apud officialem præsidis; *l. cum pro quo, ff. de in jus vocand.* Officialis autem est vicarius Episcopi in his quæ pertinent ad forensem jurisdictionem episcopalem: is præest juri dicundo, & ordinariam jurisdictionem exercet: quamvis enim inspecto initio sit judex delegatus, tamen mandata semel jurisdictione, eam quasi propriam & ordinariam exercet, & habetur pro judice ordinario, habetque unum & idem tribunal cum Episcopo, ita ut ab eo non provocetur ad Episcopum, sed ad Metropolitanum; *cap. 1. de offic. ordin. in 6.* Officialis utpote vicarius Episcopi debet esse clericus, nec ferendus est laicus: laici enim arcentur a judiciis ecclesiasticis, maxime de rebus spiritualibus; *cap. decernimus, de judic.* In synodo Chalcedonen. *act. 3.* (in secunda vocatione Dioscori) cum Dioscorus Alexandrinus Episcopus, de multis reus factus, judicum, id est legatorum Principis, qui in concilio aderant, præsentiam in judicio requireret, Episcopi responderunt: κανονικῶν γὰρ ἐξεταζομένων, οὔτε ἄρχοντας, οὔτε ἑτέρους τινὰς λαϊκοὺς παρεῖναι χρή. *Quando enim quædam regularia tractantur, neque judices, neque aliquos alios laicos interesse oportet*. Unde in *cap. 3. de consuetud.* damnatur consuetudo, quæ in Pictaviensi diœcesi inoleverat, ut in judiciis ecclesiasticis, audita utraque parte, exciperentur sententiæ præsentium, sive litterati, sive illiterati essent: & hoc merito: in judiciis enim voces populi non sunt audiendæ, nec vocibus eorum credi oportet, quando aut noxium crimine absolvi, aut innocentem condemnari desiderant, ut dicitur in *l. decurionum 12. C. de pœn.* Apud Justin. Martyr. *apolog. 2.* († *al. 1. cap. 69.*) superest rescriptum Adriani, ut Christiani damnarentur causa cognita pro tribunali, non petitionibus, & vociferationibus populi, ὡς καὶ πρὸ βήματος ἀποκρίνεσθαι, ἐπὶ τούτῳ μόνον τραπέσθω, ἀλλ' οὐκ ἀξιώσεσιν, οὐδὲ μόναις βοαῖς. Quandoque tamen milites damnati acclamatione militari; Tacit. 1. annal. *Stabant legiones pro concione districtis gladiis, reus in suggestu per tribunum ostendebatur, si nocentem adclamaverant, præceps datus trucidabatur, & gaudebat cædibus miles tamquam semel absolveret*. Et in vita Ludov. P. *Adclamatione porro militari post urbem captam, Gotselinus Comes, itemque Sanila Comes, nec non Madalelmus vassallus dominicus capite plexi sunt*. Quæ sit jurisdictio officialis? nimirum is cognoscit de actionibus personalibus, civilibus, & criminalibus inter clericos; *nov. Just. 123. cap. 21. cap. clerici, de judic. cap. si diligenti, cap. significasti, de for. compet.* De actionibus in rem, sive de dominio, sive de possessione agatur, quæstio disceptatur apud judicem sæcularem, etiam inter clericos; *cap. ex transmissa, eod. tit. & cap. causam quæ, qui fil. sint legit.* Augustin. lib. de eccles. & synag. (init.) *Lege agatur, quia de possessione contentio est*. Officialis, seu judex ecclesiasticus habet modicam coercitionem & castigationem virgarum, dummodo ad sanguinis effusionem usque non sæviatur; *cap. in archiepiscopatu, de raptor.* hoc pœnæ genere usos Episcopos testis Augustin. epist. 159. (al. 133. num. 2.) ad Marcellinum Comitem, de emendatione circumcellionum*: Sed virgarum verberibus eruisti. Qui modus coercitionis & a magistris artium liberalium, & ab ipsis parentibus, & sæpe etiam in judiciis solet ab Episcopis adhiberi*. Unde

Ejusdem rescripti meminit Eufeb. *lib. 4. hist. cap. 9.*

de haustus *can. circumcelliones*, 23. *qu.* 5. Episcopis jus animadvertendi per flagella concedit concil. Eliberitanum, ex Burchardo, can. 10. *Decrevit sancta synodus, ut Episcopi, ac ministri Episcoporum pro criminibus colonos flagellare cum virgis potestatem habeant*.. Quod repetitum in conc. Suessionensi habito anno Christi 853. Flagrorum castigationem intra modum triginta & novem ictuum in juniores clericos, & custodiæ pœnam ad tempus in majores distringit concil. Matisconens. I. can. 8. *Quod si quicumque clericus hoc implere distulerit, si junior fuerit uno minus de quadraginta ictus accipiat; si certe honoratior triginta dierum inclusione multetur*: Et hujusmodi jam ante flagellandi modum non excessisse Cæsarium Arelatensem, eodem post tempus repetito, si atrocius delictum esset; auctor est Cyprianus in eius vita apud Surium, sub august. 27. *Solebat vero sanctus vir id accurate observare, ut nemo ex illis, qui ipsi parebant, sive servi illi essent, sive ingenui, si pro culpa sua flagellandi essent, amplius triginta novem ictibus ferirentur: si quis vero in gravi culpa deprehensus esset, permittebat quidem ut post dies paucos iterum vapularet, sed paucis: contestabaturque ecclesiæ præfectos, si quis juberet quempiam diutius flagellari, & ea verbera illi mortem afferrent, ut is homicidii reum se sciret*. Judex ecclesiasticus etiam jus habet coercendi custodia temporali & jejunio; concil. Turonens. can. 20. *Illi vero archipresbyteri, qui talem cautelam super juniores suos habere noluerint, & non eos habuerint studio distringendi ab Episcopo suo in civitate retrudantur in cellam, ibique mense integro panem cum aqua manducent*. Jure civili Episcopus habet jus conjiciendi in carceres, seu custodias, quas Justinianus decaneta vocat; *nov.* † 79. *cap.* 3. sic dicta a Græco δίχιδαι, quod clerici his continerentur; qua ratione Suidas δόκανα appellat, quasi δίκανα, quædam sepulcra in agro Laconico, quod tyndaridas susceperint: non recte Cujac. ea confundit cum diaconiis ecclesiarum, nec enim diaconium est carcer, seu custodia, sed secretarium, seu sacrarium ecclesiæ, ex *conc. Laodicens. can.* 21. *can. non oportet* 26. 23. *dist.* id est locus, ubi conveniebant clerici, mox processuri ad sacra obeunda. Hodie judex ecclesiasticus non habet jus prehendendi, nisi adhibita manu regia, quia non habet territorium, sed nudam audientiam. Judex ecclesiasticus habet multæ dictionem, quod & Pontifici maximo juris fuit temporibus idololatriæ & superstitionis: hoc pontificalis auctoritatis jure usus est P. Licinius Pontifex M. in C. Fabium flaminem Quirinalem; Livius lib. 37. *Imperia inhibita ultro citroque, & pignora capta, & multæ dictæ, & tribuni appellati, & provocatum ad populum est; religio postremum vicit, ut dicto audiens esset flamen Pontifici, & multæ ex jussu populi remissæ*. Eodem jure usus & C. Servilius Pontifex M. in Dolabellam duumvirum; idem Livius lib. 40. *De Rege sacrificulo sufficiendo in locum C. Cornelii Dolabella contentio inter C. Servilium Pont. Max. fuit, & L. Cornelium Dolabellam duumvirum navalem, quem ut inauguraret Pontifex magistratu sese abdicare jubebat, recusantique id facere, ob eam rem multa duumviro dicta a Pontifice*. Eodem jure Crassus consul & Pont. Max. multam dixit Flacco collegæ, & flamini Martiali; M. Tullius Philipp. 11. (8.) *Crassus consul & Pontifex Maximus Flacco collegæ flamini Martiali multam dixit, si a sacris discessisset, quam multam populus remisit, Pontifici tamen flaminem parere jussit*. Hoc exemplo judex ecclesiasticus jus multam dicendi habuit, non solum in clericos, sed etiam in laicos certis casibus, ut ob fraudem commissam in oblationibus vel decimis; Anastasius in can. statuimus, 16. qu. 1. *Statuimus, ut si quis oblationes ecclesiæ, vel decimas, quas populus dare debet, tenere contenderit, vel extra baptismalem ecclesiam dare voluerit præter conscientiam Episcopi*... *bannum nostrum componat, & communione privetur*. Bannum episcopalem vocat multam pecuniariam, quæ infligebatur ab Episcopo: alius erat bannus dominicus seu regalis, qui erat 60. solidorum & major multa, ex *capitul.*

Carol. M. lib. 3. *cap.* 67. *lib.* 4. *cap.* 1. 7. 22. & passim ex *conc. Pistens.* Ob injuriam factam clericis Episcopus etiam laicis bannum episcopalem indicebat; concil. apud Theodonis Villam: *Si quis subdiaconem calumniatus fuerit, vulneraverit, vel debilitaverit, & convaluerit, quinque quadragesimas sine subditiis annis pœniteat, & trecentos solidos cum sua compositione, & episcopalibus bannis componat.* Idem ob sacrilegium; Joannes VIII. in can. quisquis, 17. qu. 4. *Quisquis inventus fuerit reus sacrilegii, Episcopis, vel abbatibus, sive personis, ad quas querimonia sacrilegii juste pertinuerit, triginta libras examinati argenti purissimi componat.* In Gallia invaluerat consuetudo, ut Episcopi & Comites, incestuosos vel decimas non solventes captis wadiis, id est pignoribus, coercerent, vel presbyteros ob leviores culpas, & pecuniam inter se dividerent, quod vetuit synod. Cabillonensis II. can. 18. *Dictum est nobis, quod in quibusdam locis Episcopi & Comites ab incestuosis, & ab his, qui decimas non dant, wadios accipiant, & a presbyteris pro quibusdam negligentiis, & inter se pecuniam dividant, quod penitus abolendum decrevimus.* Hodieque judex ecclesiasticus clericos ob reatum multandi jus habet, sed multam suis usibus aut mensæ episcopali addicere non potest, quia ecclesia fiscum non habet, alioquin ab abusu provocatur. Officialis vero, vel alius judex ecclesiasticus, non potest exigere sportulas more judicum sæcularium; *cap. cum ab omni, de vit. & honest. cleric.* concil. Tarraconens. can. 10. *Observandum quoque decrevimus, ne quis sacerdotum, vel clericorum, more sæcularium judicum, pro impensis patrociniis munera audeat accipere*; *can. observandum*, 15. *qu.* 2. & Concil. Vernens. can. 25. *Ut nullus Episcopus, nec abbas, nec laicus propter justitiam faciendam sportulas contradictas accipiat, quia ubi dona intercurrunt, justitia evacuatur.* Bene & sapienter canones, nec enim judices ecclesiasticos decet sacram jurisdictionem fœnerari; idcirco nundinarios sui temporis officialium quæstus damnavit Petrus Blesensis, epist. 25. *Officium officialium hodie est, jura confundere, suscitare lites, transactiones rescindere, innectere dilationes, supprimere veritatem, ponere mendacium, quæstum sequi, æquitatem vendere, inhiare exactionibus, versutias concinnare.* Fœdam inter Episcopos, & eorum officiales prædæ societatem subnotat Jo. Sarisberiensis Policratic. lib. 5. cap. 16. *Et quidem nescio quomodo notam & pœnam omnem evadant, qui exercitationem totius calumniosi quæstus, sibi ad minus bessem vendicant, nam ad solidum assem usurpabant sibi, aut & multum trientem dumtaxat archidiaconis, & aliis officialibus.*

CAP. III.

Episcopus proprius dispensator rerum ecclesiæ. Ex concilio Chalcedonensi constitutus œconomus in singulis ecclesiis episcopalibus. Officium & potestas œconomi.

INTER adjutores & administros Episcopi locandus est & œconomus, id est dispensator rerum ecclesiæ: is enim est vicarius Episcopi in temporalibus: ab initio Episcopus res & bona ecclesiæ per se administrabat, ut patet ex *can. Apostol.* † 37. *concil. Gangrens. can.* 7. *Antiochen. can.* 24. & 25. *can. Episcopus*, 12. *qu.* 1. *Aurelian. III. can.* 5. *Tolet. IV. can.* 32. *can. noverint*, 10. *qu.* 1. hoc jure collectæ, id est æra, quæ quisque conferebat, deponebantur apud Episcopum, quæ is pupillis, viduis, peregrinis, & aliis egentibus erogabat; Justin. Martyr. apolog. 2. (al. 1. cap. 67.) οἱ εὐπορῦντες δὲ καὶ βουλόμενοι κατὰ προαίρεσιν ἕκαστος τὴν ἑαυτοῦ ὃ βούλεται δίδωσι, καὶ τὸ συλλεγόμενον πα-

παρὰ τῷ προεστῶτι ἀποτίθεται, καὶ αὐτὸς ἐπικουρεῖ ὀρφανοῖς τε καὶ χήραις, καὶ τοῖς διὰ νόσον, ἢ δι' ἄλλην αἰτίαν λειπομένοις, καὶ τοῖς ἐν δεσμοῖς οὖσι, καὶ τοῖς παρεπιδήμοις οὖσι ξένοις, καὶ ἁπλῶς πᾶσι τοῖς ἐν χρείᾳ οὖσι κηδεμὼν γίνεται: Ceterum qui locupletiores sunt, & volunt, pro arbitrio quisque suo quod visum est contribuunt, & quod ita colligitur apud antistitem deponitur, atque ille inde opitulatur pupillis & viduis, & his qui propter morbum, aut aliquam aliam causam egent, quique in vinculis sunt, & peregre advenientibus hospitibus, & in summa indigentium is omnium curator est. Quare Zeno distractis prædiis pecuniæ dispensationem reliquit Alexandro Antiocheno Episcopo *ὡς θείῳ ταμίᾳ, ut divina quæstori*, ait Theodorit. in Philotheo, *cap.* 12. Nec solum oblationes fidelium, sed etiam ex quo ecclesia dotem suam habuit, id est decimas & prædia, decimas & reditus prædiorum in sua potestate habuit Episcopus, ita ut ex his quatuor partes fierent, quarum unam sibi seponeret, secundam clero, tertiam pauperibus, quartam fabricæ impenderet; *can. videntes*, 12. *qu.* 1. *can. vobis*, *can. Wlterana*, 12. *qu.* 2. Denique dos ecclesiæ omnino fuit in potestate Episcopi, nullo jure fundatori manente in ejus dispensatione; *can. sic quidam*, *can. decretum*, *can. noverint*, 10. *qu.* 1. unde & in limine fundationis conditor ecclesiæ debet obsequium offerre Episcopo, per donationem, id est traditionem chartulæ, confirmatum ex *concil. Wormat. can.* 4. Ab initio, inquam, Episcopus ipse fuit œconomus & dispensator rerum ecclesiæ, & eo nomine commendantur Paulinus Nolanus, & Hilarius Arelatensis Episcopi, quod suis facultatibus sparsis in pauperes, res ecclesiæ studiose curarint; Prosper lib. 2. de vit. contemplativa, cap. 9. *Denique sanctus Paulinus, ut ipsi melius nostis, ingentia prædia, quæ fuerunt sua, vendita pauperibus erogavit: sed cum factus Episcopus esset non contempsit ecclesiæ facultates, sed fidelissime dispensavit.* Et mox: *Quid sanctus Hilarius? nonne & ipse omnia bona sua, aut parentibus reliquit, aut vendita pauperibus erogavit? is tamen cum merito perfectionis suæ fieret ecclesiæ Arelatensis Episcopus, quæ illa tunc habebat ecclesia, non solum possedit, sed etiam acceptis fidelium numerosis hereditatibus ampliavit.* Episcopus habebat plenam & liberam administrationem rerum ecclesiasticarum, neque rationes reddere tenebatur, ei enim credita est administratio rerum ecclesiæ, ut eam exerceat quasi Deo intuente, *ὡς Θεοῦ ἐφορῶντος*, ait prædictus *can. Apostol.* † 37. non redditurus rationem hominibus, sed Deo, quem semper præ oculis & judicem & testem habiturus esse intelligitur: & absurdum visum rationes rei pecuniariæ ab eo exigere, cui credita est cura animarum hominum, quæ longe pretiosiores sunt. Et hac ipsa ratione Episcopum, *ἄλογον*, & a reddendis rationibus liberum esse voluit Clemens, lib. 2. cap. † 35. *ἔχει γὰρ λογιστὴν κύριον τὸν Θεόν: habet enim ratiocinatorem Deum.* Episcopus tamen ita rerum ecclesiasticarum potestatem habebat, ut eas dispensaret in usus congruos sui & clericorum, pauperumque: quod si eas converteret in rem suam, vel in cognatos erogaret, de his cogebatur rationes reddere synodo provinciali; *d. concil. Antiochen. can.* 25. quia Episcopus rebus ecclesiasticis uti debet, non ut dominus, sed ut procurator & dispensator; August. epist. † 50. al. 185. ad Bonifac. Comitem, cap. 9. *Si autem privatim, quæ nobis sufficiant, possidemus, non illa nostra sunt, sed pauperum, quorum procurationem quodammodo gerimus, nec proprietatem nobis usurpatione damnabili vindicamus.* Et idem epist. (225. al. 126. num. 9.) ad † Albinam: *Deus testis est, istam omnem rerum ecclesiasticarum procurationem, quarum credimur amare dominatum, propter servitutem, quam debeo caritati fratrum & timori Dei, tolerare me, non amare, ita ut ea, si salvo officio possim, carere desiderem.* Ac Episcopus res ecclesiæ attingere debet, non ut proprias, sed ut commendatas, id est depositas; concil. Cabillonens. II. can. 6. *Res ecclesiæ, quibus Episcopi uti debent non ut propriis, sed ut commendatis uti debent,*

pretia sunt peccatorum, patrimonia pauperum, stipendia fratrum in commune viventium: ideoque electus, ante consecrationem rerum suarum descriptionem, id est inventarium, conficere solebat, ne post episcopatum quæsita, ecclesiæ subducerentur; *can. de Syracusana*, 28. *dist.* Sed ingravescente onere episcopatus, aucto numero fidelium, & censu sacrarum facultatum, ne Episcopi a rerum spiritualium cura, temporalium studio, avocarentur, vel ne omnia essent in potestate Episcopi absque arbitro, vel quia ipsi Episcopi res administrabant per laicos, ut onus levarent, placuit in synodo Chalcedonensi, *can.* 26. ut singuli Episcopi œconomum sibi constituerent de proprio clero, ne sine testimonio esset gubernatio rerum ecclesiasticarum; *can. quia in quibusdam*, 89. *dist. can. quoniam in quibusdam*, 16. *qu.* 7. Ordinatio œconomi pertinebat ad Episcopum, etiam ante Chalcedonensem synodum, ut liquet ex 10. *actione ejusdem synodi*, in qua Ibas Episcopus Edessenus spopondisse memoratur, quod res & reditus ecclesiæ suæ juxta ritum Antiochenæ deinceps gubernarentur per œconomos ab eo de clero ordinatos; idemque comprobatur 14. *actione ejusdem synodi*, in qua conquestus est Athanasius Perrhenorum Episcopus, se a quibusdam clericis pulsum episcopatu, & œconomos ecclesiæ ab eisdem propria auctoritate constitutos, ejectis prioribus: & forte hac occasione editus est *canon hujusce synodi*, de ordinandis per Episcopum œconomis: & cum imperfecta lex esset, & in eam committentes non coerceret, accessit *can.* 11. *synod. Nican. II.* ut si Episcopus neglexerit sibi assumere œconomum, jus eligendi devolvatur ad Metropolitanum; *can. cum simus*, 9. *qu.* 3. Sed ex consuetudine œconomum Constantinopolitanæ ecclesiæ moris fuit designari ab Augusto, ante Isaacium Comnenum, qui primus potestatem illam, & jus omne Patriarchæ refudit; Zonar. in ejus vit. (cap. 4.) *μέχρι τότε τοῦ μεγάλου οἰκονόμου προχειριζομένου παρὰ τοῦ Βασιλεύοντος, ἀλλὰ μὴν καὶ τοῦ σκευοφύλακος, ἐκεῖνος δὲ καὶ ἄμφω, ὑπὸ τὴν τοῦ Πατριάρχου ἐθέτο ἐξουσίαν, ἀποξενώσας ἀμφοῖν τὸ δημόσιον: Nam cum ad id usque tempus & magnus œconomus, & scevaphylax ab Imperatore designari soleret, utrumque id munus Patriarchæ potestati subjecit amota publica auctoritate.* Ex synodo Chalcedonensi œconomus fuit eligendus e clero, non ex laicis: quod confirmatum in concil. Hispalens. II. *can.* 9. adjecta ratione, quod non deceat laicum esse vicarium Episcopi, & sæculares in ecclesia judicare; *can. in † nona*, 16. *qu.* 7. Idemque placuit Gregorio I. ne œconomi ecclesiæ adsumantur ex laicis, sed ex clericis tantum, alia ratione quod hi, ut subditi, facilius cogi possint ad rationes reddendas, & si suspecti visi fuerint removeri, vel coerceri; *can. indicatum*, 89. *dist.* Et Episcopi ut plurimum clericis usi sunt in œconomatu ecclesiæ; in breviario Liberati, *cap.* 23. memoratur Psoius diaconus, & œconomus ecclesiæ Alexandrinæ, sub Paulo Episcopo; & in *sess.* 14. conc. Chalced. Fronto presbyter, & exœconomus. Et ideo œconomus tamquam unus ex canone, id est ex ordine clericali, per pecuniam ordinari vetatur, *ejusdem synod. Chalced. can.* 2. *can. si quis Episcopus*, 1. *qu.* 1. cujus veluti commentarius est *can. Salvator*, 1. *qu.* 3. œconomus non prius attingit res ecclesiasticas, quam juramentum fidelitatis præstiterit apud Episcopum, ut colligitur a contrario ex decreto Urbani II. quo Episcopus non potest exigere juramentum fidelitatis a clericis suis, nisi quibus rerum ecclesiasticarum dispensatio commissa fuerit; *can. ult.* 22. *qu.* † 5. *cap. nullus, de jurejurand.* & hoc nomine archidiaconum, tamquam dispensatorem sacri ærarii, fidelitatem jurasse Episcopo, insinuat Fulbert. *epist.* 34. cum Lysardi archidiaconi Parisiensis in suum Episcopum se jactantis, perfidiam exaggerans: *Quid dicemus*, inquit, *de juramento fidelitatis, quod ita contaminat, ut Episcopo suo non corde, nec verbo, nec opere fidelis existat?* Et Honorius III. in *cap. gravem, de excess. prælat.* archidiaconum Ambianensem per judices datos ab ecclesia in perpetuum abscindi vult, si appareat eum contra fidem ho-

homagii præstiti, ac debitam reverentiam Episcopum suum esse dominum negasse. Officium œconomi est res ecclesiæ gubernare; *l. jubemus* 14. *C. de SS. eccles.* Res ecclesiæ & ejus reditus administrabat magnus œconomus Constantinopolit. *auctore Codino*. Ejusdem est annonas præbere clericis, & quod superest erogare in pauperes; *nov. Just. 3. cap. 3.* unde œconomus ecclesiæ dispensator pauperum vocatur; *l. omnes qui*, §. *hoc nihilominus*, *C. de Episc. & cleric.* Et Isidorus Pelusiota, *lib. 1. epist.* † 269. Maronem œconomum ecclesiæ Pelusiensis notat de furacitate bonorum pauperum, & officii eum admonet, ex nominis etymo, *οἰκονόμος γὰρ εἴρηται παρὰ τὸ οἰκεῖα αὐτῶν νέμειν τοῖς πένησιν*. *Œconomus enim hinc dictus est, quod pauperibus, quæ ipsorum sunt, tribuat*. Ad eundem pertinet actiones ecclesiasticas movere, & excipere; *l. cum clericis*, *d. l. omnes qui*, §. *preterea cum in provinciis*, §. *hoc nihilominus*, *C. de Episc. & cleric. nov. Just.* 123. *cap.* 28. *cap. Imperatorum*, *de Juramen. calumn. cap. 2. de capell. monach.* Et œconomus in judicio conventus non satisdat judicatum solvi, immo & clerici lite pulsati non alium dant fidejussorem, quam ipsum œconomum; *d. l. cum clericis*, §. 1. *& d.* §. *praterea l. omnes qui*. Defuncto, vel deposito Episcopo, œconomi est inventarium rerum ecclesiæ conficere, ut futuro successori incolumes conserventur; *can. caritatem*, 12. *qu.* 2., œconomus tamen non potest res ecclesiæ alienare, nisi certis ex causis, & his casibus non licet eas emere per se, vel per interpositam personam; *d. l. jubemus*, *& auth. quibuscumque*, *C. de SS. eccles.* Sicut vero œconomus ecclesiæ ordinatur ab Episcopo, ita & eidem rationes actus sui reddere tenetur: & hoc est quod ait synod. Chalced. *d. can.* 26. œconomum debere administrare res ecclesiasticas, *κατὰ γνώμην τοῦ ἰδίου Ἐπισκόπου*, *de sententia sui Episcopi*. Nec satis mirari valeo Gregorii Nazianzeni fiduciam aut contemptum rerum temporalium, de quo scribit Gregor. presbyter ejus vitæ auctor, (num. 30.), quod rerum & redituum ecclesiasticorum rationes a curatoribus ecclesiæ non repetiit, cauponum id verius, quam ecclesiasticorum, opus esse inquiens, præfectorum, non Episcoporum, *καπηλικῶν μᾶλλον, ἢ ἐκκλησιαστικῶν ἀνδρῶν τὸ ἔργον τοῦτο ὑπολαβὼν, καὶ ἀρχόντων, οὐκ Ἐπισκόπων*.

C A P. IV.

Vicedominus vicarius Episcopi in temporalibus, præest jurisdictioni temporali. Olim assumebatur e clero, postea ex laicis. Vicedomini insolescentes coerciti.

PRÆTER œconomum, Episcopus & vicedominum sibi constituere debet, quo adjutore & administro utatur, ut Paschasium Episcopum vicedominum sibi habere voluit Gregor. I. in *can. volumus*, 89. *dist.* *Volumus, ut frater noster Paschasius vicedominum sibi ordinet, & majorem domus, quatenus possit vel hospitibus supervenientibus, vel causis quæ eveniunt, idoneus & paratus existere*. Vicedominus, vel vicedomnus, est vicarius Episcopi in temporalibus; capitul. Carol. M. lib. 3. cap. 26. *Mandet Comes vel Episcopo, vel abbati, vel vicedomno, vel illi quicumque locum Episcopi, vel abbatis tenuerit, ut ei reddat reum*. Sic dictus, quod vices gerat Eiscopi, qui honoris ergo dicitur domnus, ut cum ei per diaconum occinitur, *jube domne benedicere*, Gallis *vidame*. Officium vicedomini est res episcopatus tueri & defendere: hac de causa Carolus Calvus mandanti Adriano Pontif. ut Genebaldus Laudunensis Episcopus Romam dirigeretur de objectis se purgaturus, & interim res episcopatus in Regis potestate consisterent, rescripsit per eam quæ extat inter Hincmari epistolas, quæ a Jacobo Sirmondo editæ sunt, *regium non esse Re-*

ges esse vicedominos Episcoporum, quia Reges Francorum ex regio genere nati, non Episcoporum vicedomini, sed terræ domini hactenus fuimus computati. Vicedominus multa sane communia habuit cum œconomo, ut in quibusdam ecclesiis fuit curator xenodochii, & dispensator pauperum, ut in Bremensi; Adamus Bremens. lib. 4. cap. 22. *Et tunc quidem vicedominus noster, quasi fidelis dispensator & prudens, ad custodiendas pauperum eleemosynas deputabatur*. Hoc tamen dispar vicedominus ab œconomo, quod œconomi proprium fuit gubernare rem prædiariam, & reditus ecclesiasticos percipere & dispensare: vicedomini vero fuit regere & ordinare domum Episcopi; Gregor. I. in *can. diaconum*, *ead. dist.* 89. *Vicedominum enim eum constituimus, cujus arbitrio episcopium commisimus disponendum*. Unde & idem Pontifex in *d. can. volumus*, vicedominum majorem domus appellat: quo sensu haud dubie Diedericus Comes, major domus ecclesiæ Trevirensis vocatur; Lambertus Scafnaburg. lib. de reb. gest. German. *Erat eum temporis major domus ecclesiæ Trevirorum Diedericus Comes*. Inde vicedominus erat præpositus officialibus & ministris Episcopi: hoc jure, capto ab hostibus Episcopo Argentinensi, vicedominus officiales Episcopi fidei & obsequii erga dominum juramento eos obstrinxit; Albertus Argentinens. de gest. Bertoldi Episc. Argentinens. *Rodolphus autem de Andebeheh, vicedominus Episcopi, crastino captivitatis incepit ab officiatis Episcopi, & munitionibus, quod sibi parerent tempore captivitatis recipere juramenta*. Vicedominus denique summam rerum episcopii tenebat post Episcopum; Sigebert. in chron. ad ann. 537. *Theophilus vicedominus tam prudenter & utiliter secundas partes ecclesiasticæ dispensationis sub Episcopo agebat, ut mortuo Episcopo omnium ore dignus episcopatu esse acclamaretur*. Et hac imitatione præfecturam domus augustæ, seu palatii, vicedominatum, & summam rerum vocat idem Adamus d. libr. 4. cap. 24. *Metropolitanus tandem post triennium expulsionis suæ voti compos effectus, in pristinum gradum curiæ restitutus est; moxque succedentibus prosperis, summam rerum, quod est vicedominatum, jam septies consul meruit*. Et præfectos provinciales Angli vicedominos vocitarunt; Ingulphus in chronic. Croyland. ex charta Beorredi Regis Merciorum: *Confirmo prædicto monasterio de dono Normanni quondam vicedomini in Sultim duas carrucatas terræ*. Et idem ex charta Alfredi Regis: *Præfectos vero provinciarum, qui antea vicedomini, in duo officia divisit*. Nec modo vicedominus rem œconomicam Episcopi curabat; sed etiam res publicas, puta legationes, si quando opus esset pro Episcopo obibat, ut Arderadum vicedominum Cenomanensem, una cum Flodegario archidiacono, legatum missum a Bertigrano suo Episcopo ad Benedictum abbatem, jam ex *Adrevaldo* observatum. Nec non vicedominus temporalem sive feudalem jurisdictionem Episcopi nomine exercebat; capitul. Carol. M. lib. 3. cap. 11. *De advocatis, vicedominis, vicariis, & centenariis pravis, ut tollantur, & tales eligantur, quales, & sciant & velint juste causas discernere, & terminare*. Et aliud capitular. lib. 5. cap. 120. *Et si judex publicus servum ecclesiæ super furto non præsumentem, sine audientia vicedomini, aut archidiaconi, aut detinere, aut injuriare præsumpserit, anno integro ab ecclesiæ limine arceatur*. Laudunensis vicedomini judicium in mulierem ob homicidium narrat Sigebert. in chron. ad ann. 1094. *Quo audito parentes hominis occisi properantes nunciaverunt vicedomino Laudunensi, jubente vicedomino vocata mulier venit, & qualiter hominem occidisset, nequaquam celavit; judicatum est igitur eam ignibus debere concremari*. Hac occasione forte in vicedominum Sabinensem super causa de jure patronatus compromissum legitur in *cap. examinata, de judic. & cap. examinata, de confirm. util.* quod is jurisdictionis expers non esset. Vicedominus pariter, atque œconomus, ordinabatur ab Episcopo; sed si Episcopus moras nectetet in eo eligendo, electio devolvebatur ad clerum; *d. can. volumus*. Æque & vicedominus eli-

gen-

dus erat e clero, non ex laicis, ideoque tamquam unus ex clericis per pecuniam ordinari prohibebatur; *can. Salvator*, 1. *qu.* 3. *& cap. consulere*, *de simon.* Et Protasium Aquensem Episcopum ante episcopatum curam vicedomini gessisse in Arelatensi ecclesia, auctor est Gregor. I. *lib.* 5. *epist.* 55. *ad eundem.* Sed labente ævo, ecclesia opibus & latifundiis aucta, laici passim ut quæstuosum ambiere vicedominatum episcoporum, ut Diedeticum Comitem Majorem, id est vicedominum, Trevirensem factum jam prænotatum. Temporibus Conradi Salici, Ludovicus cognomine Barbatus, Giselæ Augustæ gratia per Bardonem Archiepiscopum Moguntinum vicedominus Thuringiæ constitutus; auctore Paulo Langio *in chronico Citizensi*. In Gallia jam a multis sæculis noti sunt id genus vicedomini sæculares, ut Carnotensis, Ambianensis, Cenomannensis, & Remensis, & luculentis ab Episcopis beneficiis ditati. Stephanus, dum in sæculari militia versaretur, vicedominus Carnotensis, inde abbas S. Joannis de Valle, ac demum Patriarcha Hierosolymitanus laudatur, Guill. Tyrio lib. 13. cap. 25. *Cui substitutus est vir quidam secundum carnem nobilis, sed vita & moribus multo nobilior, Stephanus nomine, abbas S. Joannis de Vallea, qui locus in urbe Carnotensi habetur: hic ejusdem civitatis ante conversionem suam, in equestri ordine, & habitu fuerat vicedominus, &c.* Inter hæc tamen tempora meminit Petrus Cellensis, *lib.* 5. *epist.* 5. Hildoini vicedomini & canonici sanctæ Mariæ Remensis. Et ut sanctiores res sequiore usu corrumpuntur, vicedomini in solatium Episcoporum instituti, eis oppido graves & ecclesiæ damnosi extiterunt. Idcirco instaurati canones, ut Episcopi probos & idoneos Vicedominos sibi haberent; Concil. Moguntin. can. 50. *Omnibus igitur Episcopis, abbatibus, cunctoque clero continuo præcipimus, vicedominos, præpositos, advocatos, sive defensores bonos habere, non malos, non crudeles, non cupidos, non perjuros, non falsitatis amantes, sed Deum timentes, & in omnibus justitiam diligentes.* Et conc. Remens. can. 24. *Ut præpositi & vicedomini secundum regulas vel canones constituantur*, quos canones sua in capitula transfudit Carolus M. & ne effectu carerent, missos direxit per universas provincias ditionis suæ, quo inter alia caverent, ut Episcopi bonos & idoneos vicedominos & advocatos haberent; auctore Flodoard. *lib.* 2. *Rem. hist. cap.* 18. Nec dum vicedomini ad debitum obsequium rediere, aut saltem non diu memores disciplinæ, in bonis ecclesiæ ut ante grassati sunt, eamque novis censibus, velut proprios villicos, & colonos, attrivere: qua de re tandem damnati decreto Lucii III. *cap. præterea* 23. *de jur. patronat. Præsenti decreto statuimus, eos, sive advocati, sive patroni, vel vicedomini, sive custodes, vel guardias habent es, seu quocumque alio nomine censeantur, a gravaminibus ecclesiarum cessare, nihilque in ipsis præter antiquos & moderatos redditus a locorum Episcopis institutos exigere.*

CAP. V.

Ecdicus, seu defensor ecclesiæ. Ejus potestas. Defensores eligebantur e clero per Episcopum. Iniquioribus temporibus ab Imperatore postulati. Defensores patrimonii S. Petri.

IN recensione adjutorum Episcoporum non prætermittendi defensores, qui Græcis ἔκδικοι dicuntur; non modo enim Episcopis necesse fuit œconomos constituere, qui res & prædia ecclesiæ administrarent, sed ne inanis esset ratio œconomatus, eadem cura dignum eis visum est defensores ecclesiasticos creare, qui ecclesiam, & res ejus, & plebem sibi creditam a potentiorum injuriis tue-

rentur. Hoc consilio defensores, seu ecdici ab Episcopis ordinati, hique ex clericis assumpti sunt, vel certe ejusdem juris fuere quo sacri ordinis viri, & ecclesiastici magistratus: quare in concil. Chalcedonens. *can.* 2. vetitum, ne defensores, non secus ac clerici, per pecuniam ordinarentur; *can. si quis Episcopus*, 1. *qu.* 1. *can. salvator*, 1. *qu.* 3. quod constitutione Justiniani comprobatum; *l. omnem* 42. §. *preterea* 9. *C. de Episc. & clericis*, & aliis locis. Defensorum ordo refertur inter minores ordines ecclesiasticos; Gelas. epist. 1. ad Episc. Lucaniæ: *Monachus vero novitius, si morum honestate fulcitur, continuo lector, vel notarius, aut certe defensor effectus, post tres menses existat acolythus*, *can. monachus*, † 77. *dist.* Nonnumquam tamen ex ordine presbyterorum defensores legebantur. Juliani defensoris presbyteri meminit Gregorius Turonens. de vita patr. cap. 7. apud Surium: *Nam cum Julianus defensor presbyter a quartano typho correptus graviter cruciaretur*. Et si quando defensores ecclesiæ ex laicis assumebantur, erant plerumque qui aspirarent ad sacros ordines, ad quos tamen promoveri non potuere, nisi servatis interstitiis; Zosimus epist. 1. ad Isychium: *Defensores etiam ecclesiæ, qui ex laicis fiunt, supradicta observatione teneantur*, *can. in singulis*, *ead.* 77. *dist.* Hujusmodi defensorum munus fuit ecclesiam, & clerum, plebemque ab injuriis, & vi potentiorum tueri: monachos in urbem confluentes, & passim turbas cientes ejicere, & compellere, ut ad sua redirent; *concil. Chalced. can.* 23. & *decreto Pelagii*, *can.* † *quidam monachi*, *can. Probinum*, 16. *qu.* 1. eorumdem fuit judicare de causis libertatum, nec non de causis tenuiorum, qui injuriis afficiebantur a potentioribus: ut & de causis eorum, qui præsidii causa confugerant ad ecclesiam; ut docet Balsam. *in can.* 75. *synod. Carthag. & in respons. tit. de chartophylac. & protecdico*. Consuetudo etiam irrepserat, ut testamenta insinuarentur apud defensores ecclesiæ: sed hoc vetitum constit. Justiniani; quia turpe est clericis, si peritos se velint ostendere rerum forensium; *l. repetita* 41. *C. de Episc. & cleric. & l. consulta* 23. *C. de testament.* quæ ratio etiam insinuat quod modo dictum, defensores lectos ex ordine clericorum. Verum quia inermis, & episcopali auctoritate tantum septa defensorum potestas, non satis valebat ad compescendam majorum tyrannidem, placuit in *concil. Carthag. V. can.* 9. ut defensores ecclesiarum ab ipso Imperatore peterentur; *can. ab Imperatoribus*, 23. *qu.* 3. quo securior esset ecclesia, principali simul & pontificiæ tutelæ commendata: & ne per imperitiam juris & legum defensorum officium enervaretur, in *concil. Milevitano II. can.* 16. additum est, ut ab Augusto peterentur periti defensores scholastici, id est advocati forenses, qui in actu essent, vel in officio defensionis causarum ecclesiasticarum, more sacerdotum, & haberent facultatem pro negotiis ecclesiarum, quoties necesse esset, ingredi secretaria judicum. De hoc genere defensorum meminit Possidius vitæ Augustin. cap. 12. *De qua re, ne pacis ecclesiæ amplius impediretur profectus, defensor ecclesiæ inter leges non siluit.* Aliud fuit genus defensorum ecclesiasticorum, qui erant missi pontificii patrimonii S. Petri in Sicilia, Corsica, & aliis regionibus curandi causa, & habebant curationem conjunctam cum jurisdictione in clericos; ut liquet ex Gregorio *lib.* 1. *epist.* 1. *lib.* 9. *epist.* 32. *can. valde necessarium*, 94. *dist. can. pervenit*, † 11. *qu.* 1. & aliis locis.

CAP.

C A P. VI.

Episcopi proprium munus est docere verbum Dei. Conciones habitæ e suggestu, dominico potissimum die. Auditorum plausus & acclamationes in concionibus: scripto exceptæ ab auditoribus conciones. Presbyteris quando permissum prædicare. Monachi interdicti prædicationis officio. Ecclesiastes adjutor Episcopi in prædicationis munere.

IN eadem linea adjutorum Episcoporum censetur & ecclesiastes: is enim in prædicationis officio vices gerit Episcopi: præcipuum namque munus Episcopi est docere, & verbum Dei apud populum prædicare: idcirco ne Episcopus rem familiarem per se gerat, sed lectioni, orationi, & verbi prædicationi totus incumbat; jubet concil. Carthag. IV. *Episcopus nullam rei familiaris curam ad se revocet; sed lectioni, & orationi, & verbi Dei prædicationi tantummodo vacet; can. Episcopus 6. 88. dist.* Ideoque Episcopus, qui docendi curam insuper habet, excommunicatur, & si diutius in ea culpa torpuerit deponitur; *can. Apostolor.* † 57. unde Episcopus dicitur Clementi, lib. 2. cap. 26. *λόγου διάκονος, γνώσεως φύλαξ, μεσίτης Θεοῦ καὶ ὑμῶν: Minister verbi, scientiæ custos, mediator Dei & hominum.* Quæ essent partes Episcoporum non latuit ipsos paganos imperatores. Christianæ religioni, velut externæ, & peregrinæ superstitioni infensos: quo edicto Gallienus persecutioni justitium indixit, Episcopos agnovit præsides verbi Dei, *τοῖς τοῦ λόγου προεστῶσι*, apud Euseb. *lib. 7. cap.* † 13. Hoc jure Episcopus tum aliis diebus, cum maxime dominicis, clerum & populum docere debet; *concil. VI. in Trullo, can.* 19. id moris fuisse locuples testis Augustin. sermon. **) 30. de verb. Apostoli: *Nunc autem cum die dominico, debito reddendi sermonis recitaretur eadem lectio, divinitus mihi inspiratum esse credidi, ut inde tractarem.* Et idem sermon. de tempor. **) 33. *Sed quia in sacratissimo die reddendum expectationi vestræ est sacerdotalis sermonis officium.* Idem etiam in Joannem tract. 47. (num. 9.) *Fratres, quæramus hoc paulo attentius. Non nos artat hora quæ solet, die dominico: vacat nobis, hoc lucrentur qui ad verbum Dei etiam die hodierna conveniunt.* Ambrosium singulis dominicis orantem se audiisse affirmat ipse August. *6.* confess. cap. 3. (num. 4.) *Et eum quidem in populo verbum veritatis recte tractantem, omni die dominico audiebam.* Episcopi e suggestu verbum faciebant pro gradibus altaris, intra cancellos, qui clerum a plebe dividebant; idem August. 22. de civit. Dei, cap. 8. (num. 22.) *Quod cum ex dominico paschæ die tertio fieret in gradibus exedræ, in qua de superiore loquebar loco, feci stare ambos fratres.* In concionibus passim audiebantur plausus auditorum, passim videbantur pugillares scriptorum, qui orantis sermonem scripto excipiebant; Gregorius Nazianzen. orat. 32. (num. 90.) qua ultro abdicato episcopatu Constantinopolitano extremum vale dixit cathedræ & populo: *χαίρετε τῶν ἐμῶν λόγων ἐρασταί, καὶ δρόμοι, καὶ συνδρομαί, καὶ γραφίδες φανεραί, καὶ λανθάνουσαι, καὶ ἡ βιαζομένη κιγκλὶς αὕτη τοῖς περὶ τὸν λόγον ὠθιζομένοις. Valete sermonum meorum amatores, & cursus, & concursiones, & calami tam perspicui, quam occulti, atque hujus suggesti cancelli, a multitudine compressi hominum audiendi studio sese mutuo protrudentium.* Quam frequens esset plausus auditorum in sacris concionibus testatur Chrysostomus multis locis, ut homil. 2. (cap. 4.) ad popul. Antiochen. *τί μοι τῶν κρότων ὄφελος νῦν; τί δὲ τῶν ἐπαίνων καὶ τῶν θορύβων; ἔπαινος ἐμός, τὸ διὰ τῶν ἔργων ὑμᾶς ἐπιδεῖξαι τὰ λεγόμενα ἅπαντα. Quæ mihi horum plausuum utilitas? quæ laudum, & tumultuum?*

laus mea est, ut per opera vos omnia quæ dicuntur exhibeatis. Et idem orat. **) 34. ad Antiochenos, οὐ γὰρ πρὸς ἐπίδειξιν, οὐδὲ κρότον λέγομεν νῦν, ἀλλὰ πρὸς θεραπείαν τῶν ὑμετέρων ψυχῶν: *Non enim ad ostentationem, neque propter applausum nunc dicimus, sed ob medelam animarum vestrarum.* Et idem ante, orat. 28. ad eosdem, (alias de incomprehens. Dei natura, homil. 3. num. ult. circa fin.): ἐπῃνέσατε τὰ εἰρημένα, μετὰ πολλοῦ θορύβου, καὶ κρότου τὴν παραίνεσιν ἐδέξασθε, ἀλλ' ὅπως ὑμῖν ἐπὶ τῶν ἔργων ἐπιδείξασθε τοὺς ἐπαίνους: *Laudastis quæ dixi, magno cum tumultu & plausu admonitionem accepistis; sed velim curam quoque adhibeatis, ut facto vestra approbatio ostendatur.* Et Augustin lib. 4. de doctrin. Christian. cap. 24. de concione a se habita apud Cæsaream Mauritaniæ urbem, de tollenda annua pugna inter cives, quam catervam vocabant: *Non tamen egisse aliquid me putavi, cum eos audirem acclamantes; sed cum flentes viderem. Acclamationibus quippe se doceri & delectari, flecti autem lacrymis indicabant.* Plausu apud posteros famam invenit unus ex auditoribus Cyrilli Alexandrini Hierax nomine, & inde notus, quod unus esset ex studiosioribus Cyrilli applausoribus; de quo Socrates *lib. 7. cap. 13.* καὶ περὶ τὸ κρότους ἐν ταῖς διδασκαλίαις αὐτοῦ ἐγείρειν ἦν σπουδαιότατος. Quod sacri sermones stilo passim exciperentur, de suis significat Augustin. in psalm. 51. (num. 1.) *Neque enim passim prætereunda sunt hæc; quandoquidem placuit fratribus, non tantum aure & corde, sed & stilo excipienda quæ dicimus: ut non auditorem tantum, sed & lectorem etiam cogitare debeamus.* Episcopi vero e suggestu verbum faciebant sedentes, & a stante populo audiebantur; Augustinus, in Joannem tractat. 112. (num. 1.) *Quomodo autem inter se evangelistæ omnes conveniant, nec veritati, quæ per alium promittitur, ab alio repugnetur quisquis nosse desiderat, non his sermonibus, sed in aliis laboriosis litteris quærat; nec stando & audiendo, sed potius sedendo & legendo.* Idemque, vel alius quisquis est serm. 52. (al. serm. 355. num. 2.) ad fratres in eremo: *Ut ergo vos non diu teneam, præsertim quia ego sedens loquor, vos stando laboratis.* Prædicandi autem munus, ut eo redeam, adeo proprium est Episcopi, ut in ecclesia Latina non licuerit presbyteris dicere, apud populum præsente Episcopo. Primus Augustinus, postquam presbyter factus a Valerio Hipponensi Episcopo, ad dicendum minus idoneo ob Latinæ linguæ imperitiam, prædicandi potestatem accepit, etiam coram ipso Episcopo; teste Possidio *ejus vit. cap. 5.* quam ob rem forte juniorem se cœpisse dicere apud populum de se scribit ipse Augustin. lib. 1. retractat. in prolog. *Quanto minus cum juvenis cœpi scribere, vel apud populos dicere; tantumque mihi tributum est, ut ubicumque, me præsente, loqui opus esset ad populum, rarissime tacere atque alios audire permitteret.* Primus, inquam, e Latinis Augustinus adhuc intra presbyterii gradum constitutus, populum docere cœpit præsente ipso Episcopo, cujus rei novitate perculsi omnes, donec invidiam facti levavit Valerius, adducta Orientalium ecclesiarum consuetudine; ut addit Possidius. Et vero Chrysostomus adhuc presbyter elegantes orationes habuit ad Populum Antiochenum, & in ea quæ est **) 37. sermonem convertit ad Episcopum, quem forte tum auditorem habuit; αἰδοῦμαι καὶ τοῦ πατρὸς τὴν παρουσίαν, αἰδοῦμαι καὶ τὴν ὑμετέραν προθυμίαν; *Vereor & patris præsentiam, & vestram revereor promptitudinem.* Certe in Alexandrina ecclesia solus Episcopus evangelium docuit, ex quo Arius presbyter Alexandrinus, dicendi libertate in necem ecclesiæ usus, nefariæ hæresis virus inde per totum fere orbem effudit; auctores Socrat. *lib. 5. cap.* † 22. & Sozomen. *lib. 7. cap.* 19. & in Orientalibus ecclesiis utcumque presbyteri prædicationis ministerio functi legantur, etiam coram episcopis; tamen prædicandi ratio ita distributa fuit, ut ad solos Episcopos doctrina fidei, ad presbyteros morum, ad diaconos disciplinæ institutio pertineret, ex *epistola 3. Clementis Rom. can. audire, 25. dist.* In Oriente sub tempora Chalcedonensis concilii, cum monachi passim turbas

bas facerent, & prædicandi licentiam sibi arrogarent, ne ea uterentur vetuit Leo I. epist. 63. ad Theodoritum Episcopum Cyr. *Adjicimus illud etiam, quod nobis propter improbitatem quorumdam monachorum religionis vestra verbo mandastis per vicarios vestros & hoc specialiter statuentes, ut præter Domini sacerdotes, nullus audeat prædicare, sive monachus, sive laicus ille sit, qui cujuslibet scientiæ nomine glorietur.* Et idem epist. 82. ad Julianum Coensem Episcopum: *Ut autem imperialis est potestatis tumultus publicos ac seditiones sacrilegas severius coercere; ita auctoritatis est sacerdotalis monachis prædicandi aliquam contra fidem licentiam non præbere, & omni virtute resistere, ne ea, quæ ad sacerdotes pertinent sibi audeant vindicare.* Serius in Gallia prædicandi potestas presbyteris tributa, hoc jure manente penes Episcopos. Primum presbyteris prædicandi evangelii, & his deficientibus diaconis homilias patrum recitandi, licentiam dedit Conc. Vasens. II. can. 2. *Hoc etiam pro ædificatione omnium ecclesiarum, & pro utilitate totius populi nobis placuit, ut non solum in civitatibus, sed etiam in omnibus parochiis verbum faciendi daremus presbyteris potestatem, ita ut si presbyter aliqua infirmitate prohibente per se ipsum non potuerit prædicare, sanctorum patrum homiliæ a diaconibus recitentur.* Inde secutus can. 10. conc. Arelat. IV. *De prædicatione providimus enim pro ædificatione omnium ecclesiarum, & pro utilitate totius populi, ut non solum in civitatibus, sed etiam in omnibus parochiis, presbyteri ad populum verbum faciant, & ut bene vivere studeant, & populo sibi commisso prædicare non negligant.* Ac demum Episcopi, cum ob varias occupationes per se non sufficerent ministerio verbi Dei, viros idoneos sibi adsumpserunt in sacræ functionis administros, ut sæviente persecutione Vincentius Martyr partes evangelii prædicandi suscepit a Valerio Cæsaraugustano, quas ipse linguæ vitio per se obire nequibat, & adulta jam pace ecclesiæ, Augustinus presbyter factus a Valerio Hipponensi Episcopo, & in partem laborum & dispensationis verbi vocatus. Ita & Flavianus Antiochenus Episcopus in conventibus ecclesiasticis minime concionatus est, quod dicendi facultate minus valeret; illis tamen, qui id muneris ejus vice obibant, copiam argumentorum & sententiarum e sacris litteris suppeditavit; auctor mihi est Theod. *lib. 4. cap.* † 25. His exemplis in ecclesia Constantinopolitana instituti concionatores Διδάσκαλοι, id est doctores, Græcis dicti, qui Patriarchæ vice populum docerent, eisque ex novella Alexii Comneni decretæ annonæ, & proximus gradus post quinque officiales patriarchæ, quos exocatacœlos vocabant, ut refert Balsamo in *d. can. 19. synod. Trull.* & ex conc. Lateranensi habito sub Innocent. III. constitutum, ut Episcopi tam in cathedralibus, quam in collegiatis ecclesiis, idoneos viros sibi eligerent in adjutores & cooperatores in prædicationis officio; *cap. inter cetera, de officio ordinarii.*

C A P. VII.

Episcopi munus est docere sacras litteras. Schola in ecclesiis. Scholasticus, seu magister scholarum. Ei successit cancellarius.

EPISCOPI proprium munus est docere, cujus partes aliæ sunt in prædicatione verbi Dei, de qua modo dictum est, aliæ in docendis sacris litteris. Sed quia & illud onus gravius fuit, quam ut Episcopus huic per se sufficeret, jam ab ipso ortu ecclesiæ Episcopi scholas instituere, & magistros imposuere, qui sacras litteras & liberales artes docerent. Hac ratione doctores instituti in ecclesia Antiochena jam ab ipsis Apostolorum temporibus; *act.* 13.

Ex hujus scholæ magisterio prodiit Malchion, qui Paulum Samosatenum Antiochenum Episcopum palam erroris coarguit; teste Eusebio *lib. 7. cap.* † 29. Ab eadem ætate in ecclesia Alexandrina percelebres fuere sacrarum litterarum scholæ, in quibus claruere Pantænus, Clemens, Origenes, Heraclas, & alii quos memorat Eusebius *lib. 5. cap.* 10. † 11. *lib. 6. cap.* † 6. 19. & ipse Origenes post discessum ab Alexandria eodem docendi munere functus est, tam in Cæsariensi, quam in Hierosolymitana ecclesia, ex speciali Antistitum utriusque civitatis permissu; testem habemus eundem Euseb. *lib. 6. cap.* † 27. His exemplis Galliarum Episcopi litterarum studia velut religionis nostræ fomites excoluere, & scholas posuere in ipso matricis ecclesiæ ambitu, quibus lectos præfecere magistros: hoc pacto Etherius Lexoviensis Episcopus clericum quendam morti addictum viginti redemit aureis, cui, profitenti se doctorem esse litterarum, scholas commisit; Gregorius Turonensis lib. 6. cap. 36. *Gavisus auditu sacerdos pueros civitatis collegit, ipsique delegat ad docendum*; quod & narrat Aimoin. *lib. 3. cap.* 53. Ut scholæ, per singula episcopia instaurarentur, jussit Carolus M. capitul. lib. 1. cap. 72. *Ut scholæ legentium puerorum fiant, psalmos, notas cantus, compotum, grammaticam, per singula monasteria, vel episcopia discant*. Unde depromptus can. 3. concil. Cabillonens. II. *Oportet etiam ut, sicut dominus Imperator Carolus præcepit, Episcopi scholas constituant, in quibus & litteraria solertia disciplinæ, & sacræ scripturæ documenta discantur*. Episcopis vero segnius se habentibus in cura scholarum, ut diligentius scholas curarent, & ut scholasticos suos provinciali concilio sisterent, ut eorum merita & studia paterent, jussit concil. Parisiens. can. 30. *Et quando ad provinciale Episcoporum concilium ventum fuerit, unusquisque lectorum scholasticos suos eidem concilio adesse faciat, ut suum solers studium circa divinum cultum omnibus notum fiat*. Rursus intepescens Episcoporum studium in scholis instaurandis, excitavit conc. Valentinum, can. 18. *Ut de scholis tam divinæ, quam humanæ litteraturæ, nec non & ecclesiasticæ cantilenæ, juxta exemplum prædecessorum nostrorum aliquid inter vos tractetur, & si potest fieri statuatur atque ordinetur, quia ex hujus studii longa intermissione pleraque ecclesiarum Dei loca & ignorantia fidei & totius scientiæ inopia invasit*. Per hæc tempora Eugenius II. legem dixit universis orbis Christiani Episcopis, ut in ecclesiis suis, aliisque idoneis locis scholas litterarum constituerent, canones Gallicanos haud dubie secutus; can. de quibusdam, 38. dist. *De quibusdam locis ad nos refertur, neque magistros, neque curam inveniri pro studio litterarum. Idcirco in universis episcopiis, subjectisque plebibus, & aliis locis, in quibus necessitas occurrerit, omnino cura & diligentia adhibeatur, ut magistri & doctores constituantur, qui studia litterarum, liberaliumque artium dogmata assidue doceant: quia in his maxime divina manifestantur atque declarantur mandata*. Melioris disciplinæ instaurandæ studiosus Fulco Remensis Archiepiscopus duas scholas canonicorum, & ruralium clericorum pene collapsas restituit, & Remigium Antisiodorensem liberalium artium magistrum, ut tempora ferebant doctissimum, eis præposuit; Flodoard. lib. 4. *cap.* 9. *Præfatus denique præsul honorabilis Fulco, solicitus circa Dei cultum, & ordinem ecclesiasticum, amore quoque sapientiæ fervens, duas scholas Remis, canonicorum scilicet loci, atque ruralium clericorum, jam pene delapsas restituit, & evocato Remigio Antisiodorensi magistro, liberalium artium studiis adolescentes clericos exerceri fecit, ipseque cum eis lectioni ac meditationi sapientiæ operam dedit*. Hoc instituto passim in Gallia & Germania surrexerunt clariores scholæ in ecclesiis episcopalibus; Albertus Krantzius lib. 3. metropol. cap. 43. *Apud insignes ecclesias ab antiquo docti viri fovebantur, qui publicas scholas sustinerent, priusquam publica litterarum gymnasia, quæ nunc multa florent per Christianismum, erigerentur*. Ut in ecclesia Osnaburgensi jam a Caroli M. temporibus utriusque linguæ

guæ

guæ ſcholas inſtitutas, & inſignes doctores præfectos ſcribit idem Krantzius, *lib.* 1. *metropol. cap.* 2. Et qui hujusmodi ſcholis præfuere doctores, dicti ſunt ſcholaſtici, vel magiſtri ſcholarum; *conc. Pariſ. d. can.* 30. *cap. cum dilecta, de reſcript. cap. licet, de † ſuppl. neglig. præl. cap. cum † apoſtolica, de iis quæ fiunt a præl. ſine conſenſ. capitul. cap. veniens, de regul.* Sigebert. ad ann. 1045. *Franco ſcholaſticus Leodicenſium & ſcientia litterarum, & morum probitate claret.* Baldricus Noviomenſis chron. Camerac. lib. 3. cap. 61. de Lietberto ſcholaſtico Cameracenſi, per Gerardum Epiſcopum facto: *Et ut amplius eum in ſcientia confirmaret, regendas ſcholas ſanctæ Mariæ matris eccleſiæ ei commiſit, qui honor, propter laborem rarus, nobilibus committitur; ſed quanto rarior, tanto magis honorabilior comprobatur.* Et mox; *Cognita vero Epiſcopo ſcholaſtici induſtria, ſeparavit eum a puerorum doctrina.* Jo. Sariſber. epiſt. 174. ad Pictav. Epiſcopum: *Et ſi vos ipſi huic petitioni meæ vacare non poteſtis, precor attentius, ut magiſter ſcholarum eam cum omni diligentia & feſtinatione exequatur.* Scholaſtici ipſi ea ætate docebant ſacras litteras, & auxiliares ſub ſe habebant qui liberales artes docerent; Idem Krantz. lib. 5. metropol. cap. 26. de Bennone, ex ſcholaſtico Hildeſemenſi, Oſnaburgenſi Epiſcopo: *Docebant enim illa ætate ſcholaſtici ſacras litteras, & habebant qui ſubdocerent in trivialibus.* Iidem clericos & ſcholares egentes gratis docebant, & ob id, ſtipendii vice præbendam capiebant; *cap.* 1. *& tot. tit. de magiſtr.* Scholaſticis de medio actis, plerisque in eccleſiis cancellarii eis ſucceſſere, ut in eccleſia Mediolanenſi; *cap. ut noſtrum, ut eccleſiaſt. benef. ſine diminut. confer.* Defecto uſu docendi, cancellarii munus fuit tenere ſigillum eccleſiæ. Ideoque inveſtituram cancellariæ Mediolanenſis per traditionem ſigilli ab Epiſcopo factam ſcribit Innocent. III. lib. 2. epiſt. 403. *Adjecit autem unus veſtrum prædictorum, quod poſtquam ad te mandatum noſtrum pervenerat, & ipſe H. jam Bononia rediiſſet, ita ei ſolemniter & publice tradidiſti ſe vidente ſigillum, mandans ei, ut cancellarii officium exerceret.* Cujus epiſtolæ pars extat in *cap. ut noſtrum, de appellat.*

C A P. VIII.

Epiſcopi proprium eſt pœnitentiam publicam indicere, pœnitentes reconciliare. Presbyteris id non permiſſum, niſi ex mandato Epiſcopi, vel in mortis discrimine. Pœnitentiarii officium. Pœnitentiæ publicæ uſus ſublatus.

MElioribus eccleſiæ temporibus proprium Epiſcoporum munus fuit pœnitentiam publicam indicere, & pœnitentes reconciliare, ſeu abſolvere; concil. Carthag. 2. can. 3. *Ut chriſma, vel reconciliatio pœnitentium, nec non & puellarum conſecratio a presbyteris non fiat.* Concil. Agathenſ. can. 44. *Benedictionem quoque ſuper plebem in eccleſia fundere, aut pœnitentem in eccleſia benedicere presbytero penitus non licebit, can. ſi jubet, can. miniſtrare,* 26. *qu.* 6. Hoc jure presbyter non poteſt pœnitentiam publicam admittere, niſi ex mandato Epiſcopi, vel eo abſente, propter neceſſitatem in extremo vitæ discrimine; concil. Carthag. 3. can. 32. *Presbyter inconſulto Epiſcopo non reconciliet pœnitentem, niſi abſente Epiſcopo ultima neceſſitas cogat, can. presbyter ult.* 26. *qu.* 6. cui congruit *can.* 46. *ſynod. Carthag.* apud Balſamon. & concil. Eliberit. can. 32. *Si quis gravi lapſu in ruinam mortis inciderit, placuit agere pœnitentiam non debere, ſed potius apud Epiſcopum, cogente tamen infirmitate, neceſſe eſt presbyterum communionem præſtare debere, & Diaconum ſi ei juſſerit ſacerdos.* Lamponiano injuriarum damnato & eccleſiaſtica communione acto,

ejus absolvendi potestatem ad se revocavit Synesius, & presbyteris suis tantum permisit, ut eum in communionem reciperent imminente mortis periculo; testis ipse epist. 67. *τοῦ δὲ λῦσαι τὴν αὐθεντίαν εἰς τὴν ἱερατικὴν καθέδραν ἀνέπεμψα· τοσοῦτον δ' ἐν ἐμαυτῷ συνεχώρησα, εἰ προσπελάσειε Λαμπωνιανῷ τὸ χρεὼν, καὶ ἡ κυρία παρεῖναι δοκεῖ, πᾶσιν ἐφῆκα τοῖς τότε παρεσομένοις πρεσβυτέροις κοινωνίας αὐτῷ μεταδοῦναι: Remisi autem auctoritatem solvendi ad cathedram episcopalem, tantum igitur mihi sumpsi, si accederet Lamponiano mors, & si certus dies mortis videretur adesse, quod permiserim omnibus, qui tum aderunt, presbyteris, ei communionem impertire.* Ab eo tempore quo Novatiani ecclesiam perturbarunt, pœnitentiam id est post naufragium tabulam abnegantes, in singulis ecclesiis episcopalibus institutus est presbyter pœnitentiarius, qui exomologeses audiret, & pœnitentiam publicam admitteret; Socrates, lib. 5. cap. 19. *οἱ Ἐπίσκοποι τῷ ἐκκλησιαστικῷ κανόνι τὸν πρεσβύτερον τὸν ἐπὶ τῆς μετανοίας προσέθεσαν, ὅπως ἂν οἱ μετὰ τὸ βάπτισμα πταίσαντες, ἐπὶ τοῦ προβληθέντος τούτου πρεσβυτέρου ἐξομολογῶνται τὰ ἁμαρτήματα. Episcopi pœnitentiarium presbyterum albo ecclesiastico adjecerunt, ut qui post baptismum lapsi essent, coram presbytero, ad eam rem constituto, delicta sua confiterentur.* Diu duravit institutum pœnitentiarii in ecclesia Constantinopolitana, donec is exauctoratus a Nectario ob stuprum matronæ pœnitenti a diacono in ecclesia illatum, & inde pœnitentiæ publicæ usus de medio sublatus; auctor est Socrates, *loco modo laudato*. Sozomen. *lib.7. cap.16.* & Nicephor. *lib.12. cap. 27.* In ecclesiis occidentalibus, maxime in ecclesia Romana, in hunc diem superstes est pœnitentiarius, ea dignitate, ut ex ipso cœtu Cardinalium assumatur, & eius officium sit perpetuum, nec morte Pontificis expiret; *clem. ne Romani, §. eo tamen proviso, de elect.* Id muneris cum laude functus Raymundus de Pennaforti collector decretalium apud Gregor. IX. adeoque necessarium visum est pœnitentiarii officium in opem Episcoporum, ut in concil. Lateranensi habito sub Innocentio III. lex dicta sit Episcopis, ut in ecclesiis cathedralibus vel collegiatis idoneos viros sibi adsciscerent, qui confessionibus audiendis & pœnitentiis injungendis præessent; *cap. inter cetera, de offic. ordinar.* & in plerisque ecclesiis Galliæ pœnitentiarius unus est ex primoribus canonicis, ut in ecclesia Lemovicensi; *cap. propofuit, de cleric. excommun. ministrant.* in Anglia quoque confessores generales, id est pœnitentiarii, in singulis ecclesiis cathedralibus instituti; ex concil. Londinensi habito anno 1237. Præside Othone Cardinali, & legato sedis apostolicæ, apud Matthæum Paris. *In ecclesiis vero cathedralibus confessores institui præcipimus generales.* Idem voluit concil. Trident. *sess. 24. de reformat. cap. 8.* ut in omnibus cathedralibus ecclesiis pœnitentiarius cum unione præbendæ proxime vacaturæ ab Episcopo instituatur.

C A P. IX.

Episcopi munus est lustrare diœcesim. Περιοδευτὴς, circuitor, visitator, ejus officium & propria diœcesis. Circator in monasteriis.

EPISCOPI officium est lustrare & visitare diœcesim: hujus instituti typus & exemplum proponitur Christus, de quo scriptum est *Luc. 10.* quod Judææ oppida & castra circuiret populi docendi causa, vel ut plura loca vestigiis consecraret, ut ait Nazianzen. orat. 31. *ἵνα τόπους ἁγιάσει πλείονας*. Domini & magistri exemplo Petrus civitates circuisse memoratur, ut fideles confirmaret; *act. 9. & 10.* annuæ visitationis munus Episcopis imponit, & per antiquum institutum agnoscit concil. Tarraconens. can. 8. *Decrevimus, ut antiquæ*

quæ consuetudinis ordo servetur, *& annuis vicibus ab Episcopo diœceses visitentur*, & concil. Tolet. IV. can. 35. *Episcopum per cunctas diœceses, parochiasque suas per singulos annos ire oportet, ut exquirat quo unaquæque basilica in reparatione sui indigeat*, *can. decrevimus*, *can. Episcopum*, 10. *qu.* 1. Jure canonico Episcopum circumire diœcesim dixit synod. Suessionens. *Quando jure canonico Episcopus circumit parochiam ad confirmandum populum*, *abbates*, *vel presbyteri parati sint ad suscipiendum Episcopum in adjutorium necessitatis*. Si ecclesiæ usum spectemus, toti in visitationis officio fuere Basilius Cæsariensis, & Gregorius Nazianzenus, de utroque testis Socrates, *lib.4. cap.* † 26. δεδιὼς, loquitur de Basilio, γὰρ μή πως Ἀρειανὴ καινοτομία, καὶ τὰς κατὰ τὸν Πόντον ἐπινεμηθῇ ἐπαρχίας, δρομαῖος ἐπὶ τὰ ἐκεῖ μέρη διέβαινεν· ἐκεῖ τε ἀσκητήρια συστησάμενος, καὶ κατηχήσας τοὺς ἄνδρας τοῖς αὐτοῦ διδασκαλίαις, τοὺς σαλευομένους ἐστήριξε· Γρηγόριος δὲ τῆς Ναζιανζοῦ πόλεως εὐτελοῦς ἐν Καππαδοκίᾳ, ἧς καὶ ὁ αὐτοῦ πατὴρ πρότερον ἐκκλησίας προέστη, κατὰ τὰ αὐτὰ τῷ Βασιλείῳ διεπράττετο· περιϊὼν γὰρ καὶ αὐτὸς τὰς πόλεις, τοὺς ῥαθυμοῦντας περὶ τὴν πίστιν ἀνεῤῥώννυ: *Magnopere veritus de nova Arianorum doctrina, ne per provincias Ponti serperet, celeriter ad eas partes proficiscitur. Ibique monasteria constituens, & homines suæ doctrinæ præceptis informans, vacillantes confirmavit. Gregorius autem Nazianzi urbis Cappadociæ perexiguæ, cui etiam pater ipsius ante præfuerat, Episcopus constitutus, idem quod Basilius præstitit, urbes quippe perlustrans languentes in fide confirmavit*. Frequentissime diœcesim visitavit Augustinus: testis ipse epist. 15. in append. *Sed quoniam visitandarum ecclesiarum ad meam pertinentium curam necessitate profectus sum, nec per me ipse debitum continue reddere potui*. Et idem in visitationis decursu sæpius insidias passus a circumcellionibus; Possid. ejus vit. cap. † 12. *Aliquoties vero etiam vias armati iidem circumcelliones contra famulum Dei Augustinum obsederunt, dum forte iret rogatus ad visitandas instruendasque & exhortandas Catholicas plebes, quod etiam ipse frequentissime faciebat*. Visitationis officium studiose exegerunt Gallicani Episcopi; de se ipso testatur Sidonius Arvernorum Episcopus, lib. 4. epist. 13. *Nuper rogatu Germanici spectabilis viri Cantillensem ecclesiam inspexi*. De Pappulo Lingonensi Episcopo, testis Gregor. Tur. lib. 5. cap. 5. *Anno octavo Episcopatus sui, dum diœceses ac villas & ecclesias circuiret, quadam nocte dormienti apparuit illi Beatus Tetricus vultu minaci*. De Trojano Santonensi Episcopo, idem Turonensis lib. de glor. confess. cap. 59. *Hic fertur dum esset in corpore, si novum ut adsolet amphibolum induisset, cum quo processurus diœcesim circumiret*. Proprium igitur munus est Episcoporum circumire & lustrare diœcesim: sed cum hi universas diœcesis partes observare non valerent ob ampliores ejus fines, & varias occupationes, ab Episcopis instituti sunt περιοδευταὶ, id est circuitores, seu visitatores, qui vicanas & pagenses ecclesias circumirent, de quibus can. 57. conc. Laodicens. ὅτι οὐ δεῖ ἐν ταῖς κώμαις, καὶ ἐν ταῖς χώραις καθίστασθαι Ἐπισκόπους, ἀλλὰ περιοδευτάς: *Quod non oportet in vicis & pagis Episcopos constitui, sed periodeutas, hoc est circumcursatores*. περιοδευταὶ dicti, quod vicanas Ecclesias circumirent, nec propriam sedem haberent. Ita eos accipit Zonaras in d. can. 57. syn. Laodicen. περιοδευταὶ δὲ λέγονται διὰ τὸ περιέρχεσθαι, καὶ καθαρσάζειν τοὺς πιστούς, μὴ ἔχοντες καθέδραν οἰκείαν: *Periodeutæ vero dicuntur, quod circumeunt, & perficiunt fideles, non habentes propriam cathedram*. Ita & veteres glossæ, περιοδευτὴς, *circitor*, *lustrator*. Periodeutæ non habebant jus vagandi per universas ecclesias quæ essent in agro, sed eorum munus certi tractus ecclesiis circumscriptum erat, ut ostendit Theodorit. in Philotheo, cap.26. **) καὶ πείθει, loquitur de Symeone Stylite, τὸν θαυμάσιον Βάσσον, ὃς τηνικαῦτα πολλὰς περιώδευσε κώμας τοῖς κατὰ κώμην ἱερεῦσιν ἐπιστατῶν μηδὲν ἔνδον μὲν καταλιπεῖν: *Suadet itaque admirando Basso, qui tunc temporis multos vicos circumibat, vicanis præsidens sacerdotibus, ut intus nihil*

relinquat. Non desunt viri eruditi, qui credunt, periodevtas eosdem fuisse cum chorepiscopis: sed verius est eos constituere proprium & peculiare officium ecclesiasticum. A chorepiscopo separatur periodevta duobus locis in *l. omnem* 42. §. *praeterea* 9. C. *de Episc. & cleric.* Alexandrum presbyterum periodevtem a patribus Chalcedonensis concil. missum ad Marcianum Augustum ob causam monachorum, narrant gesta ejusd. conc. act. 4. (in actione de Canoso &c.) *ὁ εὐλαβέστατος πρεσβύτερος καὶ περιοδευτὴς Ἀλέξανδρος ἀποσταλεὶς παρὰ τῆς ὑμετέρας ἁγιωσύνης πρὸς τὸν εὐσεβέστατον, καὶ φιλόχριστον Βασιλέα τῶν μοναζόντων ἕνεκεν. Reverendissimus presbyter, & circuitor Alexander missus a sanctitate vestra ad piissimum, & Christi amantem Imperatorem nostrum, monachorum causa*. Et periodevtem novissimum inter officia ecclesiastica, quae presbyteris congruunt, numerat Jo. Citri in respons. ab Cabasilam.**) *εἰσὶ δὲ καὶ ἕτερα ὀφφίκια, ἅπερ μάλιστα τοῖς ἱερεῦσιν ἁρμόζουσιν, ὁ ἐπὶ τῶν κατηχήσεων, ὁ ὀρφανοτρόφος, οἱ τέσσαρες ἔκδικοι, ὁ ἄρχων τῶν φώτων, ὁ νουμμοδότης καὶ ὁ περιοδευτής: Sunt autem & alia officia, quae presbyteris maxime congruunt, catechista, orphanotrophus, quatuor defensores, luminarius, nummidator, & circitor, seu visitator*. In monasteriis fuit & circatorum gradus, qui monachorum cellulas circumibant, eosque signo evocabant; Ekkeard. Junior de casib. monaster. S. Galli, cap. 3. *Et ecce primo signo ad vesperas pulsato circator fratres collecturus asino pro religione insidens ostio domus hospitii jam dicti, quasi aliquem & ibi quaesiturus appropriat*. Et idem cap. 6. *At tertia feria exactoribus, quos circatores vocamus, culpas eorum magistro rememorantibus, omnes exuere jubentur:* Circatores dicti a verbo circare, quo usus est Tibullus lib. 1. eleg. 3. pro circuire.

Tantalus est illic, & † circat stagna.

† In lib. meo, *circum stagna*.

C A P. X.

Episcopus curator pauperum. Matricula pauperum in ecclesiis. Matricularii. Xenodochia in ambitu ecclesiarum. Xenodochus. Xenodochia non debent fundari absque assensu Episcopi.

AD Episcopum in primis pertinet cura pauperum, quod bona ecclesiae, quorum is primaevus dispensator est, sint bona pauperum: eo nomine collectae, seu stipes deponebantur apud Episcopum, qui eas in egenos erogabat. Praeter Justinum martyr. loco supra laudato, Chrysostomus lib. 3. de sacerdot. cap. † 16. *πολλῆς ἂν δεῖ τῆς προμηθείας, ὡς μήτε πλεονάζειν, μήτε ἐλλείπειν τῆς ἐκκλησίας τὴν περιουσίαν. ἀλλὰ πάντα μὲν σκορπίζειν ταχέως τοῖς δεομένοις τὰ ποριζόμενα ἐν δὲ ταῖς τῶν ἀρχομένων προαιρέσεσι συνάγειν τῆς ἐκκλησίας τοὺς θησαυρούς*: & mox, *τάς τε τῶν ξένων ὑποδοχάς, καὶ τὰς τῶν ἀσθενούντων θεραπείας πόσης μὲν οἴει δεῖσθαι χρημάτων δαπάνης; Magna provisione opus est, ecclesiae substantiam, neque redundare, neque deficere, sed quae ecclesiae erogantur continuo indigentibus dispertienda, ceterum in subditorum animis ecclesiae thesauros collocandos, enimvero susceptiones hospitum, & curationes aegrotorum quanta pecunia egere existimas?* Et in singulis ecclesiis episcopalibus aliisve habebatur matricula, in qua inscripti erant pauperes invalidi, qui ecclesiae sumptu alebantur, unde & matricularii dicebantur; Gregor. Turonens. lib. 7. cap. 29. *Nonnulli etiam matriculariorum, & reliquorum pauperum, pro scelere commisso tectum cellulae conantur evertere*. Et idem lib. 1. mirac. cap. 37. *Celebratisque vigiliis, mane pauperibus, qui ad matriculam illam erant, cibum potumque protulit*. Idemque lib. 2. de mirac. S. Martin. cap. 31. *Cum ad matriculam illam, quam sanctus suo beneficio devotorum eleemosynis pascit, quotidie a fidelibus*

libus necessaria tribuantur. Et Flodoard. lib. 1. hist. Remens. cap. 18. *Pauperibus duodecim in matricula positis, ante fores ecclesiæ expectantibus stipem, duo solidi, unde se reficiant, inferentur*. Pauperes ecclesiæ dixit Turonensis, lib. 5. cap. 26. *Post hæc Chilpericus Rex de pauperibus & junioribus ecclesiæ, vel basilicæ bannos jussit exigi, pro eo quod in exercitum non ambulassent*. Nonnullis in ecclesiis, ut in Aurelianensi, fuit canonica, seu præbenda, ascripta in alimoniam pauperum, de qua restituenda scribit Gregor. VII. Rainerio Aurelianensi Episcopo, lib. 3. epist. 17. *Præcipimus etiam, ut canoniam concessam alimoniæ pauperum, quam ab eo usu substractam diceris vendidisse, ad eundem usum restituas*. Hoc pietatis studio certatim Episcopi xenodochia, seu ptochia suscipiendis peregrinis, & pauperibus in ecclesiæ ambitu collocare solebant; Epiphan. hæres. 75. (artic. 1. in fin.) ubi de xenodochiis: τοιαῦτα γάρ τινα κατασκευάζουσι κατὰ φιλοξενίαν, καὶ τοὺς λελωβημένους, καὶ ἀδυνάτους ἐκεῖσε ποιοῦντες καταμένειν, ἐπιχορηγοῦσι κατὰ δύναμιν οἱ τῶν ἐκκλησιῶν προεστῶτες: *Ejusmodi quippe domicilia præ amore erga hospites ab ecclesiarum antistitibus excitari solent, in quibus mutilatos & imbecilles collocant, iisque ad victum necessaria pro virili suppeditant*. Ita Basilius Cæsariensis Episcopus ingens ptochotrophium exædificavit, quod Nazianzen. orat. 20. (num. 91.) vocat τὸ τῆς εὐσεβείας ταμιεῖον, τὸ κοινὸν τῶν ἐχόντων θησαύρισμα: *pietatis promptuarium, commune ærarium*. Ita & Paulinus Nolanus Episcopus suum xenodochium posuit, & opibus suis largiter dotavit, quod & ipse non tacuit, epist. 12. (al. 32.) ad Severum conterraneum suum: *Faciamus istic tecta, inquit, quæ nos illic tegant. Pascatur istic pauper, ubi me divite eget; ut me illic pascat, ubi me egente saturabitur; videte commercium spiritale, & si potestis negate nos avaros, qui terram vendimus & tributum, ut immunitatem regni cum æternitate coemamus. Fragilem arenam jacimus, ut domum fundemus æternam, & de vilibus attingamus astra cæmentis*. Denique xenodochium passim videre erat tamquam naturalem accessionem ecclesiæ, unde & laudatur Placilla Augusta, quod ecclesiarum xenodochia religionis causa inviseret, & ægris decumbentibus ministraret; Theodorit. lib. 5. cap. † 19. ὑπὸ χεὶ τῶν ἐκκλησιῶν τοὺς ξενῶνας περινοστοῦσα, τοὺς κλινοπετεῖς δὲ ἑαυτῆς ἐθεράπευεν: *Similiter ecclesiarum hospitia visens, ægrotis in lectulo decumbentibus per se curationem adhibuit*. Verum cum Episcopi ob majores sacri ordinis occupationes pauperum curæ per se non sufficerent, matriculariorum curam vicariis & ministris demandarunt; Hincmarus Remens. epist. † 7. cap. 35. *Unde necesse est, ut per singulos annos ministri Episcoporum inquirant, quid pareat in singulis ecclesiis de parte decimæ, quæ juxta sacros canones ecclesiæ competit; sed & de matriculariis per singulas ecclesias juxta facultatem & possibilitatem loci curam adhibeant, ne presbyteri pro locis matriculæ xenia accipiant*. Et xenodochum, id est xenodochii præfectum, instituerunt, qui eorum vices subiret, ut Eustathius, Sebastiæ Episcopus factus, Aerium olim in monasterio sodalem presbyterum ordinavit, una & xenodochii curatorem; auctor est Epiphan. loco proxime laudato (immediate supr.) ἐδόκει δὲ προσλιπαρεῖν ὁ Εὐστάθιος τὸν Αέριον· αὐτίκα ὕστερον καθιστᾷ τοῦτον πρεσβύτερον, τό τε ξενοδοχεῖον αὐτῷ ἐμπιστεύει, ὅπερ ἐν τῷ Πόντῳ καλεῖται πτωχοτροφεῖον. *Et quidem Eustathius Aerio plurimum indulgere, & addictus esse visus est. Nam & presbyterum hunc postea creavit, & xenodochii, quod ptochotrophium in Ponto vocatur, curam ei commisit*. Isidori presbyteri & xenodochi Alexandrinæ ecclesiæ meminit Palladius hist. Lausiac. cap. 1. Ἰσιδώρῳ πρεσβυτέρῳ ὄντι ξενοδόχῳ τῆς Ἀλεξανδρέων ἐκκλησίας. Post œconomum, & ecclesiæ ecdicum, seu defensorem, inter officia ecclesiastica numerantur xenodochus, & nosocomus, vel ptochotrophus; *l. omnem* † 42. §. *præterea sancimus* 9. *C. de Episc. & cleric*. Hac ratione clerici in ptochiis constituti, sunt in ditione & potestate Episcopi; *concil. Chalced. can.* 8. *can. quidam monachorum*, 18. *qu*. 2. & hospi-

talia ipsa pertinent ad sollicitudinem Episcopi, nec condi solent præter ejus sententiam; *cap. de xenodochiis*, *cap. ad hæc*, *de religios. domib.* ut xenodochium a Childeberto Rege & Ultrogotha ejus conjuge Lugduni fundatum, non sine assensu antistitum Galliæ; conc. Aurelianens. V. can. 15. *De xenodochio vero quod piissimus Rex Childebertus, & conjugalis sua Ultrogotha Regina, in Lugdunensi urbe inspirante Domino condiderunt, cujus institutionis ordinem, vel exscriptionem petentibus ipsis manuum nostrarum subscriptione firmavimus, visum est*, &c.

C A P. XI.

Episcopi est velare virgines, easdemque curare. Curator virginum constitutus ab Episcopo. Ad Episcopum pertinet & cura viduarum: ea rejecta in archidiaconum, vel archipresbyterum.

EPISCOPO in primis incumbit & cura virginum Deo dicatarum. Episcopi solius est virgines velare & consecrare; concil. Carthag. II. can. 3. *Ut chrisma, vel reconciliatio pœnitentium, nec non & puellarum consecratio a presbyteris non fiat, can. si jubet*, 26. *qu.* 6. Hoc jure præcipuo Germanus Altissiodorensis Episcopus Genovefam virginem inauguravit, & numo æreo signo crucis insigni velut annulo pronubo subarrhavit; auctor est Contt. presbyt. lib. 1. *vit. S. Germani cap.* 21. *apud Surium*. Et jam olim ipsi Donatistæ Pseudo Episcopi suas virgines obvelarunt; Optat. Milevit. lib. 2. *Suprammemoratus Felix inter crimina sua & facinora nefanda ab eo comprehensa puella, cui mitram ipse imposuerat, a qua paulo ante pater vocabatur, nefarie incestare minime dubitavit*. Igitur præcipuum est Episcopi benedicere virgines, & quamvis chorepiscopis multa sint communia cum Episcopis, chorepiscopis non licuit consecrare virgines; Damas. *epist.* 4. Leo *epist.* 86. *can. quamvis*, *can. chorepiscopi*, 68. *dist. conc. Hispal. II. can.* 7. Presbyteris non omnino vetitum virgines consecrare, sed tantum inconsulto Episcopo, id est præter sententiam Episcopi; *concil. Carthag. III. can.* † 36. *can. presbyter* 3. 26. *qu.* 6. Ut vero Episcopi negotium est consecratio virginum, ejusdem provincia est cura virginum. Hanc inter graviores molestias episcopatus refert Chrysost. lib. 3. de sacerdot. cap. 17. *ἐπὶ δὲ τῆς τῶν παρθένων ἐπιμελείας, τοσούτῳ μείζων ὁ φόβος, ὅσῳ καὶ τὸ κτῆμα τιμιώτερον: Sed quod ad virginum curam spectat, tanto certe major inibi timor inest, quanto virginitatis donum pretiosius*. Ideo Episcopi, cum in varias episcopalis muneris partes distracti, regendis virginibus non sufficerent, idoneos ætate & moribus viros virginum choro præfecerunt. Ut qui sacris virginibus præponendus est, ab Episcopo loci comprobetur, statuit *can. qui religiosis*, 18. *qu.* 2. quem Gratianus male laudat ex concil. Carthag. IV. nec enim ibi quicquam consonum invenies: sed verius eum repetas ex Concil. Hispal. II. can. † 11. cujus priora verba hæc sunt: *Ut monasteria virginum, in provincia Bætica condita, monachorum administratione ac præsidio gubernentur*, quæ referuntur *can. in decima*, † 18. *qu.* 2. tum vero additur: *Sane is, qui ab abbate proponitur, judicio sui Episcopi comprobetur*. Quæ est sententia *can. qui religiosis*, iisdem fere verbis, nonnullis interpolatis tantum. Nec impune fuit clericis cujusque ordinis curam virginum sibi assumere inscio Episcopo. Glycerium diaconum protervitatis arguit Nazianzen. *epist.* 205. quod cœtum virginum privata auctoritate sine Episcopo collegisset, Patriarchæ, id est patris spiritualis virginum & nomen & habitum affectans: *καὶ πατριαρχίας ὄνομα, καὶ σχῆμα ἑαυτῷ περιθείς*. Qualis autem virginibus rector præponendus sit,

is

is nimirum qui ætate, & continentiæ laude omnem suspicionem a se removeat. Monasterium virginum ad trecentas usque congregavit Elias asceta, quarum curam gessit per tempus, sed libidinis æstu tentatus clam secessit in solitudinem, ut fuga sibi consuleret, nec prius rediit ad virgines, quam ab Angelo in somnis novacula excisus omnem voluptatis sensum amisit: ex quo securus per quadraginta annos in virginum gubernatione consenuit; auctore Palladio, *Lausiac. hist. cap.* 35. Ad Episcopum pertinebat & cura viduarum inopum, qua se magnopere gravari non negat idem Chrysostom. *d. lib.* 3. *de sacerdot. cap.* 16. quod viduarum genus semper sit querulum & inexplebile: has in album id est matriculam ecclesiæ referri moris erat, & ecclesiæ opibus sustentari; concil. Carthag. IV. can. 103. *Viduæ, quæ stipendio ecclesiæ sustentantur, tam assidue in Dei opere esse debent, ut & meritis & orationibus suis ecclesiam adjuvent*. Et Chrysostomus loco modo laudato: *ἡ τῶν χηρῶν θεραπεία δόκει μὲν μέχρι τῆς τῶν χρημάτων δαπάνης τοῖς ἐπιμελουμένοις αὐτῶν παρέχειν τὴν φροντίδα, τὸ δὲ οὐ τοιοῦτόν ἐστιν, ἀλλὰ πολλῆς δεῖται κἀν ταῦθα τῆς ἐξετάσεως*: *Viduarum quidem cura videtur haud aliam quam pecuniæ sumptus solicitudinem iis qui eis præficiuntur afferre; id autem non ita se habet, nam & hic quoque magno examine opus est, quoties illas deligere oportet*. Et Flodoard. *lib.* 1. *Remens. hist. cap.* 9. ex testamento Benagii Remens. Episcopi: *Sanctimonialibus & viduis in ma ricula positis solidos tres*. Sed quod viduarum cura nimiam solicitudinem facesseret Episcopis, placuit, ut viduarum curandarum provinciam rejicerent in archidiaconum, vel archipresbyterum. Idem concil. Carthag. IV. can. 17. *Episcopus gubernationem viduarum, & pupillorum, ac peregrinorum, non per se ipsum, sed per archipresbyterum, aut per archidiaconum agat*.

C A P. XII.

Episcopi alter alterius adjutores. Vicinior Episcopus per querelam adiri potest. Negligentia ordinarii suppletur per vicinum Episcopum. Inquisitores hæreticæ pravitatis. Testes synodales.

QUOT adjutoribus egeat episcopatus negotium adhuc ex eo velim intelligas, quod etiam vicinis Episcopis licet nonnullis casibus emendare factum, vel supplere negligentiam ordinarii, tamquam unus sit episcopatus, & Episcopi invicem sibi adjutores & correctores dati sint: ut si clericus non jure a suo Episcopo damnatus sit, per querelam ei licet adire vicinos Episcopos, ut ejus causa audiatur, ac per ipsos suo Episcopo reconcilietur; *concil. Sardicens. can.* 17. *Carthag. II. can.* 8. *Agathens. can.* 3. *can. si Episcopus* 4. *can. si quis presbyter, can. Episcopi*, 11. *qu.* † 3. Episcopi proprium munus est inquirere in hæreticos, & omnibus studiis diœcesim expurgare labe hæreseos; *cap. excommunicamus* 13. §. *adjicimus*, *de hæretic.* quod si Episcopus in eo opere negligens & remissior inventus fuerit, monendus est a vicinis Episcopis: & si conventus intra sex menses populos lapsos ab errore non receperit, tunc hujusmodi loca cedunt priori occupanti e vicinis Episcopis, qui poterit ea lucrifacere, nisi appareat occupantis negligentiam electam ab hæreticis, ut impune eis sit; *concil. African. can.*88. *can. placuit* 15. 16. *qu.*3. cui concinit *can.* 24. & 25. *Milevit. & can.*122. *Carthag. apud Balsam.* Unde & delibata videtur constitut. Friderici II. ex qua si dominus temporalis monitus per ecclesiam, intra annum ditionem suam hæresis tabe expurgare neglexerit, terra illius conceditur primo occupanti, qui hæreticos inde depulerit; *auth. si vero, C. de hæretic.* Sed quia nec vicini Episcopi proposito præmio, nec proprii Episcopi

scopi satis movebantur, pœnæ metu, & damno episcopatus ad oppugnandam hæresim quo par erat animo, & latius in dies serpebat hæresis, negligentia præsulum, quod in diœcesi Tolosana contigisse dolet Innocent. III. in *cap. in causis, de elect.* a sede apostolica instituti sunt inquisitores hæreticæ pravitatis, qui cum Episcopis procederent in hæreticos: nec enim horum delegatione derogatum est potestati ordinariorum; *cap. ut officium, cap. ut commissi, cap. per hoc, de hæretic. in 6.* Præter hos aliud fuit genus inquisitorum, qui a Metropolitano in synodo provinciali deligebantur, ut per singulas diœceses investigarent quæ correctione & reformatione egerent, & ea perferrent ad Metropolitanum & suffraganeos in proximo concilio; *cap. sicut olim, de accusat.* & juramento adigebantur in synodo, se ex fide pro veritate denunciaturos quæcumque ad synodales causas pertinentia ad eorum notitiam pervenissent; *can. Episcopus, 35. qu. 6.* ubi formula solemnis eorum juramenti exponitur. Unde & testes synodales dicuntur *cap. præterea, de testib. cogend.* quod a synodo lecti essent, & vice synodi procederent, ut de judicibus delegatis in synodo, ait Ambros. epist. 79. (al. 56.) *Vicem enim synodi recepistis, quos ad examinandum synodus elegit.*

C A P. XIII.

Canonici duo adhibiti socii Episcopo. Συγκέλλοι. Concellanei Episcopi. Canonici adsessores & consiliarii Episcopi.

Tintinnabulis insignis fuit ora vestis summi Sacerdotis, ut ejus conversatio nota esset; Augustin. lib. 2. quæst. in exod. cap. 119. *Testimonia ergo quadam significari voluit in veste sacerdotali, qua utique significatur ecclesia per hæc tintinnabula, ut nota sit conversatio sacerdotis.*

INTER adjutores Episcopi non incongrue refero & duos e canonicis matricis ecclesiæ, qui jure communi addicti sunt obsequio Episcopi. Sicut sponsus non solet in conspectum venire absque paranympho; ita & Episcopus, qui est sponsus ecclesiæ, publice aut privatim sine diacono esse non debet, ut idoneum conversationis testem semper habeat; Epiphan. hæres. † 75. artic. 5. *ἄνευ δὲ διακόνου Ἐπίσκοπον ἀδύνατον εἶναι. Sine diacono Episcopum esse non posse.* Et vero ex antiquiori disciplina diaconi septem esse debent, qui adsteut Episcopo prædicanti, ut tutus sit ab insidiis hostium, vel detractione maledicorum; *can. diaconi 11. 93. dist.* & constitutione Lucii cavetur, ut duo presbyteri & tres diaconi omni loco præsto sint Episcopo, propter testimonium ecclesiasticum; *can. jubemus, de consecr. dist. 1.* Huc pertinet *can. 20. concil. Turonens. II.* ne archipresbyter procedat in villam, sine aliquo e clericis. Symmacho de adulterio calumniam passo, hac occasione in Romana synodo omnes Episcopi & presbyteri jussi concellaneos seu cellulanos habere, ut patet ex episcopali ea de re præcepto, apud Ennodium Ticinensem: & in synodo Romana habita sub Gregorio I. lex repetita, ut Episcopi clericos vel monachos lectos contubernales haberent, idoneos vitæ & secretorum arbitros, ad amoliendas infensorum calumnias; *can. cum pastoris, 2. qu. 7.* Hac ætate clericis usi sunt Episcopi in privato famulatu & ministerio, quos Græci vocabant *συγκέλλους*, unde in *gestis Chalced. concil. act. 3.* Ischyrion, (in ejus libello) unus ex accusatoribus Dioscori Alexandrini Episcopi, se paratum probare dicit, quæ objiciebat testibus ejus syncellis, *μαρτύρων συγκέλλων αὐτοῦ ὄντων:* & eadem actione Sophronius (similiter in ejus libello) alter ex accusatoribus Dioscori petit in medium adduci Agerastum unum ex consciis scelerum, *σύγκελλον αὐτοῦ ὄντα.* Adeoque famæ studuere Episcopi, ut etiam nocturnæ quietis testes adhiberent, quasi innocentiæ excubatores: de Etherio Lexoviensi Episcopo narrat Gregorius Turonensis lib. 6. cap. 36. *In stratum suum quievit, habens circa lectum suum multos lectulos clericorum.* Neque ea propter solum Episcopus clericos

ricos in contubernio habere debet, ut pudori consulat; sed etiam duos e canonicis matricis ecclesiæ ei evocare licet, quorum ministerio & obsequio utatur in rebus ecclesiæ; *cap. de cetero*, *cap. ad audientiam*, *de cleric. non residentib.* quia canonici cathedralis ecclesiæ sunt assessores Antistitis, & eis constat senatus ecclesiæ; Clemens Romanus constit. lib. 2. cap. 28. *τοῖς δὲ πρεσβυτέροις ὡς ἂν κάμνουσι, περὶ τὸν τῆς διδασκαλίας λόγον διπλῆ, καὶ αὐτοῖς ἀφοριζέσθω ἡ μοῖρα... ὡς σύμβουλοι τοῦ Ἐπισκόπου, καὶ τῆς ἐκκλησίας στέφανος, εἰσὶ γὰρ συνέδριον, καὶ βουλὴ τῆς ἐκκλησίας: Presbyteris autem si assidue in studio docendi verbum Dei laboraverint, seponatur dupla portio . . . tamquam consiliarii Episcopi, & ecclesiæ corona; sunt enim consilium & senatus ecclesiæ*. Et Hieronymus ad Rusticum: *Ecclesia habet senatum, cœtum presbyterorum*. Ideoque duo illi canonici, qui sunt in obsequio Episcopi, fructus præbendarum lucrifaciunt, quia pro præsentibus habentur; *d. cap. de cetero*, *& d. cap. ad audientiam*.

C A P. XIV.

Missi episcopales. Catechistæ.

IN assem adjutorum Episcoporum veniunt & speciales missi, qui potestatem accipiunt ab Episcopo docendi & prædicandi per vicos & villas, unde nomen eis missi, vel missionarii. Apostoli jure communi multos in universas orbis partes divini verbi præcones emiserunt: ut Petrus Marcum, laborum socium Roma, misit in Ægyptum, ecclesiæ Alexandrinæ conditorem futurum, & alios in alias orbis partes. Creditur Paulus in Hispaniam pervenisse, & Arelate Trophimum, Viennæ Crescentem ad prædicandum reliquisse. His exemplis Episcopi, qui Apostolorum locum tenent, multos per varia tempora evangelii doctores in Barbaricas orbis partes ablegarunt. A Demetrio Alexandrino Episcopo, Pantænus evangelii primicerius in Indiam missus; Eusebius *lib. 5. cap.* † 10. Hieronym. *de scriptorib. ecclesiast. cap. 36.* Rursus ab Athanasio Frumentius Episcopus ordinatus, cum eadem legatione in Indiam; Sozomen. *lib. 2. cap.* † 24. Socrat. *lib. 1. cap.* † 19. Temporibus Valentis Moses Monachus ab Ægyptiis Orthodoxis Episcopis, spreto Lucio incubatore Alexandrinæ ecclesiæ, Episcopus ordinatus, ad Saracenos recens conversos perdocendos in fide; eidem Socrat. *lib. 4. cap.* † 36. Rebus ecclesiæ compositis Episcopi suis se finibus continuere, nec docendi per se vel per alios licentiam extra diœcesim suam tentarunt: neve Episcopus in aliena civitate publice doceret vetuit *can. 20. synod. VI. in Trullo*. Inde Lateranensi synodo constitutum, ut Episcopi populos subjectos per se docerent, vel per lectissimos viros, quibus congrue necessaria ministrarent; *cap. inter cetera*, *de offic. ordin.* Hoc munere summa cum laude functi olim Fulco presbyter Parisiensis, Joannes de Nivella, & alii viri pii, & prædicationis officio malos Parisiensium mores composuerunt, meretrices a turpi quæstu removerunt, alias elocando dote dicta ex ære collatitio, alias pœnitentium ergastulo includendo, & universas Galliæ & Germaniæ provincias prædicando lustrarunt, consensu scilicet harum regionum Antistitum, de quo Jacob. a Vitriaco *hist. Occidental. cap. 6. & seqq. & Auctarius Ottonis Frisingens. cap. 47.* Hæc propria illius sæculi laus, quod Galliarum Episcopi plerique pæne intermortuam hujus instituti memoriam suscitarunt, & lecta doctorum manu instructa saniorem doctrinam per amplas diœceses eorum opera circumferre cœperunt, tanto studio, ut hujusce instituti magis auctores, quam instauratores videantur. Hi, ne hoc omittam, prope successere catechistis, quorum fuit catechumenos elementis seu rudimentis Chri-

ſtianæ religionis initiare, eosque inſtruere in his quæ pertinent ad fidem & bonos mores, unde catechumenorum inſtitutio catecheſis dicta; Joannes Chryſoſtomus homil. 21. ad Antiochenos (al. cathecheſis 2. ad illuminandos), *διὰ τοῦτο καὶ κατήχησις λέγεται, ἵνα καὶ ἀπόντων ἡμῶν, ὁ λόγος ἡμῶν ἐνηχῇ ταῖς διανοίαις: Propterea & catecheſis dicitur, ut & abſentibus nobis ſermo noſter mentes veſtras inſtituat*. Plerumque diaconorum cura fuit catechumenos inſtruere; Auguſtinus lib. de catechizand. rudibus (init.): *Petis a me, frater Deo gratias, ut aliquid a te de catechizandis rudibus, quod tibi uſui eſſet, ſcriberem. Dixiſti enim quod ſæpe apud Carthaginem, ubi diaconus es, ad te adducuntur, qui fide Chriſtiana primitus imbuendi ſunt, eo quod exiſtimeris habere catechizandi uberem facultatem, & doctrina fidei, & ſuavitate ſermonis*. Immo catechiſtas inter inferiores ordines locat Balſamo in *can.* 10. Antiochen. Synod. *ὑποδιακόνους καὶ ἐξορκιστὰς ἤτοι κατηχητὰς. Subdiaconos & exorciſtas, ſive catechiſtas*. Tamen catechiſtæ officium proprium fuit Epiſcopi, vel presbyterorum: baptizandos ſymbolum diſcere, & quinta feria ultimæ hebdomadis Epiſcopis, vel presbyteris reddere juſſit *can.* 46. *Laodicen. concil.* repetitus in *ſynod. Trullenſ. can.* 78. quos canones interpretatur Balſamo, de presbyteris, qui dicuntur *κατηχηταὶ*. In ſingulis eccleſiis catacheſes a presbyteris fieri ex uſu eccleſiæ Romanæ voluit Nicolaus I. in *can. catechiſmi, de conſec. diſt.* 4. *Catechiſmi baptizandorum a ſacerdotibus uniuscujusque eccleſiæ poſſunt fieri, ſicut in ſancta hac Romana eccleſia ſolemniter fieri comprobantur*. Eodem jure in Orientis eccleſiis catechiſtarum munus fuit inter ſacerdotalia officia; Joannes Citri in reſponſ. ad Cabaſilam **), *εἰσὶ δὲ καὶ ἕτερα ὀφφίκια, ἅπερ μάλιστα τοῖς ἱερεῦσιν ἁρμόζουσιν, ὁ ἐπὶ τῶν κατηχήσεων, ὁ ὀρφανοτρόφος οἱ τέσσαρες ἔκδικοι, ὁ ἄρχων τῶν φώτων, ὁ νομμοδότης, καὶ ὁ περιοδευτὴς. Sunt autem & alia officia, quæ ſacerdotibus maxime congruunt, catechiſta, orphanotrophus, quatuor defenſores, luminarius, nummidator, & circitor*.

C A P. XV.

Viſitator vacantis eccleſiæ μεσίτης, a quo conſtituendus. Munus hujusmodi viſitatoris.

INTER adjutores Epiſcoporum non incongruum erit & accenſere viſitatores vacantium eccleſiarum, vel vicarios capituli, ſede vacante: hi enim ſunt adjutores ſedis epiſcopalis, quæ, non ſecus ac hereditas jacens, ſuſtinet vicem & perſonam defuncti. Vetus ſcilicet eccleſiæ conſuetudo fuit, ut cum vacaret ſedes epiſcopalis, Metropolitanus ejus curam demandaret viciniori, vel alii quem mallet e provincialibus Epiſcopis, donec Epiſcopus eligeretur; Ambroſ. Mediolanenſis Epiſcopus, epiſt. 44. (al. 2. num. 27.) ad Conſtantium Coepiſcopum: *Commendo tibi, fili, eccleſiam, quæ eſt ad Forum Cornelii, quo eam de proximo interviſas frequentius, donec ei ordinetur Epiſcopus. Occupatus diebus ingruentibus quadrageſimæ, tam longe non poſſum excurrere*. Hoc jure & Hincmarus Remenſis Metropolitanus, veteris diſciplinæ tenaciſſimus vindex, vacantibus eccleſiis ſuffraganeis, nempe Morinenſi, & Tornacenſi, viſitatores dediſſe memoratur apud Flodoardum *lib.* 3. *cap.* 23. & hujusmodi viſitator vacantis eccleſiæ dicebatur *μεσίτης, interceſſor, mediator; concil. Carth. V. can.* 8. *can. conſtitutum*, 7. *qu.* 1. *conc. Carth. can.* 77. *apud Balſam*. Aliquando & Romani Pontifices vacantibus eccleſiis viſitatores ſubmittebant, maxime in regionibus Italiæ, & viciniorum provinciarum, ut patet *ex epiſtolis Pelagii, & Gregorii I.* quas Gratianus contexuit *in can. obitum, can. Catinen-*

nensis, *can. ult.* 61. *dist.* & ex aliis *ipsius Gregorii epistolis*, nempe 79. *lib.* 1. *&* 29. *lib.* 2. Ac tandem constitutione Bonifacii editum, ne vacanti ecclesiæ cathedrali visitator ab alio detur, quam a Rom. Pontifice; *cap. is cui procuratio*, *de elect. in 6. cap. ult. de suppl. neg. prœl. eod.* quo jure deinceps usi Pontifices, ut exemplis probat Trithemius *in chron. Hirsaug. ad ann.* 1328. *& in chron. Spanheim. ad ann.* 1330. Orto schismate inter Symmachum Papam, & Laurentium, Theodoricus Rex Gothorum, Italiæ incubator, schismatis dirimendi causa, Petrum Altinensem Episcopum visitatorem sedis apostolicæ instituit, ut utroque amoto is sedem teneret: sed in synodo Romana explosus visitator, victore Symmacho; de quo Ennodius Ticinensis *in libello defensorio Symmachi*, Anastasius, *in ejus vit.* & Sigebert. *ad ann.* 496. qui Theodoricum contra canones id tentasse recte scribit. Hujusmodi visitatorum partes erant curare, ut quanto ocyus Episcopus eligeretur, hortari clerum & plebem, ut idoneum Antistitem eligerent, formam electionis eis prælegere, ne quid per ambitum, aut per fraudem fieret: secuta electione, decretum ipsius omnium subscriptione roboratum mittebat ad Metropolitanum, vel Pontificem, qui electum confirmaret & consecraret; ut patet ex *prædictis locis Pelagii*, *Gregorii*, *& Flodoardi*: ideoque ipse visitator eligi non poterat, quibusvis populorum studiis, vel turbis, sed electionis mediator & quasi conciliator erat: quapropter si infra annum non efficeret, ut Episcopus eligeretur, post annum removebatur, & alius in ejus locum intercessor dabatur; *d. can. constitutum*. Ejusdem visitatoris erat clericos ordinare, monasteria in diœcesi constituta sub sua cura & dispositione habere; *ex eisdem Gregorii I. epistolis*. Denique is, cui vacantis ecclesiæ procuratio & administratio credita erat, liberam rerum administrationem habebat tam in spiritualibus, quam in temporalibus; *cap. cum nobis*, *de elect.* & omnia poterat quæ sunt episcopalis jurisdictionis, excepta bonorum immobilium alienatione; *d. cap. is cui procuratio*, *eod. tit. in 6. & d. cap. ult. de suppl. neglig. prælat. eod. libr.* Alias vacante sede episcopali, capitulum, tamquam pars corporis Episcopi, fungitur vice defuncti, & succedit in omnibus quæ sunt jurisdictionis ordinariæ; *cap. his quæ*, *cap. cum olim*, *de majorit. & obedient. cap. un. eod. tit. in 6. cap. Albericus*, *de testibus*. Unde capitulum, sede vacante, solet unum e collegio vicarium instituere, episcopalis jurisdictionis exercendæ causa: quo jure, vacante sede Faventina, clerum & populum hortatur Petrus Damian. *lib.* 5. *epist.* 10. ut Episcopi electionem usque ad Imperatoris adventum, a quo illius ecclesiæ status componendus esset, à Pontifice differri curent, ac idoneum presbyterum eligant, qui interim vicariam episcopatus curam gerat: *Unde*, inquit, *& dominus noster Papa rogandus*, *ut Episcopum vobis modo non ingerat*, *sed ecclesiam vestram interim vacare*, *& vos sub suæ benedictionis umbraculo manere decernat*. *Quia vero per Dei misericordiam industrios inter vos clericos*, *ac prudentes & litteratos habetis*, *si placet unus ex vobis eligatur*, *qui ad exequendum hoc negotium utilior invenitur*, *cui nimirum cura ac solicitudo totius episcopatus possit imponi*, *ac per eum omnia necessitatis ecclesiasticæ negotia debeant ministrari*. Nec alio jure Albert. Argentinens. *de gestis Bertoldi Episcopi Argentinensis*, narrat, vacante sede ipsius morte, Joannem de Lampertheim officialem a capitulo vicarium generalem in spiritualibus & temporalibus electum, per quem orbatæ ecclesiæ consuleretur. Notandum est, vicarium capituli, sede vacante, succedere in his quæ sunt jurisdictionis ordinariæ, non succedit autem in his quæ sunt jurisdictionis delegatæ, nec in collatione beneficiorum; *cap. illa*, *ne sed. vacante*, *cap.* † *unic.* §. *cum vero*, *eod. tit. in 6. cap.* 1. *de instit. eod. libr.* quia collatio beneficiorum est in fructu, fructusque reservantur futuro successori; *cap. quia sæpe*, *de elect. in 6.* Hæc exceptio locum habet in collatione libera, minime in necessaria: capitulum enim sede

vacante potest confirmare electos, & instituere præsentatos; *d. cap. cum olim, & d. cap. 1. de instit. in 6.* Ut & nominatis & graduatis beneficia suis mensibus vacantia conferre potest, quod sint collationes necessariæ. Custodia minorum ecclesiarum vacantium ex consuetudine pertinet ad archidiaconum, ut jam a nobis observatum, ex *can. † si in plebibus, 63. dist. & cap. bonæ memoriæ, de appellat.* Quod si ecclesia, quæ est juris patronatus, diutius vacet, quod patroni dissentiant in præsentando, vel non idoneum præsentent, interim Episcopus œconomum in ea instituere potest, qui fructus percipiat, eosque in ecclesiæ utilitatem expendat, aut futuro successori reservet; *cap. cum vos, de offic. ordinar.* & si nondum patroni conveniant, tunc Episcopus sacris interdicit ecclesiæ, donec patroni ad concordiam redeant, ex *concil. Tribur. can. 32. can. si plures, 16. qu. 7. cap. 1. de jure patron. & ex concilio Cabillonens. II. can. 26.* quem perperam collectores laudant ex conc. Mediolanensi, *cap. 1. eod. tit. de jur. patronat.*

DIS-



DISSERTATIONUM JURIS CANONICI, LIBER TERTIUS.

De facris cenfibus.

C A P U T. I.

Cenfus defcriptio perfonarum & rerum, pro cujus modo tributum indicitur. Inde cenfus pro tributo. Cenfus alius capitum, alius prædiorum. Cenfus fiebat in loco originis. Pœna fraudati cenfus.



E facris cenfibus differtationem exorfuris, prius vocis, cenfus, fignificatio exploranda videtur, ut a notatione nominis facilius ad rerum notitiam perveniamus. Cenfus eft hypographe, feu defcriptio poffefforum, tam capitum, feu perfonarum, quam rerum, ut pro modo cenfus, id eft pro facultatibus cujusque, tributum indiceretur; Theophilus §. *ult. inftit. de libert.* κῆνσος ἦν σανὶς, ἤτοι χάρτης ἔνθα Ῥωμαῖοι ἀπεγράφοντο τὰς οἰκείας περιουσίας, ἐπὶ τὸ ἐν καιρῷ πολέμου, κατὰ τὸ μέτρον τῆς ἰδίας ὑποστάσεως, ἕκαστον εἰσφέρειν; *Cenfus tabula fuit, feu charta, in qua Romani fuas facultates defcribebant, ut tempore belli pro modo fubftantiæ quisque conferret.* Ita Suidas cenfum definit, τὴν ἐξέτασιν τοῦ Ῥωμαϊκοῦ πλήθους. *Recenfionem Romani populi.* In cenfum referebantur perfonæ, & prædia cujusque, eorumque nomen, fitus, fines, dotes, feu qualitates; *l. forma cenfuali, ff. de cenfib.* & apud Dionyf. Halicarnaff. *lib.* 4. Cenfus, inquam, fiebat perfonarum & rerum, ut pro modo fubftantiæ cujusque tributum imponeretur: unde cenfus accipitur pro tributo & ve-

ctigali, vel qualibet publica pensitatione; *l.* 1. 2. *& 3. C. sine cens. vel reliq.* *fundum comparari non posse*, *l. liberto*, 21. §. *ult. ff. de ann. legat.* & hoc significatu Suidæ κῆνσος dicitur τὸ νόμισμα ἐπιτῶν τέλος. *Nummus annuum tributum*, & Matthæi 22. (17.) census est nummus ipse, qui tributi nomine solvitur, νόμισμα τῦ κήνσυ. Unde Augustinus homil. 48. (al. serm. 86. in append. num. 3.) *Majores nostri*, inquit, *ideo copiis omnibus abundabant*, *quia Deo decimas dabant*, *& Cæsari censum reddebant*. *Modo autem quia discessit devotio Dei*, *accessit indictio fisci*. Capita & res censebantur, & tributum personis imponebatur propter prædia, unde census prædiarius dicebatur capitatio; *l. si minor*, *C. de act. empt.* Censum agrorum, & capitum agnoscit Tertullian. in apologet. cap. 13. *Agri tributo onusti viliores*, *hominum capita stipendio censa ignobiliora*. Census vero, id est professio censualis, a quoque fiebat in loco originis, non domicilii. Ideo cum Augustus censum egit in universo orbe Romano, Maria & Joseph Nazareto, ubi habitabant, Bethleemum, qui erat locus originis, censendi gratia profecti sunt, ut recte animadvertit Epiphan. *hæres.* 51. Hujus instituti forte ratio fuit, quia potior est causa originis, quam domicilii, quod mutari potest: unde cives origo, incolas domicilium facit; *l. cives*, *C. de incolis*. Fraudati census pœna erat servitus & publicatio bonorum; Halicarnass. *loco modo laudato*, M. Tull. pro Cæcin. Ulpian. *lib. regular. tit. de tutel.* §. 11. *& l.* † *vix certis ex causis* 53. *ff. de judic.* Simili locutionis genere, census nomine veniunt pensiones, quæ præstantur Deo, & prælatis ecclesiæ in signum subjectionis; *cap.* 2. *de censib.* de quibus paulo fusius disendum est.

C A P. II.

Census alii dominici, *alii canonici*. *Census dominici sunt oblationes*, *primitiæ*, *decimæ*. *Oblationes a fidelibus offerebantur singulis dominicis*. *Imperator non accedebat ad altare sine oblatione*. *Oblationes per diaconos altari imponebantur*, *& a presbytero benedicebantur*. *Oblationes offerebantur post lectionem evangelii*. *Fideles non communicabant sine oblatione*. *Oblatæ*.

INTER sacros census alii sunt dominici, qui Deo pensitantur, quales sunt oblationes, primitiæ, decimæ: alii canonici, qui summo Pontifici, vel Episcopis, & inferioribus prælatis persolvuntur, de singulis dicemus suo ordine: ac primum de oblationibus. Oblationes dicuntur quæcunque de propriis, & licitis rebus, ecclesiæ a fidelibus offeruntur; *cap. causa Carpensis*, *cap. cum inter*, *de verb. significat.* Oblationes sunt voluntariæ & spontaneæ, unde sic dictæ, quia ex voluntate offerentium descendunt: tamen fideles pia ex consuetudine, a primis ecclesiæ cunabulis recepta, vix die dominico, vel alio solemni festo ad altare accedebant sine oblatione, primævam Dei legem obaudientes: *Non apparebis in conspectu meo vacuus*: tum pastorum & Regum exemplo edocti, qui primi mortalium Christum Deumque in cunis latentem non sine donis & muneribus adorarunt. Harum oblationum usum elanguescentem suscitavit concil. Matisconense II. can. 4. *Decernimus*, *ut omnibus dominicis diebus altaris oblatio*, *ab omnibus viris & mulieribus offeratur*, *tam panis*, *quam vini*, *ut per has immolationes & peccatorum suorum fascibus careant*, *& cum Abel*, *vel ceteris juste offerentibus*, *promereantur esse consortes*: unde delibatum capitulare Caroli M. *lib. 6. cap.* 167. Veterum oblationum ritum agnovit, & pari studio commendavit Gregor. VII. in synodo Romana, can. 13. *Omnis Chri-*

Christianus procuret ad missarum solemnia, aliquid Deo offerre, & ducere ad memoriam, quod Deus per Moysem dixit, non apparebis in conspectu meo vacuus. Etenim in collectis sanctorum patrum liquido apparet, quod omnes Christiani offerre aliquid Deo ex usu sanctorum patrum debent, can. omnis, de consecr. dist. † 1. Oblationes non uno loco suadet Augustinus, ut sermon. 215. (al. 265. in append.) de tempore: *Ante omnia, sicut jam supra dictum est, secundum vires eleemosynam pauperibus exhibete, oblationes quæ in altario consecrentur offerte. Erubescere debet homo idoneus, si de aliena oblatione communicaverit. Qui possunt aut cereolos aut oleum, quod in cicindilibus mittatur, exhibeant.* Et idem serm. sequ. 216. (al. 266. in append.) *Ille bonus Christianus est, qui quando ad ecclesiam venit, & oblationes quæ in altario mittantur exhibet, & pauperibus, secundum quod vires habet, argentum porrigit aut buccellam.* Et rursus idem Augustinus, vel alius quisquis est, serm. 64. ad fratr. in eremo: *Oblationes per dies dominicos pro vobis & vestris, secundum statum vestri possibilitatem debetis Deo, offerte.* Imperatoris solemne dignitatis argumentum fuit, quod offerendi causa sanctuarium ingrederetur, & nunquam sine oblatione altari advolveretur: hoc more cum Valens Cæsaream venisset morte filii perculsus, statim ecclesiam petiit, & consueta dona altari obtulit coram Basilio, καὶ τῷ θυσιαστηρίῳ τὰ εἰωθότα προσενήνοχε δῶρα, teste Theodorito lib. 4. cap. † 19. Idemque Valens vertigine correptus fertur, dum in die epiphaniæ coram Basilio sacræ mensæ dona oblaturus esset de more, ἐπεὶ δὲ τὰ δῶρα τῇ θείᾳ τραπέζῃ προσοίσειν ἔδει, ut auctor est Nazianzenus orat. 20. (num. 77.) Et cum Theodosius post cædem Thessalonicensium Mediolani sacrarium templi ingressus esset, oblationis causa, & oblatis sacris muneribus intra cancellos, ut solebat mansisset, ab Ambrosio per archidiaconum templi vestibulo actus: cujus rei memor Theodosius reversus Constantinopolim, cum die festo ad templum veniret, statim ut dona sacræ mensæ obtulerat exivit, ut narrat Theodorit. lib. 5. cap. † 18. ἐπειδὴ δὲ ὁ καιρὸς ἐκάλει τῇ ἱερᾷ τραπέζῃ τὰ δῶρα, προσενεγκεῖν, ἀναστὰς μετὰ τῶν ἴσων δακρύων τῶν ἀνακτόρων ἐπέβη προσενεγκὼν δὲ ὥσπερ εἰώθει ἔνδον παρὰ τὰς κιγκλίδας μεμένηκεν: *Ubi autem tempus postulavit, ut dona sacræ mensæ offerret, surgit atque non minorem lachrymarum vim, quam antea effundens in sanctuarium ingressus est; cum vero dona uti solebat obtulisset intus prope cancellos mansit.* Constantinum Lacapenum, quod numquam in conspectum Dei venerit κενὸς καὶ ἄκαρπος *vacuus & sine munere*, laudat Cedrenus *in ejus vita*. Hæ oblationes a fidelibus offerebantur, & per diaconos altari imponebantur, tum a sacerdote solemnibus & conceptis precibus benedicebantur, & offerentium nomina inter sacra recitabantur, & ipsæ oblationes commendabantur; Innocent. epistol. 1. ad Decentium: *De nominibus vero recitandis antequam precem sacerdos faciat, atque eorum oblationes, quorum nomina recitanda sunt, sua oratione commendet, quam superfluum sit & ipse pro tua prudentia recognoscis: ut cujus hostiam necdum Deo offeras, ejus ante nomen insinues quamvis illi incognitum sit nihil, can. ultim. de consecrat. distinct.* 1. unde oblationes εὐλογίας *benedictiones* vocat synod. Laodicena, *can.* 32. Eulogias conc. Martini Papæ, *can.* 70. *can.* *) *non oportet, can. non liceat*, 1. *qu.* 1. Oblationes a fidelibus offerebantur post lectionem evangelii; concil. Valentin. Hispanicum, can. 1. *Ut sacrosancta evangelia ante munerum illationem in missa cathecumenorum in ordine lectionum post Apostolum legantur:* & fideles ad sacram communionem non accedebant sine prævia oblatione, velut numinis sibi conciliandi causa. Ideo Theodosius, cum post oblata sacræ mensæ sua dona intra cancellos staret, Ambrosio sciscitanti quid sibi vellet? respondit, se expectare divinorum mysteriorum participationem, τὴν τῶν θείων μυστηρίων μετάληψιν ut auctor est Theodorit. *loco modo laudato*. Solebant, inquam, fideles in procinctu sacræ communionis oblationes offerre; sed ne con-

† Locus iste refertur ad factum Mediolani. Ad illud autem quod auctor narrat, Theodoritus in eod. cap. circa finen sic se habet. ἑορτῆς γὰρ αὐτὸν πάλιν θείας εἰς τὸν θεῖον ἀγαγούσης νεών, τῇ ἱερᾷ τραπέζῃ τὰ δῶρα προσενεγκὼν εὐθὺς ἐξελήλυθεν. *Nam cum festus quidam dies ipsum denuo ad ecclesiam adduxisset, oblatis ad sacram mensam muneribus suis, statim abscessit.*

ſuetudo exactioni locum daret, ne quidquam communionis cauſa exigeretur; vetuit ſynodus VI. in Trullo *can.* 23. *can. nullus Epiſcopus* 100. 1. *qu.* 1. ubi Balſamo notat conſuetudinem ſua ætate inolitam apud plebeculam, ſacerdoti offerendi, ſacræ communionis gratia, panes ex ovis confectos & ſalſas carnes, & alia eſculenta, unde id genus liba, quæ Deo ſanctisve offerre ſolebant, vulgus Latinorum oblatas appellitavit; Iſo Sangallenſis, lib. 2. de miraculis S. Othmari, apud Surium: *Sub capite autem & circa pectus viri Dei quædam panis rotulæ, quæ vulgo oblatæ dicuntur, illæſæ, atque ab omni corruptione extraneæ ab eodem Epiſcopo inveniebantur.* Burkard. de caſib. Monaſt. S. Galli, cap. 6. apud Goldaſtum: *Fratres amavit, prabendam adauxit, in hebdomada paſchali etiam in meridie vinum & oblatas fratribus dare conſtituit.* Et Joannes monachus, lib. 1. hiſt. Gaufredi Ducis: *His panibus, quos oblatas appellant*, idiotismus, *oblies*.

C A P. III.

Oblationes ſpicarum & uvarum, vel olei ad luminaria. Oblatio lactis & mellis ſemel in anno. Oblationes pallarum, ſeu palliorum altaris. Oblationes cereorum. Cereus paſchalis. Oblatio pultis, panis, & vini.

QUÆNAM res vel ſpecies offerendæ eſſent, non quæcumque, ſed idoneæ, & licitæ, id eſt lege vel conſuetudine eccleſiaſtica permiſſæ: ne quæ ſpecies altari offerantur præter ſpicas, vel uvas recentes ſuo tempore, vel oleum ad luminaria, vel incenſum, ſive thus adolendi cauſa tempore ſanctæ oblationis: in primis ne lac, vel mel offeratur, vetat *can. Apoſtolicus* 3. ex quo libati ſunt & alii canones, nimirum *can.* 24. *concil. Carthag. III. & can.* 28. *&* 32. *ſynod. VI. in Trullo, can. in ſacramento, can. didicimus, de conſecration. diſt.* † 2. Vetabatur oblatio lactis & mellis, niſi in ſacro ſolemni, quod fiebat pro infantibus ſemel in anno; conc. Carthag. can. 40. Apud Zonaram: *ἀπαρχὴ δὲ εἴτε μέλι, εἴτε γάλα, ὡς εἴωθεν προσφερέσθω ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ ἰδίᾳ εἰς τὸ τῶν νηπίων μυστήριον. Primitiæ autem ſive mel, ſive lac offerantur uno die conſueto ad infantium myſterium.* Qua de cauſa illud ſacrum, & in eo mellis & lactis oblatio fieret pro infantibus, nihil certi auſus eſt affirmare Zonaras *hoc loco*: quidam mel & lac pro infantibus offerri ſolitum putant, ut ea parvulis ſacrorum myſteriorum loco præberentur, quod ipſe non probat: alii vero lac pro infantibus offerri ſolitum, quaſi primitiarum nomine, quod ii ſolo lacte alantur: ego vero mel & lac pro infantibus offerri nihil miror, nam & baptizatis poſt egreſſum e lavacro poculum melle & lacte mixtum porrigi moris erat, in ſymbolum infantilis innocentiæ; Tertull. de coron. milit. cap. 4. *Dehinc ter mergitamur, inde ſuſcepti lactis & mellis concordiam prægustamus*: & Africani ſtili æmulus Hieronymus, adverſus Luciferianos: *Nam & multa alia, quæ per traditionem in eccleſiis obſervantur, auctoritatem ſibi ſcriptæ legis uſurpaverunt, velut in lavacro ter caput mergitare, deinde egreſſos lactis & mellis prægustare concordiam ad infantiæ ſignificationem.* Iſtud vero ſolemne ſacrum factum crediderim pro ſalute infantium, adverſus larvas & dæmones, quos etiam parvulis infeſtos eſſe agnovit Auguſtinus lib. 6. contra Julian. cap. † 21. num. 27. *Huc accedunt quidem illa, quæ non quidem omnes parvulos, ſed tamen plurimos cernimus perpeti multa & varia mala, uſque ad dæmonum incurſus.* Offerri ſolebant pallæ, id eſt pallia altaris, oleum vel cera ad luminaria; Auguſtin. ſermon. 3. de tempore: *Sunt enim multi qui vovent, alius pallam, alius oleum, alius ceram ad luminaria noctis.*

Etiam

Etiam ad tumulos sanctorum cerei & funalia offerebantur ; Gregor. Turonens. lib. 1. de miracul. cap. 51. *Ad hoc ergo beati* (loquitur de Benigno Divionensi) *sepulcrum, quidam dum exinde multa beneficia perciperet, cereum detulit, quo accenso domum rediit*. Et Fortunatus in vita S. Hilarii Episcopi Pictaviensis apud Surium, ubi de colono villæ Remensis ecclesiæ : *Sicque junctis bubus, candelam in manu habens, ad basilicam sancti Remigii properavit, quo perveniens de pane & carne, ac cervisia matricularios pavit, candelam ad sepulcrum sancti posuit, & ejus auxilium contra opprimentes se fiscalinos expetiit*. Eadem religione peregrinantes, antequam iter capesserent, cereum altari offerebant pro felici sacræ expeditionis eventu, vel ad fores ecclesiæ suspendebant ; Flodoard. in chronic. ad annum 820. *Remis in monasterio sancti Petri ad portam basilicarem cereus, quem ibi posuerant hi cives, qui Romam ad visitanda Apostolorum limina profecti fuerant, accensus est etiam ter igne cælesti*. Idemque narrat idem auctor *lib. 4. Remens. histor. cap. 46.* Milites etiam, cum militare cingulum assumebant, cereum altari offerebant : quo die Willelmus Comes Saresberiensis cingulo militari donatus, cereum ante altare divæ Virginis jugiter arsurum dicavit ; Mathæus Paris. ad ann. 1225. *Siquidem Willielmus Comes sæpedictus, die qua primo donatus cingulo fuerat militari, cereum unum ante altare beatissimæ matris Dei assignavit, ut ad missam, quæ diebus singulis in honorem ejusdem Dei genitricis cum horis canonicis devote solet decantari, jugiter arderet, & pro lumine temporali lucem commutaret æternam*. In sabbato paschæ parochiani solemni more cereum offerebant in honorem Dominicæ resurrectionis; Aimoinus Floriac. lib. 4. de mirac. S. Benedicti, cap. 1. *Cui cum responsum esset, nihil ceræ illic haberi præter paschalem cereum in honorem videlicet Dominicæ resurrectionis a parochialibus solemni oblatum more, jubet eum propere afferri*. Et ex instituto Zozimi Papæ cereus iste paschalis benedicebatur per archidiaconum; de quo Sigebertus *ad ann.* 417. & Raban. Maur. *lib. 11. de instit. cleric. cap.* 38. Quin & ipsæ mulieres puerperæ e partu surgentes ad aras non accedunt sine oblatione cerei : cui mori alludens Gvillelmus senior Rex Anglorum, cum audisset Philippum I. Regem Francorum per ludum dixisse, eum Rothomagi lecto decumbere, quasi puerperam : *Cum ad missam*, inquit, *post partum iero, centum millia candelas illi illuminabo* ; auctor est Matthæus Westmonaster. *ad ann.* 1089. Pari ritu presbyteri diœcesani circa pentecosten conveniebant ad matricem id est episcopalem ecclesiam, & certum ceræ pondus, vel æstimationem, altari offerebant ad luminaria ; conc. Caletens. habitum anno 1080. apud Orderic. Vitalem, lib. 5. *Presbyteri semel in anno circa pentecosten cum processionibus suis ad matrem ecclesiam veniant, & de singulis domibus cera denarata, vel idem valens ad illuminandam ecclesiam altari offerant*. In Africa offerri solebat puls, panis, & vinum ; unde cum Monica piissima mater Augustini Mediolani ex patria consuetudine hæc offerre voluisset, his abstinuit vetante Ambrosio, quod ejusmodi oblatio esset quasi parentalium Gentilium imago; testis ipse Augustin. 6. confession. cap. 2. *Itaque cum ad memorias sanctorum, sicut in Africa solebat, pultes & panem & merum attulisset, atque ab ostiario prohiberetur, ubi hoc Episcopum vetuisse cognovit, tam pie atque obedienter amplexa est*.

C A P. IV.

Oblationes pro defunctis. Oblationes pro desponsatis. Sæpius clerici vel monachi tempore ordinationis, vel professionis, se & sua Deo offerebant.

OBLATIONES solemnes in primis fiebant pro defunctis in solatium animæ, & levamen pœnarum; & pro natalitiis, id est in festo sanctorum martyrum, exque anniversariæ; Tertull. de coron. milit. *Oblationes pro defunctis, pro natalitiis annua die facimus*. Unde & anniversarias viduarum oblationes pro viris defunctis commendat idem Tertull. lib. de monogam. *Enimvero & pro anima ejus orat, & refrigerium interim adpostulat ei, & in prima resurrectione consortium, & offert annuis diebus dormitionis ejus*. Damnatorum post mortem pœna fuit, quod pro illis defunctis non orabatur, neque oblatio fiebat: hac de causa ne pro Victore, qui Faustinum presbyterum testamento tutorem dederat, missæ sacrificium & oblatio fieret, vetat Cyprian. epist. 66. (al. 1.) ex concil. Carthaginensi: *Ne quis frater excedens, ad tutelam vel curam clericum nominaret: ac si quis hoc fecisset non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione ejus celebraretur*. Pro defunctis sacrificia, & oblationes, seu eleemosynas in adjumentum mortuorum, & solatium vivorum, fieri eleganter ait Augustinus enchirid. cap. 109. *Neque negandum est, defunctorum animas pietate suorum viventium relevari, cum pro illis sacrificium Mediatoris offertur, vel eleemosyna in ecclesia fiunt*. Et mox: *Cum ergo sacrificia sive altaris, sive quarumcumque eleemosynarum, pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur, pro valde bonis gratiarum actiones sunt, pro non valde malis propitiationes sunt; pro valde malis etiamsi nulla sunt adjumenta mortuorum, qualescumque vivorum consolationes sunt*.. Et idem August. vel alius quisquis est, serm. 44. ad fratres in eremo: *Sancta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, & eleemosynam dare, carnem affligere, & opera caritatis exercere, & peregrinationes facere, ut a peccatis solvantur*. Pro defunctis sacra fieri & oblationes offerri jubet capitulare Caroli M. lib. 7. cap. 317. *Quod pro Catholicis defunctis sint memoriæ faciendæ, & oblationes Deo offerendæ*. Et qui oblationes pro defunctis relictas abnegant, tamquam pauperum necatores excommunicantur; Carthag. concil. IV. *can.*95. Vasens. I. *can.* † 1. Agathens. *can.* 4. *can. qui oblationes*, 10. & 11. *can. clerici*, 13. *qu.* 2. Concil. Arelatens. II. *can.* † 47. Vasens. II. *can.*4. Aurelian. III. *can.* † 22. Et ut pii instituti seriem per tempora inoffensam observemus: ecclesiæ Remensi vineam testamento legavit Remigius, ut singulis dominicis & diebus festis inde pro eo offerretur oblatio, ut patet ex ipsius testamento apud Flodoard. lib. 1. hist. Remens. cap. 18. *Vineam, quam Bebrimodus facit, tibi eatenus † derelinquo, ut diebus festis, & omnibus dominicis sacris altaribus mea inde offeratur oblatio*. Pro salute matris tricenarium missarum, & refectiunculam 12. pauperum ab universis Cluniacensis ordinis professis petit Petrus Cluniacensis lib. 2. epist. 16. *Orat ergo & per filium mater, & pro matre filius, ut tricenarius missarum ei per loca ubi possibile fuerit persolvatur, & 12. pauperes reficiantur*. Hinc oblationum nomine continentur anniversaria, id est pia relicta, quæ ecclesiæ collata sunt pro defunctis; *l. sancimus* 46. §. *si vero aliqua*, C. *de Episc. & cleric. cap. cum inter, de verbor. signif. cap. final. de testament. cap. unic. de cleric. non resident. in 6.* & id genus anniversaria pro memoria defunctorum, dote dicta, instituere, jam olim fidelibus acceptissimum fuit. Pro salute Elisabethæ conjugis annua & perpetua sacra, non sine interventu Mauricii Parisiensis Episcopi, fundavit

davit in ecclesia matrice Philippus Augustus; testis Rigordus in ejus gestis ad ann. 1189. *Eodem anno obiit Elisabeth Regina, uxor Philippi Francorum Regis, quæ sepulta est in ecclesia beatissimæ Virginis Mariæ Parisiis, pro cujus memoria venerabilis Mauricius Parisiorum Episcopus in eadem ecclesia altare erexit, & Christianissimus Rex semper Augustus, intuitu pietatis, pro remedio animæ illius, & omnium prædecessorum suorum, duos sacerdotes perpetuo ibidem instituit, unicuique 15. libras Parisienses singulis annis pro victualibus perpetuo assignans.* Pro desponsatis etiam oblationes dabantur, felicis auspicii causa; Evaristus epist. 1. ad Episcopos Africæ: *Aliter legitimum non fit conjugium, nisi ab his, qui super ipsam feminam dominationem habere videntur, & a quibus custoditur, uxor petatur, & a parentibus & propinquioribus sponsetur, & legibus † dotetur, & suo tempore sacerdotaliter, ut mos est, cum precibus & oblationibus a sacerdote benedicatur.* Et Nicolaus I. ad consulta Bulgarorum can. 3. de solemnibus nuptiarum: *Et primum quidem in ecclesia Domini cum oblationibus, quas offerre debent Deo per sacerdotis manum, statuuntur; sicque demum benedictionem, & velamen cæleste suscipiunt; can. aliter, can. nostrates, 30. qu. 5.* unde & in oblationum censu connumerantur ea, quæ pro desponsatis dantur; *d. cap. cum inter.* Nec solum in carnalium nuptiarum fœdere oblationes offerebantur, sed & in spiritualis conjugii solemni, id est in ordinatione, sæpius presbyteri & Episcopi, qui ordinabantur, se & sua Deo & ecclesiæ offerebant; Tertullian. de præscript. adversu hæretic. cap. 30. *Marcion quidem cum ducentis sestertiis suis, quæ ecclesiæ intulerat, novissime in perpetuum dissidium relegatus.* Partem bonorum Deo consecravit Basilius, cum ordinaretur in Cæsariensem Episcopum: cujus pii facinoris multos sequaces habuit; Gregorius Nazianzenus orat. 20. (num. 18.) in ejus funere habita, *αὐτό μοῖρα κτήσεως Θεῷ καθιερωθείσης, πρᾶγμα οὔπω τότε πολλοῖς σπουδαζόμενον, ὥσπερ νῦν αὐξηθέν τε καὶ τιμηθὲν ἐκ τῶν πρώτων ὑποδειγμάτων: Bonorum portio Deo consecrata, quæ res nondum tunc multis studio erat, ut nunc ex primis exemplis adaucta, cultaque est.* Hoc pietatis exemplo Paulinus, unus e nostris proceribus Aquitaniæ, votis populi ad sacerdotium adactus, se & sua omnia obtulit Deo, & distraxit in pauperes. Hujus facinoris testis, idemque præco Ambrosius, *epist. 36. (al. 58.)* Ipse vero Paulinus modestius de se cogitans, se sua non tam Deo obtulisse, quam accepta restituisse insinuat, epist. 5. (al. 11.) ad Severum: *Et quoniam bonorum nostrorum ipse non indiget; nos vero omnium illius indigemus, nostro tantum bono nobis bonus cupit nostra quæ sua sunt, & tamen ea juris sui non vult, ut quasi nostra nobis accepto ferat: cum nihil habeamus nisi acceperimus.* Hoc dispar Leontius senior, cum ordinatus est in Burdegalensem Episcopum, facultates universas erogavit ecclesiæ, ut quasi sponsus sponsam dotaret; Fortunat. *lib. 4. cap. 9.*

Ecclesiæ totum concessit in ordine censum,
Et tribuit Christo quod fuit ante suum.

Et ut monachismi professio est sacræ militiæ genus, ingressi monasterium ipso ingressu se & sua Deo dedicabant, ita ut de his testari nequirent, utpote nec domini rerum; *auth. ingressi, C. de sacrosf. eccles.* sed id juris non servatur in Gallia, quin profitentibus asceticen ante professionem libera est testandi de suis rebus facultas.

C A P. V.

Patres liberos offerebant Deo, & religioni monasticæ. Ritus solemnis oblationis paternæ.

NON modo rerum, sed etiam capitum oblationes Deo fieri præcipuæ pietatis argumentum fuit: etiam liberos rubentes Deo obtulere quamplures patresfamilias. Sic Samuel adhuc in utero matris positus a matre Deo consecratus; 1. *Reg.* 1. Sic Samson, Joannes Baptista, & ipsa immaculata Virgo, ejusdem oblationis auspiciis feliciter in lucem prodierunt; *Judic.* 13. Hieronym. *ad Lætam*, Damascen. *lib.* 4. *de fid. cap.* 15. Sic Basilius, postea Cæsariensis Episcopus, in cunis vagiens a matre Deo consecratus, & altari oblatus; Gregor. Nazianz. orat. 20. (num. 101.) in ejus funere habita: *οὗτος δὲ ἐκ βρέφους Θεῷ καθιερωμένος ἀπὸ μήτρας, καὶ μετὰ τῆς διπλοΐδος ἐπιδεδομένος τῷ βήματι: Ille nonne ab infantia, & ab ipsa matrice Deo consecratus, ac cum diploide altari oblatus est*. Sic Gregorius Nazianzenus, adhuc in utero positus a matre Deo devotus; testis Gregorius presbyter in ejus vita (num. 4.) & ipse Nazianzenus, de se non tacuit hoc ipsum orat. 1. (num. 132.) *καί σοι προσεκλήθην μὲν ἐκ νεότητος, ἵν' εἴπω τι τῶν τοῖς πολλοῖς ἀγνοουμένων χρή. ἐπ' αὐτὸν ἐπερρίφην ἐκ μήτρας, καὶ ἐδόθην δοτὸς ἐκ μητρικῆς ὑποσχέσεως, καὶ μετὰ τῶν τοῖς κινδύνοις ἐβεβαιώθην: Quamquam ab ipsa juventute accitus sum (libet enim aliquid multis incognitum efferre) atque ad Deum a vulva ipsa projectus, & ex materna pollicitatione donatus, ac postea periculis confirmatus*. A primis ascetici instituti cunabulis etiam solemne fuit, ut patresfamilias liberos adhuc infantulos Deo & religioni offerrent, idque adhibitis multis testibus, ut omnis vis & metus suspicio, & maledicti occasio tolleretur; auctorem habemus Basilium regularum fusiorum interrogat. 15. cujus sententiam male Gratianus laudat ex nona synodo, *can. oportet*, 20. *qu.* 2. Ideoque monachi duobus modis fieri dicuntur, paterna devotione seu oblatione, vel propria professione; concil. Tolet. IV. can. 48. *Monachum aut paterna devotio, aut propria professio facit*, *can. monachum*, 20. *qu.* 1. ex quo haustus est *can.* 23. concil. Wormaciens. Parentum oblatio liberos non obligabat, nisi post pubertatem in monasterio perseverarent; ex Basilio *loco supra laudato*; idcirco parentibus liberos offerre licuit religioni non ulterius, quam usque ad pubertatem; concil. Tolet. X. *can.* 6. *can. si in qualibet*, *ead. caus. qu.* 2. solemnis vero oblationis ritus erat, ut liberi a parentibus religionis causa altari offerrentur, multis testibus præsentibus, quo res testatior esset, & manu involuta palla, id est pallio, seu syndone altaris; regula S. Benedicti cap. 59. *Si quis forte de nobilibus offert filium suum Deo in monasterio, si ipse puer minori ætate est, parentes ejus faciant petitionem, & cum oblatione ipsam petitionem, & manum pueri involvant in palla altaris, & sic eum offerant*: & ex hoc fonte concil. Aquisgranense habitum anno Christi 817. pro reformatione ordinis D. Benedicti: *Ut puerum pater aut mater tempore oblationis offerant altari, & petitionem pro eo coram laicis testibus faciant, quam tempore intelligibili ipse puer confirmet*. Hoc argumento Nicolaus I. in *epist.* ad Episcopos Galliæ, *in can. præsens*, *ead. caus. qu.* 3. Lamberti filii Athonis Comitis nullam & irritam professionem declarat, quod absque patris oblatione, & sine abbatis benedictione emissa esset: quam in rem illa patris querentis verba apponit: *Neque ego pater ejus, pallio altaris indutum illum obtuli, neque a quocumque sacerdote, vel abbate, ut mos poscit, benedictione percepta, regula unquam*

quam se monachorum subjectum futurum promisit. Et cum Robertus nepos D. Bernardi a Cisterciensi ordine transiisset ad Cluniacensem, hac suasione, quod olim infans a parentibus Cluniacensi monasterio oblatus esset, Bernardus omni studio nisus est eum revocare, & hoc consilio ad eum scripsit elegantem epistolam 1. in qua oblationem nullam & irritam contendit, quod minus solemniter facta esset, sine petitione, absque testibus, nec involuta manu palla altaris: *Quamquam*, inquit, *dubium non sit, promissum illum fuisse, non donatum; non enim petitio, quam regula præcipit, pro eo facta fuit a parentibus, nec manus illius cum ipsa petitione involuta palla altaris*. Ac ne puer oblatus gravis esset monasterio, non sine donatione alicujus prædii a parentibus offerri solebat: de Burkardo a parentibus oblato monasterio S. Galli, testis Ekkeard. Junior. de casib. Monast. S. Galli, cap. 9. *Pater illum tandem nutricis sinu abductum, Gallo, ut cum matre voverat, super aram ipsius ponens, cum terris in Noeslen, & decimis multum matrem plorans initiaverat*. De Wachiperto, monasterio Cassinensi oblato, Leo Ostiensis, in chronic. Cassinensi lib. 1. cap. 16. *Quidam etiam vir dives Waco nomine Beneventanus, in expeditione constitutus, obtulit monasterio filium suum nomine Wachipertum, cum XX. possessionibus suis, variis in locis constitutis*. Adeoque donatio & traditio fundi fuit inter solemnia oblationis, ut in prædicta causa Roberti, Cluniacenses, ut eum tamquam merito suum vindicarent, prædium ostenderent, quod cum ipso a parentibus monasterio oblatum fuerat, ut fatetur ipse Bernardus in prælaudata epist. *Ostenditur deinde*, inquit, *terra, quæ cum illo, & pro illo dicitur data fuisse: sed si cum terra eum receperunt, cur non & cum terra eum retinuerunt?*

C A P. VI.

Oblationes de rapina repellendæ: ut & oblationes excommunicatorum, energumenorum, fæneratorum, hæreticorum.

NON de quibuscumque, sed de propriis, & licitis rebus tantum oblationes offerri debent; ne de spoliis pauperum oblationes accipiantur, vetat Ecclesiastic. cap. 34. *Qui offert sacrificium de substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui, can. immolans, 14. qu. 5.* Sceleratos, qui de rapina offerunt, & Deum quasi in partem prædamque vocant, detestatur Augustinus homil. 2. (al. serm. 53. in append. num. 2.) *Deum, quia non statim pateris ultorem, vis tenere participem, & tamquam corruptum judicem prædæ socium vis habere. De multis quæ rapuisti parvas eleemosynas faciens, & adhuc peccata non deferens*. Ne oblationes ab indignis accipiantur, puta a furibus, prostibulis, excommunicatis, vetat Clemens Romanus *lib. 3. cap.* 8. Et si forte contingat, ut ab impio per errorem aut vim oblata accipiantur, in ligna & carbones impendi, igni consumenda, non in cibum piorum, voluit idem Pontifex *lib. 4. cap. 9.* Diffidentium fratrum oblationes, neque in sacrario, neque in gazophylacio recipiantur, suadet concil. Carthagin. IV. *can.* † 93. *can.* † *oblationes*, 90. *dist.* pœnitentium etiam oblationes recipi vetatur; Nicolaus I. in epist. ad Frotharium Archiepiscopum Burdegalensem: *Tertio vero anno ecclesiam Dei ingrediantur, & inter audientes adsient sine oblatione, can. de viro*, 12. *qu.* 2. idemque de oblationibus excommunicatorum, & energumenorum; concil. Eliberitan. can. 28. & 29. *Episcopum placuit ab eo qui non communicat munera accipere non debere, energumenum, qui ab erratico spiritu exagitatur, hujus nomen neque ad altare cum oblatione esse reci-*

piendum, neque permittendum, ut sua manu in ecclesia ministret. Fœneratorum oblationes, tamquam de turpi & nefario quæstu partas, omnino respuit concil. Lateranense habitum sub Alexandro III. *cap. quia in omnibus, de usur.* Augustin. sermon. 35. (al. 113. num. 2.) de verbis Domini: *Nolite velle eleemosynas facere de fœnore, & usuris*. In primis ne ab hæreticis εὐλογίαι, id est *benedictiones*, seu oblationes accipiantur, prohibuit syn. Laodic. *can.* 32. & concil. Martin. Papæ *can.* 70. *can. non oportet, can. non liceat*, 1. *qu.* 1. Denique iniquorum oblationes omnino rejiciuntur, ne ecclesia videatur socia aut fautrix scelerum, pretii participandi causa. His de causis Cistercienses pretium redemptionis Richardi Regis Anglorum, nefarie capti, dum e sacro bello rediret, ab Henrico VI. Imper. sibi legatum respuere: nec non fratres minores pannos laneos sibi oblatos ab Henrico III. Rege Anglorum, scientes eos a mercatoribus raptos; testes Mathæus Parif. & Math. Westmonasteriensis *ann.* 1196. & 1252.

C A P. VII.

Oblationum depositum apud Episcopum, vel super altare, vel in manu sacerdotis, vel apud matricularios. Oblationum distributio. Oblationes jure communi debentur parocho: ex fundatione vel consuetudine Episcopo, vel patrono, & aliis. Semel Deo oblata non possunt revocari ad usus profanos. Oblationum redemptio.

OBLATIONES a fidelibus deponebantur apud Episcopum, quas ille erogaret in pauperes, viduas, pupillos, & peregrinos; præter Justinum martyrem *loco jam supra laudato*, Clemens Romanus lib. 2. cap. 25. τὰ εἰσφερόμενα ἐπὶ προφάσει πενήτων ἑκάστα καλῶς οἰκονομείτω subaudiatur Episcopus, ὀρφανοῖς, καὶ χήραις, καὶ θλιβομένοις, καὶ ξένοις ἀπορουμένοις, ὡς ἔχων Θεὸν λογιστὴν τούτων, τὸν ἐγχειρίσαντα αὐτῷ ταύτην τὴν οἰκονομίαν: *Quæ causa pauperum sponte offeruntur, distribuat decenter in pupillos, in viduas, in afflictos, & calamitosos, & in hospites egentes, tamquam qui Deum habeat harum rerum ratiocinatorem, quarum procurationem ei commiserit*. Et oblationes a fidelibus Episcopo offerebantur, vel per se ipsos, vel per diaconos; idem Clemens eod. lib. cap. 27. προσήκει οὖν καὶ ὑμᾶς ἀδελφοὶ τὰς θυσίας ὑμῶν ἤτοι προσφορὰς τῷ Ἐπισκόπῳ προσφέρειν, ὡς ἀρχιερεῖ, ἢ δι' ἑαυτῶν, ἢ διὰ τῶν διακόνων: *Oportet igitur, ut & vos fratres sacrificia vestra, id est oblationes, Episcopo, utpote Pontifici, aut per vos ipsi, aut per diaconos offeratis*. Alias ex consuetudine oblationes altari offerebantur, vel in manum sacerdotis; concil. Aurelian. I. *can.* 16. & 17. *can. de his, can. antiquos*, 10. *qu.* 1. Synod. VI. in Trullo, *can.* 28. *can. didicimus, de consecr. dist.* 2. & *d. cap. cum inter, de verb. signif.* August. veter. testam. quæst. 46. *Ipse enim semper dicitur offerre, cujus oblationes sunt, quas super altare imponit sacerdos*. Aimoinus Floriac. lib. 3. de mirac. S. Benedict. cap. 3. *Minutam, sibi a vicario ejusdem vici Ermenfredo nomine, obtentu transmissam eleemosynæ altario superponere cupiens, sensit suos resolvi nervos. Cumque circumspectaret qui sibi auxilium ferret, a matriculario ecclesiæ elevatus scamellos quidem suos cancellis sanctuarii, munus vero haud secus quadrante illius evangelicæ viduæ Christo acceptabile altari imposuit*. Et Victor Uticens. lib. 2. de persecut. Vandalic. *Procedit ad altare cum Eugenio, sicut moris, qui fuerat cæcus, suæ salutis oblationem Domino redditurus, quam Episcopus accipiens altari imposuit*. Nec non oblationes deponebantur apud matricularios, seu æditu os ecclesiæ; concil. Altissiodorens. can. 3. *Non licet*

licet compensas in domibus propriis, nec vigilias in festivitatibus sanctorum facere, nec inter sentes, aut arbores sacrivos, vel ad fontes vota exsolvere; sed quicumque votum habuerit, in ecclesia vigilet, & matriculæ ipsum votum aut pauperibus reddat. Ita Clodovæus rebus feliciter gestis in Aquitania, & Gothorum regno una cum Alarico extincto, equum, quem voverat, si e Gothica expeditione victor domum rediret, Martino Turonensi obtulit, & voti redimendi causa centum tradidit matriculariis ecclesiæ, & cum equus loco moveri non posset, sentiens numinis religionem, alia centum adjecit, & hinc sine vi ulla equum abduxit, cujus rei miraculo gavisus: *Martinus*, inquit, *bonus in auxilio, carus in negotio*, rem narrat Abbas Urspergensis, in chronic. pag. 159. *Cumque interfecto Alarico reverteretur cum victoria, veniens ad eandem ecclesiam pro solvendo voto, dona obtulit plurima; pro equo vero quem ibi dimiserat dedit matriculariis ecclesiæ centum solidos, ut eum reciperet*, &c. Idem Sigebert. *ad annum* 509. Otto Frising. 3. *chronic. cap.* 32. Harum oblationum pars cessit Episcopo, ut se suosque aleret: sed ea fuit varia pro rerum specie, & consuetudine provinciarum. Nempe olim dimidia, vel tertia maxime in Hispania; *can. de his, can. antiquos, can. decrevimus*, 10. *qu.* 1. *can. placuit, ead. caus. qu.* 3. *can. constitutum*, 16. *qu.* 1. & frequentius quarta; *can.* † *vobis, can. Wulterana, can. de reditibus*, 12. *qu.* † 2. *cap. de quarta, de præscript. cap. conquerente, de offic. ordinar.* Jure communi oblationes parochianorum debentur parocho, quia sustinet personam ecclesiæ; *cap. pastoralis, de his quæ fiunt a prælat. sine consens. capitul.* Panormitan. & Felin. *in cap. dilectus, de offic. ordinar.* adeoque si capella construatur in finibus parochialis ecclesiæ, oblationes, quæ obveniunt illi capellæ, cedunt parochiali ecclesiæ; *cap. ad audientiam* 3. *de eccles. ædifican.* Ita ut si quis oblationes vel decimas extra baptismalem ecclesiam dederit, bannum, id est multam, componat, & communione privetur; *can. statuimus*, 16. *qu.* 1. Capit. Carol. M. *lib.* 7. *cap.* 5. Oblationes tamen, quæ certis diebus solemnibus offeruntur, puta die dedicationis ecclesiæ, vel die festo martyris, aut sancti tutelaris ecclesiæ, debentur Episcopo ex lege fundationis, vel consuetudine. Aliquando & oblationes dividuntur inter parochum & monachos, quibus ecclesia concessa est; *can. nec numerus*, 10. *qu.* † 2. *can. Eleutherius*, 18. *qu.* 2. Ivo Carnotens. epist. 175. *Qui cum die statuto ad causam venissent, dixit abbas Vindocinensis, se oblationes parochianorum, qui morantur in municipio, quod appellatur Mons Fauni, per viginti annos fere tenuisse*, &c. Oblationes non debentur patrono, nisi ex lege fundationis, idque intra congruum modum; concil. Bracar. II. can. 6. *Si quis basilicam, non pro devotione fidei, sed pro quæstu cupiditatis ædificat, ut quidquid ibidem de oblatione populi colligitur, medium cum clericis dividat, eo quod basilicam in terra sua quæstus causa condiderit, quod in aliquibus locis usque modo dicitur fieri, hoc de cetero observari debet, ut nullus Episcoporum tam abominabili viro consentiat, nec basilicam, quæ non pro sanctorum patrocinio, sed magis sub tributaria conditione est condita, audeat consecrare*. Atque ita ne patronus quicquam de ecclesia exigat, præter antiquos & moderatos reditus ab initio institutos, vetatur *cap. præterea* 23. *de jure patronat.* De cetero laici sunt impotes oblationum ecclesiæ; *can. quia sacerdotes, can. hanc consuetudinem*, 10. *qu.* 1. Semel vero oblata Deo, ne hoc omittam, perpetua religione tenentur, nec possunt revocari ad usus laicorum, ut monasteria semel dedicata, non amplius fiunt *κοσμικὰ καταγώγια*, *sæcularia habitacula; concil. Chalced. can.* 24. *synod. VII. can.* 13. *can. quæ semel, can. quoniam*, 19. *qu.* † 3. Nec a Gentilibus abfuit eadem religio: hujus rei argumentum est, quod scuta in templis suspendebantur, *ἄνευ τῶν ὀχάνων*, *sine loris*, ne amplius usui esse possent, ut observo ex Aristophane *in Equitibus*. Oblationes pecunia redimi solitas jam observatum exemplo Clodovæi: aliud ecce subjicio. Fortuna-

† Corrige, qu. 3. Et v. si facit.

tus in vita S. Germani Episcopi Parisiensis, apud Surium: *Tunc baltheum quo cingebatur* (loquitur de Nicasio Comite) *ac spatham pro munere beato Dei viro contradidit, quod tamen ipse dato pretio post redemit.*

C A P. VIII.

Primitiæ frugum offeruntur Deo. Primitiarum usus notus paganis. Primitiarum modus.

OFFERUNTUR & Deo primitiæ, vice census dominici, in usus sacerdotum ob sacrum ministerium. Primitiæ sunt partes fructuum, quæ primum tolluntur, & Deo offeruntur, Græcis ἀπαρχαί. Hesichius, ἀπαρχή. προσφορά. ἀφαίρεμα. *Primitia, oblatio, quod tollitur*, id est *delibatio fructuum*. Et hoc distant primitiæ a primogenitis, quod primogenita sunt primi fructus qui sumuntur de fundo ipso, & Deo offeruntur. Primitiæ autem sumuntur de fructibus jam redactis, id est collectis; Augustinus lib. 4. quæst. in numeros, cap. 38. *Hæc igitur tria ista discernuntur, quia* πρωτότοκα *sunt primitivi animalium fœtus etiam hominum.* πρωτογενήματα *vero primi fructus de terra sumpti, vel de arbore, vel de vite. Primitiæ autem de fructibus quidem, sed jam redactis ab agro, sicut de massa, de lacu, de dolio, de cupa, quæ primitus sumebantur.* Ab ecclesiæ cunabulis primitiæ novarum frugum & uvarum recentium Episcopo & presbyteris offerebantur; *can. Apostolor. 3. & 4.* Primitias & decimas Episcopo, ut Dei homini, id est actori & dispensatori tribuit Clemens Romanus, lib. 2. constit. apostolic. cap. 25. αἱ διδόμεναι κατ' ἐντολὴν Θεοῦ τῶν δεκατῶν, καὶ τῶν ἀπαρχῶν, ὡς Θεοῦ ἄνθρωπος ἀναλισκέτω: *Quæ secundum Dei mandatum tribuuntur, decimas dico & primitias, insumat Episcopus ut homo Dei.* Primitiæ a fidelibus Deo offerebantur, & solemnis per Episcopum fiebat oratio pro primitiis oblatis, quæ legitur ejusdem Clementis *lib. 8. cap. 60.* Adulta jam ætate ecclesiæ non deferbuit usus primitias offerendi, quinimmo primitiæ sanctiores, Deoque jucundiores visæ ob celeritatis gratiam; Ambros. lib. 2. de Cain & Abel, cap. 2. *Primitiæ etenim fructuum sanctæ secundum legem; quia in his optimum festinæ fidei sacrificium est: sed fiunt sanctæ devotione, non tempore, † quia non proventus sanctificat, sed devotio.* Et idem in eandem sententiam, epist. 22. (al. 35. cap. 9.) *Aliæ sunt primitiæ, aliæ decimæ: primitiæ majoris gratiæ sanctificationis observantissimæ. Ideo placuit Abel, quia non est suum munus moratus, qui de primitivis ovium obtulit. Licet aliqui distantiam velint esse inter primitias & primogenita, id est quæ primo nascuntur; eo quod collectis seminibus, quasi ex omnibus initia offerantur † areæ: tamen de messe quod primum tollitur, id offertur Domino.* Ante hæc tempora Julianus Christianæ religionis simia, simul & infensissimus osor, cum primitiarum oblationem sua ætate apud Christianos summo studio frequentari teneret, ad Paganos eam transferre connisus est, ut adumbrata paris cultus imagine, Ethnicismi ludibrium tolleret. Hoc consilio epistolam scripsit ad Arsacium Galatiæ Pontificem, quæ integra extat apud Sozomenum *lib. 5. cap.* † 16. δίδασκε δὲ καὶ συνεισφέρειν τοὺς Ἑλληνιστὰς εἰς τὰς τοιαύτας λειτουργίας, καὶ τὰς Ἑλληνικὰς κώμας ἀπάρχεσθαι τοῖς θεοῖς τῶν καρπῶν: *Quare doceto Gentiles in ejusmodi ministeria pecuniam conferre, & pagos Gentilium ex fructibus diis offerre primitias.* Primitiarum tamen oblationem non modo Græcis & Romanis, sed & Barbaris non ignotam fuisse palam est. Apollini Delphico a Græcis offerebantur frugum primitiæ, quarum æquam partem Pythiæ oraculo accepit Pindarus vates; Pausanias in Bœoticis, (cap. 23.) ἐς πλέον δόξης ἦρεν ἡ Πυθία ἀνειποῦσα

πᾶσι Δελφοῖς ὁπόσων ἀπήρχοντο τῷ Ἀπόλλωνι, μοῖραν καὶ Πινδάρῳ τὴν ἴσην ἁπάντων νέμειν: *Ad summum gloriæ eundem evexit vox Pythiæ, qua Delphi jussi sunt æquam omnium quæ Apollini deferrentur primitiarum partem Pindaro tribuere*. Novas fruges Romani non attigere prius quam sacerdotes primitias libassent; Plinius lib. 18. cap. 2. *Ac ne degustabant quidem novas fruges aut vina, antequam sacerdotes primitias libassent*. Quid? Hyperborei ipsi, gentes barbaræ, ab ultimo Aquilonis recessu primitias frugum ad Apollinis templum, quod erat apud Prasienses in Attica, per manus missitarunt; Pausanias in Atticis (cap. 31.) Ἐν δὲ Πρασιεῦσιν Ἀπόλλωνός ἐστι ναός, ἐνταῦθα τὰς Ὑπερβορέων ἀπαρχὰς ἰέναι λέγεται: *In Prasiensibus Apollinis est templum, quo Hyperboreorum primitias mitti tradunt*. Primitiarum vero modus non est certus, sed relinquitur arbitrio offerentium, vel pendet ex consuetudine præscripta: olim is erat modus primitiarum, ut non esset minor sexagesima fructuum, nec major quadragesima; *cap. 1. de decim.*

August. in c. † 78. epist. ad Rom. *Et de primitiis vini libabant gentes simulacris suis, & quædam in ipsis particularibus sacrificia faciebant.*

C A P. IX.

Decimæ Deo reservatæ in signum universalis dominii. Decimarum usus ex quo pax reddita ecclesiæ. Decimæ debentur matrici ecclesiæ. Singulis ecclesiis mansus adscriptus. Edictum Philippi Augusti, ne ecclesia quid possideat præter decimas.

INTER census dominicos quam merito inscribuntur & decimæ, quas Dominus in signum universalis dominii sibi reservavit; *cap. cum non sit, de decim.* Ideo decimas & primitias possessiones Dei appellat Hieronym. in Malach. cap. 3. *Si quando fames & penuria, & rerum omnium egestas opprimunt mundum, sciamus hoc ex Dei ira descendere, qui in pauperibus si non accipiant eleemosynam fraudari se loquitur, & suas possessiones possumus decimas & primitias interpretari, can. revertimini, 16. qu. 1.* Decimas jam a primis ecclesiæ sæculis Deo & sacerdotibus pensitari moris fuisse constat; Clemens Romanus lib. 2. constit. apostolic. cap. 25. τὰ διδόμενα κατ' ἐντολὴν Θεοῦ τῶν δεκατῶν, καὶ τῶν ἀπαρχῶν ὡς Θεοῦ ἄνθρωπος ἀναλισκέτω: *Quæ secundum Dei mandatum tribuuntur, decimas dico & primitias, insumat Episcopus, ut homo Dei*. A Constantino jam pace data ecclesiæ, decimæ tamquam sacrum vectigal passim præstabantur. Christianos ad solvendas ex animo decimas hortatur Augustin. homil. † 48. al. serm. 86. in append. num. 2. *Majores nostri ideo copiis omnibus abundabant, quia Deo decimas dabant, & Cæsari censum reddebant. Modo autem, quia discessit devotio Dei, accessit indictio fisci. Noluimus partiri cum Deo decimas; modo autem totum tollitur. Hoc tollit fiscus, quod non accipit Christus, can. majores, 16. qu. 7.* Et idem August. serm. 219. de † tempore: *Decimæ tributa sunt egentium animarum. Quod si decimas dederis, non solum abundantiam fructuum recipies, sed etiam sanitatem corporis & animæ consequeris. Non igitur Dominus Deus præmium postulat, sed honorem. Deus enim noster, qui dignatus est totum dare, decimam a nobis dignatus est recipere, non sibi, sed nobis sine dubio profuturam, can. decimæ, 16. qu. 1.* Herminium Comitem, quod lubens decimas frugum persolveret, commendat Isidor. Pelusiotes lib. 1. epist. 317. Καλῶς τὸν κύριον τιμᾷς, ἡμῖν τῶν καρπῶν ἀπαρχόμενος, καὶ δεκατῶν τὴν εὐφορίαν τῆς γῆς σοῦ, τῷ διδόντι. *Præclare Dominum ornas, cum nobis fructuum tuorum primitias tribuis, decimamque partem ex ubertate terræ tuæ ei, a quo eam accepisti, pendis*. Non solum de fructibus prædiorum decimæ solvebantur; sed etiam de quæstu militiæ, nego-

† Al. 277. in append. In quo laudata verba leguntur paulisper immutata, variis tamen ex locis collecta, ut per Gratianum in can. *decima*,

Illo quippe die, quo me diademate primum
Reddidit insignem patrum pater imperiali,
Hanc promulgavi legem, in scriptisque redactam
Jussi per totum servari firmiter orbem:
Ecclesiæ decimas, oblataque munera tantum
Possideant, villas nobis, & prædia linquant.
Vivat & hinc populus, habeatque stipendia miles.

C A P. X.

Eleemosyna in pauperes quasi vectigal Deo. Collatio eleemosynarum in pauperes, & dispensatio per diaconos. Eleemosynæ in pauperes transmarinos. Eleemosynæ in perpetuum dictæ.

INTER census dominicos non immerito locum suum obtinet & eleemosyna, quatenus Deo in persona pauperum velut vectigal fisco penditur; Augustin. in psalm. 146. (num. 17.) *Sudet eleemosyna in manu tua, quousque invenias justum cui des? Numquam hoc facietis, nisi aliquid de rebus vestris sepositum habueritis, quod cuique placet pro necessitate rei familiaris suæ, tamquam debitum quasi fisco reddendum.* Unde honor pro eleemosyna acceptus: quia per eam Deus honoratur & colitur; Hieronym. ad † Ageruchiam: *Honor autem in præsentiarum, vel pro eleemosyna, vel pro munere accipitur.* Quod fuerit studium in pauperes si lubet observemus. Jam ab ipsis nascentis ecclesiæ cunabulis stipes passim a fidelibus conferebantur in alimoniam pauperum; præter Justinum martyrem *loco jam laudato*, Tertullian. apologetic. cap. 39. *Etiam si quod arcæ genus est, non de ordinaria summa quasi redemptæ religionis congregatur, modicam unusquisque stipem menstrua die, vel quam velit, & si modo velit, & si modo possit apponit; nam nemo compellitur, sed sponte confert: hæc quasi deposita pietatis sunt; nam inde non epulis, nec potaculis, vel ingratis voratrinis dispensantur, sed egenis alendis humandisque, & pueris ac puellis re ac parentibus destitutis, jamque domesticis senibus, item naufragis, & si qui in metallis, & si qui in insulis, vel in custodiis dumtaxat ex causa Dei sectæ alumni confessionis suæ fiunt.* Persecutionem patientes pro fide, publica stipe adjutos jam audisti ex Tertulliano. Diaconorum in hanc rem ministerium & operam illustrat can. 43. concil. Carthag. IV. *De Christiano Catholico, qui pro catholica fide tribulationem patitur, etiam & per diaconum ei victus administretur.* Hujusmodi stipes, quia ex collatione fidelium redigebantur, *συμβολαῖα* id est, *collectas* vocat Basilius epist. 398. τοῦτο γὰρ ἦν ποτε τῆς ἐκκλησίας τὸ καύχημα, ὅτι ἀπὸ τῶν περάτων τῆς οἰκουμένης, ἐπὶ τὰ πέρατα, μικροῖς συμβολαίοις ἐφοδιαζόμενοι οἱ ἐξ ἑκάστης ἐκκλησίας ἀδελφοὶ πάντας πατέρας, καὶ ἀδελφοὺς εὕρισκον. *Hæc erat illa olim ecclesiarum gloriatio, cum cujusvis ecclesiæ, quacumque terrarum sitæ fratres, ab una orbis ad alteram extremitate exiguis instructi collectis peregrinati, patres ubique fratresque suos reperirent.* Ac de his intelligendus *can.* 55. Laodicen. concil. cum vetat, ne clerici & laici convivia peragant ἐκ συμβολῆς, *ex collatione*: quid enim aliud signat, quam abusum clericorum, & laicorum, qui fatiscente jam ab eo tempore zelo fidei, pecuniis collatis in solatium pauperum & peregrinorum abutebantur ad epulas & delicias proprias? Nec omittendum quæ, esset ratio istarum collationum, nimirum deponebantur apud Episcopum, qui eas per se dispensabat, ut jam observatum ex Justino Martyre; vel proprio dispensatori distribuendas in pauperes credebat; Hieronymus ad Nepotianum: *Gloria Episcopi est pauperum opibus providere.*

Act. Apostol. 4. Paul. ad Rom. 15. August. in epist. ad Galat.

Et infra: *Sciat Episcopus, cui commissa est ecclesia, quem dispensationi pauperum curæque præficiat*. Nec pauperum curam omisere ipsi Imperatores inter arma, & graviores imperii solicitudines, quinimmo pauperes, velut Christi alumnos, de proprio fisco foverunt. Primus Constantinus ecclesiæ Alexandrinæ congiarium, id est annonam, in perpetuum, pauperum in sumptum legavit; qua de re Athanasius falso ab Arianis insimulatus, quod id stipendii pauperum subripuisset; auctore Socrat. *lib.* 2. † *cap.* 17. Laudatur a nostris Carolus M. quod pauperes non modo provinciales, sed etiam transmarinos de fisco sustentaret; Eginart. in ejus vita: *Circa pauperes sustentandos, & gratuitam liberalitatem, quam Græci eleemosynam vocant, devotissimus, quam non in patria sua solum, & in suo regno facere curaverit, verum trans maria, in Syriam, & Ægyptum, atque Africam, Hierosolymas, Alexandriam, atque Carthaginem, ubi Christianos in paupertate vivere compererat, penuriæ eorum compatiens pecuniam mittere solebat*. E reditibus ecclesiarum & monasteriorum Galliæ seponi solebat eleemosyna in transmarinos pauperes: ut e Cella sancti Judoci monasterio Ferrariensi adjecta, qua militibus in beneficium data a Carolo Calvo, eleemosynam sublatam dolet Lupus Ferrarienf. epist. 71. ad eundem Carolum: *Quæ omnia nobis ex prædicta cella ministrabantur, in qua intermissam transmarinorum curam, aliorumque pauperum, & neglectam sui culturam, utinam vobis Deus non imputet*. Laudanda & veterum pietas, qui certas & solemnes eleemosynas in perpetuum, legati vice pauperibus constituerunt, ut Adalgottus Magdeburgensis Episcopus; de quo Albert. Krantzius, lib. 5. metropolis, cap. 32. *Ejus institutum, ut quotannis per quadragesimæ singulos dies, centum pauperibus, singulis panes, cum singulis oleribus tribuantur*. Singulos pauperes pro salute Caroli M. & aliorum benefactorum in monasterio Laurishamensi altos scribit auctor chronic. Laurishamensis: *Quorum magnificam fide devotionem pius pater Udalricus digne remunerans, constituit eis sicuti Karolo M. & duobus Ludovicis singulos pauperes in cœna Domini ad mandatum fratrum perpetuo assignari*. Duodecim pauperes in Floriacensi monasterio in honorem duodecim Apostolorum sustentatos tradit Aimoin. Floriacenf. lib. 2. de miracul. S. Benedicti cap. 12. *Cujus precibus Richardus abbas annuens, in numero 12. egenorum eum haberi instituit, quos diligens boni antiquorum cura patrum, in hoc nostro Floriacensi cœnobio, ob duodenarium Apostolorum numerum communibus stipendiis diatim ali ac vestiri sancivit*. Denique secunda religionis pars fuit misericordia in pauperes, & omnino damnatus error manichæorum, qui eam ut rem hostilem explodebant; Athanasius ad solitarios, (num. 61.) παρὰ Μανιχαίοις γὰρ ἔλεος οὐκ ἔστιν, ἀλλὰ καὶ ἐχθρόν ἐστι παρ᾽ αὐτοῖς τὸ ἐλεεῖν πένητα: *Apud Manichæos misericordia non est, & pro re hostili habetur pauperum commiseratio*.

C A P. XI.

Census ab exemptis, vel commendatis monasteriis præstatur sedi apostolicæ in signum exemptionis, vel protectionis.

HACTENUS census exegimus qui Deo & Domino nostro dependuntur: nunc transeamus ad census canonicos, qui Romano Pontifici, & aliis prælatis, suo cuique jure debentur. Ac primum agamus de censibus pontificiis. Aliæ sunt ecclesiæ, quæ censum præstant sedi apostolicæ in signum acceptæ libertatis: aliæ in signum tuitionis, & protectionis: solet enim summus Pontifex, cum ecclesiam ab ordinarii jurisdictione absolvit, vel in tutelam recipit, certum sibi censum excipere in signum datæ libertatis, vel protectionis; *cap. constitutus*,

tus, *de religiof. domib. cap. recepimus*, *de privileg. cap. si Papa*, *eod. tit. in 6.* Solebant & conditores ecclesiarum lege fundationis, exemptionis demerendæ causa, ecclesiam sedi apostolicæ commendare, & ultro certum censum offerre: & ideo Innocent. III. in *d. cap. constitutus* ait, non insolitum esse, nec novum, ut Pontifices, cum tabulas libertatis vel protectionis aliquibus ecclesiis indulgent, gratis accipiant censum gratis oblatum: ita Gvillelmus Pius Dux Aquitaniæ Cluniacense monasterium condidit in proprio allodio, & sedi apostolicæ commendavit, constituto censu annuo decem solidorum in singula lustra; auctor ipse in testamento fundationis, quod legitur in bibliotheca Cluniacensi: *Per quinquennium autem Romæ ad limina Apostolorum, ad luminaria ipsorum continuanda decem solidos præfati monachi persolvant, habeantque tuitionem ipsorum Apostolorum, atque Romanum Pontificem defensorem.* Sic & Geraldus Comes Aureliacensis cœnobium D. Petro posuit in proprio fundo, & censum sedi apostolicæ dixit; Odo Cluniacensis lib. 2. vit. ejusd. Geraldi, cap. 4. *Romam profectus est, & Aureliacum insigne prædium beato Petro Apostolorum Principi, facto solemniter testamento, delegavit, cum tantis videlicet appendiciis, quæ monachis, quos ibidem congregare disposuerat, ad omne stipendium sufficere possent: censum quoque delegavit, qui ad urnam beati Petri annuatim redderetur.* Nec omittendum, quod census a piissimo Comite Romam secundo quoque anno deferri solebat, ut scribit idem Odo infra cap. 17. *Hanc sibi legem præfixerat, ut secundo semper anno ad sepulcrum Apostolorum recurreret, decemque solidos ad proprium collum dependentes, tamquam supplex servus Domino suo quasi censum deferret.* Sic & fundator Vindocinensis monasterii 12. solidos per annos singulos B. Petro census nomine pendi voluit; Goffrid. Vindocinensis abbas, lib. 1. epist. 9. *Tempore prædecessorum nostrorum Romana ecclesia vel debitum censum duodecim scilicet solidos per annum vix inde habere potuit.* Sic & Vezeliacense monasterium a Gerardo Comite & Bertha conjugibus fundatum, & B. Petro traditum sub censu annuo libræ argenti; Innocent. III. lib. 1. epist. 150. *Ad indicium autem, tam jurisdictionis Romanæ ecclesiæ, quam libertatis vestræ, libram unam argenti nobis nostrisque successoribus annis singulis exsolvetis.* Hirsaugiense monasterium in Germania construxit Adelbertus Comes, ac exemptionis beneficium pro eo impetravit, constituto ecclesiæ Romanæ censu annuo unius nummi Byzantini, uti refert Trithemius, in chronic. Hirsaugiens. ex tabulis Henrici IV. anni 1076. *Super hæc omnia Comes sæpe dictus apostolicum privilegium acquisivit, & constituit, ut unus aureus, quem Bysantium dicimus, singulis annis Romam ad altare S. Petri ab abbate prædicti monasterii in pascha persolvatur.* Sic & Comites de Hurmingen monasterium S. Michaeli posuerunt in Elsatia, cui nomen Huguez Chonem, & Sixto Papa libertate donari curaverunt, excepto cameræ apostolicæ annuo marmotino, hoc est denario aureo, ut narrat Albertus Argentinens. *in chronic.* Denique ecclesiæ exemptæ, aliæ alios census præstant ecclesiæ Romanæ, ut plurimum vero unciæ auri: quam ob rem abbas Malmesburiensis, ut scribit Petrus Blesensis, epist. 68. *Viles*, inquit, *sunt abbates & miseri, qui potestatem Episcoporum prorsus non exterminant, cum pro annua auri uncia plenam a sede Romana possint assequi libertatem.* Non omnes tamen ecclesiæ exemptæ annuum apostolicæ sedi censum exsolvunt: nec omnes ecclesiæ, quæ sunt censuales ecclesiæ Romanæ, eo ipso sunt exemptæ: solutio enim census, quæ fit ecclesiæ Romanæ in signum protectionis, non solvit potestatem ordinarii, sed ea tantum quæ fit in signum acceptæ libertatis, *d. cap. recepimus*.

C A P. XII.

Census ab Anglis oblatus ecclesiæ Romanæ in signum devotionis. Primum Romescot dictus, postea denarius S. Petri. Hujus census collecta facta per archidiaconum. Idem census genus tentatum in Gallia a Gregorio VII.

ALIOS census & ecclesia Romana recipit in signum devotionis, alios in signum subjectionis: non alio quam pietatis obsequio Angli per multa sæcula annuatim in singula capita Romanæ sedi censum exsolverunt: idque genus census primum ultro institutum ab Ina & Offa Regibus Anglorum: unde primum dictum est *Romescot*, quasi Romanum vectigal; Matthæus Westmonasteriensis ad ann. 727. *Statutum est generali decreto, per totum regnum occidentalium Saxonum, in quo prædictus Ina regnabat, ut singulis annis de singulis familiis denarius unus, qui Anglice* Romescot *appellatur, beato Petro & ecclesiæ Romanæ mitteretur*. Et Anselmus Cantuariensis *lib.* 3. *epist.* 85. ad Gondulfum Roffensem Episcopum, qui Cantuariensis ecclesiæ res eo exulante curabat: *De debitis quæ solvistis, si & debita de Romescot in his sunt, gaudeo*: & mox. *Sed scitote, quia ego nec litteras, nec ullam legationem ab Apostolico habui, postquam a vobis discessi, nisi quod per Tiberium mihi mandavit verbis & litteris, ut eum de Romescot adjuvarem*. Vectigalis nomine venit pensitatio ista, etsi inspecta origine nuda & simplex fuit eleemosyna, seu oblatio: unde eleemosynam Regis vocat Rogerus Hovedenus ad ann. 806. *Hoc anno Etheltem Comes Wiltulnensium eleemosynam Regis Elfredi detulit Romam*. Eundem censum posterior ætas denarium sancti Petri vocitavit, ut observo ex epistola optimatum Angliæ ad Innocentium IV. apud Matthæum Paris. ad ann. 1245. *Esse quidem non potest immemor mater illa illius gratitudinis, quam ei a longe retroactis temporibus regnum* Anglicanum *impendit; concedendo eidem, ad exaltationem suam, & conservationem majorem, subsidium decens, & non modice fructuosum: ut per hoc inter ecclesiam ipsam & regnum prædictum fœdus dilectionis firmius inirerur. Quod quidem subsidium processu temporis B.* Petri *denarius extiterit nuncupatum*. Quæ fuerit ratio hujusce census hoc argumento intelligi potest, quod olim Petri cathedra divisa in tres Pseudopontifices, & divisis reditibus, Gratianus presbyter Romanus eos, ut loco cederent, persuasit, uni ex eis, Benedicto nomine, Tusculani Comitis filio, tamquam digniori, reditibus Anglicanis relictis; Otto Frisingensis lib. 6. chronic. cap. 32. *Hunc miserrimum statum ecclesiæ religiosus quidam presbyter Gratianus nomine videns, zeloque pietatis, matri suæ compatiendo, animadvertens, præfatos viros adiit, eisque a sede sancta cedere pecunia persuasit, Benedicto reditibus Angliæ, quia majoris videbatur auctoritatis esse, relictis*. Hujusce census pars cedebat Romano Pontifici in proprios sumptus, pars scholæ Anglorum, qui Romam religionis causa adibant, ut indicat Alexander II. epist. 8. ad Gvillelmum I. Regem Anglorum, quæ ad eum scripta est pro exactione denarii S. Petri: *Nam, ut bene nosti, donec Angli fideles erant, piæ devotionis respectu ad cognitionem religionis annuam pensionem apostolicæ sedi exhibebant, ex qua pars Romano Pontifici, pars ecclesiæ sanctæ Mariæ, quæ vocatur schola Anglorum, in usum fratrum deferebatur*. Studuerunt Pontifices, ut census iste bona Principis gratia colligeretur, ideoque Gregorius VII. eidem Gvillelmo Regi commendavit res D. Petri in Anglia, lib. 1. epist. 70. *Rebus vero S. Petri, quæ in Anglia colliguntur, sic te ut tuis invigilare admonemus, sic liberalitati tuæ ut tua committimus, ut pium & propitium debitorem Petrum reperias*. Quanto

to studio fuerit Regibus ipsis, ut census iste persolveretur, abunde testatur epistola Canuti Regis, quæ extat apud Willelmum Malmesbur. 2. de gest. Reg. Anglor. & Ingulphum in chronic. Croyland. *Nunc igitur obtestor omnes Episcopos meos & regni præpositos, per fidem quam mihi debetis, & Deo, quatenus facietis, ut antequam Angliam veniam, omnia debita, quæ secundum legem antiquam debemus, sint persoluta, scilicet eleemosyna pro aratris, & decima animalium ipso anno procreatorum, & denarii quos Romam ad sanctum Petrum debetis, sive ex urbibus, sive ex villis.* Hibernia, Angliæ regno adjecta, eundem censum indixere Pontifices, eamque a barbaris, armis evindicandam Henrico II. Anglorum Regi concessit Adrianus III. salvo denario S. Petri, ut ait ipse, scripta ea de re epistola apud Matthæum Paris. ad ann. † 1155. *Insulam illam ingrediaris, & quæ ad honorem Dei & salutem illius terræ spectaverint exequaris: & illius terræ populus te recipiat, & sicut Dominum veneretur, jure ecclesiarum illibato & integro permanente, & salva beato Petro de singulis domibus annua unius denarii pensione.* Et cum Joannes Anglorum Rex mille marcas sterlingorum annui census nomine promisit ecclesiæ Romanæ, hoc actum est, salvo & illibato denario S. Petri: *Ad indicium autem*, ait ipse apud Matth. Paris. ad ann. 1213. *hujus nostræ perpetua obligationis & concessionis volumus & stabilimus, ut de propriis & specialibus reditibus nostris prædictorum regnorum, pro omni servitio, & consuetudine, quæ pro ipsis facere debemus, salvis per omnia denariis B.* Petri, *ecclesia* Romana *mille marcas sterlingorum percipiat annuatim.* Collectio autem denarii S. Petri solebat fieri per archidiaconos in quaque diœcesi. Ideo ne occasione hujusmodi collectæ ecclesiis graves sint, eos hortatur Alexander III. cap. ea quæ, de censib. *Cum autem propter B. Petri visitationem denariorum collectam per archidiaconatus vestros feceritis, ecclesias, vel parœcias non gravetis.* Eandem ob causam Wigorniensis Episcopus excipiebat, se interrupisse præscriptionem jurium episcopalium adversus abbatem Eveshamiensem per receptionem, & procurationem archidiaconi, nec non per solutionem denariorum S. Petri, in valle de Evesham; cap. *auditis*, *de præscript.* quod scilicet solutio denarii S. Petri fieret archidiacono. Sed quia archidiaconi segniores erant in curanda re ecclesiæ Romanæ, missus est quæstor seu collector in Angliam ex parte Pontificis, qui D. Petri censum colligeret, idque officii in Anglia functus Polydorus Virgilius, postea Wellensis archidiaconus, ut ipse de se testis est, lib. 4. hist. Anglic. *Omnis Anglia hoc tempore istud vectigal pietatis & religionis causa Romano Pontifici pendit, domesticatim collatum, & nummi illi argentei vocantur, vulgo denarii Petri, quos pontificius quæstor, quem non inscienter collectorem nuncupant, exigit: nos hanc olim quæsturam aliquot per annos gessimus, ejusque muneris obeundi causa primum in Angliam venimus.* Sed hodie, proh dolor! Angli longe avitam erga Romanam ecclesiam, & suos Reges fidem prorsus expunxere, & tristi exemplo, sublato Rege regnoque, docuere quam lubrica sit fides subditorum erga Principem, quæ semel erga Deum & ecclesiam Romanam defecit. Tentavit & Gregorius VII. idem census genus stabilire in Gallia, & ne novum videretur, id repetiit a Carolo Magno: qua de re extat ejus epistola ad legatos missos in Gallias, quæ est 23. lib. 8. *Dicendum autem est omnibus Gallis, & per veram obedientiam præcipiendum, ut unaquæque domus saltem unum denarium annuatim solvat B. Petro, & eum recognoscat patrem & pastorem suum, more antiquo. Nam Carolus Imperator (sicut legitur in tomo ejus, qui in archivo ecclesiæ B. Petri habetur) in tribus locis annuatim colligebat mille & ducentas libras ad servitium apostolicæ sedis, id est Aquisgrani, apud Podium S. Mariæ, & apud sanctum Ægidium; excepto hoc, quod unusquisque propria devotione offerebat.* Sed res effectu caruit, & Gallia, ecclesiæ Romanæ alumna devotissima, ejusdem censualem se videri non tulit.

Idem Matth. Westmonast. ad eund. ann.

Gvillel. Brito, *lib.* 9. *Philipp.* Antonin. *part.* 3. *tit.* 19. *cap.* 1. §. 5.

C A P. XIII.

Hispania, Bohemia, Polonia, Sicilia, Neapolis, Anglia censuales ecclesiæ Romanæ. Vectigal a Byzantinis Imperatoribus solvi solitum ecclesiæ Romanæ, sublatum a Leone Iconomacho.

IN signum devotionis & quamplures Christiani orbis Principes se & sua commendarunt ecclesiæ Romanæ, & certam pecuniam census nomine spoponderunt. Hispaniæ Principes, ut quæque a Saracenis armis receperunt, pro partis sedi Romanæ censum persolverunt, ut testatur Gregorius VII. lib. 1. epist. 7. ad legatos sedis apostolicæ in Hispania existentes: *Non latere vos credimus, regnum Hispaniæ ab antiquo proprii juris sancti Petri fuisse, & adhuc licet diu a paganis sit occupatum, lege tamen justitiæ non evacuata, nulli mortalium, sed soli apostolicæ sedi ex æquo pertinere*. Hoc jure Alphonsus Dux Portugalliæ, Lucio II. cathedram Petri tenente, se beneficiarium ecclesiæ Romanæ constituit, pacto censu annuo unciarum auri quatuor: & postquam Regis titulum accepit ab Alexandro III. novum censum sibi & posteris imposuit, centum Byzantinorum, uti docet Innocent. III. lib. 1. epist. 99. ad Sancium Regem Portugalliæ: *Serenitatem Regiam volumus non latere, nos in regestis bonæ memoriæ Lucii II. Romani Pontificis reperisse, quod recolendæ memoriæ A. pater tuus quatuor auri uncias annuatim Romanæ ecclesiæ constituerit censuales, ad quorum solutionem se, & heredes suos in posterum obligavit. Ceterum cum idem pater tuus usque ad tempora felicis memoriæ A. Papæ prædecessoris nostri, Ducis esset nomine appellatus, ab eodem meruit obtinere, ut tam ipse, quam ejus heredes Regio nomine vocarentur. Ut autem idem pater tuus sacrosanctam Romanam ecclesiam matrem suam honore debito præveniret, & ut devotionem, quam circa ipsam habebat, ostenderet in effectu, centum Byzantios annuatim Romanæ ecclesiæ constituit censuales*. Eodem jure & Berengarius Comes Barcinonensis, Taracone a Mauris recepta, ea obtulit ecclesiæ Romanæ, moxque oblatam recepit, constituta pensione annua librarum argenti centum, uti ex diplomate prodidit Baronius *tom.* 11. *annal. ad ann.* 1091. *num.* 7. Non alio jure Uratislaus Dux Bohemiæ, memor beneficii, quod ab Alexandro II. acceperat, nempe juris mitræ, quod laico dari non consuevit, census nomine centum marcas apostolicæ sedi persolvit, testatur Gregor. VII. *lib.* 1. *epist.* 38. & *lib.* 2. *epist.* 7. Quid? Casimirus Princeps Poloniæ, ex monacho Cluniacensi, dispensante Pontifice, in Poloniæ Regem creatus, ea lege, ut Poloni in gratiam accepti beneficii in singula nobilium capita, singulis annis apostolicæ sedi numum exsolverent, & comam in orbem instar monachorum attonderent, & diebus solemnibus palmarum lineam fasciam in stolæ modum collo dependentem gestarent, ut narrat Cromerus *lib.* 3. Olim &. a Byzantinis Imperatoribus templo Petri & Pauli Romæ talenta tria cum dimidio de fisco solvebantur, quod census genus patrimonium Apostolorum vocabatur, & sublatum a Leone Iconomacho, auctor est Cedrenus in ejus gestis (num. 215.) *Τὰ δὲ λεγόμενα πατριμώνια τῶν ἐν Ῥώμῃ ναῶν τῶν ἁγίων, καὶ Κορυφαίων Ἀποστόλων ἐκπαλαι τελούμενα, τάλαντα τρία ἥμισυ, τῷ δημοσίῳ λόγῳ τελεῖσθαι προσέταξεν. Patrimonia quoque templorum Romæ Principibus Apostolis consecratorum, quæ olim pendebantur talentorum trium & semis, in ærarium publicum conferri jussit*. Alio jure Siciliæ & Neapolis regnum censum præstat ecclesiæ Romanæ, nempe clientelæ, & obsequii feudalis nomine: utrumque est feudum, & beneficium ecclesiæ Romanæ, utriusque investituram, cum nomine & ornamentis

regiis

regiis ab Innocent. II. extorsit Rogerus; auctore Ottone Frisingensi *lib.* 1. *de gest. Frideric. cap.* 28. Constantiæ, & Friderico ejus filio, Siciliæ, & Neapolis regna confirmavit Innocent. III. sub onere hominii ligii, & annuo censu mille squisfatorum ecclesiæ Romanæ pensitando; testis ipse *lib.* 2. *epist.* 445. & ante Gvillelmus I. Rex Siciliæ, cum in extremis ageret, 60. millia Florenorum census nomine sedi apostolicæ dedit. Et Gvillelmus II. ejus filius & successor totidem misit, statim atque regni gubernacula cepit; Joannes Saresber. epist. 159. *Obiit quoque Willelmus Rex Siculus, cui successerunt filii sui, alter in regnum, alter in ducatum Apuliæ, & in extremis agens, 60. millia florinorum Johanni Neapolitano tradi fecit ad usum domini Papæ, filius quoque qui ei successit in regnum totidem misit*. Unde Innocent. IV. in *cap. ad apostolicæ, de sentent. & re judicat. in* 6. scribit, Siciliæ regnum esse speciale patrimonium B. Petri. Et Clemens VI. in *clem. pastoralis*, *eod. tit.* Siciliæ Regem ait esse suum ligium & vassallum. Regnum Angliæ ecclesiæ Romanæ censuale constituit Joannes Rex, in pœnam nefariæ cædis Arturi ex fratre nepotis, & mille marcas sterlingorum præter denarium S. Petri annuatim se & heredes deinceps ecclesiæ Romanæ exsoluturos spopondit; auctores sunt Mathæus Paris. & Mathæus Westmonaster. *ad ann.* 1213. Gvillelm. Brito. *lib.* 9. *Philippid. & alii*.

C A P. XIV.

Annatæ fructus majorum beneficiorum primi anni in usum Rom. Pontificis. A quo inventæ. Annatæ ex privilegio vel consuetudine Episcopis & archidiaconis tributæ, quod jus deportum vocant. An annatæ sine simoniæ labe exigi possint. Annatæ quando damnatæ in Gallia.

CELEBRATUR & vectigalis pontificii genus, quod vulgus annatam vocat: id tale est, ut primi anni fructus episcopatus, abbatiæ, seu alterius beneficii, cedant fisco apostolico. Recens satis inventum, tamen, quod mireris, de auctore ambigitur: alii enim hoc adscribunt Bonifacio IX. alii altius repetunt abs Joanne XXII. ait Platina in Bonifacio IX. Antiquius esse indicat Ostiensis, *in cap. inter cetera, de offic. ordinar.* ubi scribit ætate sua (is autem vixit circa annum 1260.) de annatis sæpe reclamatum fuisse. Hoc jure usi sunt Pontifices, maxime in Anglia, nec modo in episcopatibus, & abbatiis, sed & aliis in minoribus beneficiis. De Clemente V. auctor est Matthæus Westmonasteriensis ad annum 1305. *Ipse vero Papa, videns insatiabilem quorumdam Episcoporum Angliæ avaritiam importune postulantium primas vacantes ecclesias per annum in suis diœcesibus sibi concedi, advertensque quia quod postulat inferior, potest & superior, appropriavit sibi ipsi per biennium omnes proventus de primo vacantibus ecclesiis in Anglia, videlicet de primo anno primos fructus, tam de episcopatibus, abbatiis, prioratibus, præbendis, rectoriis, & vicariis, quam de ceteris minutis beneficiis*. Hanc consuetudinem Anglos in solis episcopatibus concessisse, in ceteris beneficiis non adeo subdit Platina, *loco supra laudato*. Præter Romanum Pontificem, etiam Episcopi, elicitis in eam rem pontificiis rescriptis, beneficiorum vacantium fructus ad tempus, puta biennium, vel longius tempus sibi retinuere, ex justa & necessaria causa, puta æris alieni solvendi, & egestatis ecclesiæ sublevandæ gratia, idque jam a temporibus Innocentii III. *cap. ut nostrum, ut ecclesiastic. benefic. sine diminut. confer. cap. tua nobis, de verb. signif. cap. si propter, de rescript. in 6. cap. si tibi concesso, de præbend. eod.* Hoc jure Tarraconensi Archiepiscopo, ne intra septen-

nium vacatura beneficia conferrentur, sed eorum reditus in æris alieni luitionem converterentur, permisit Innocent. III. decretali epistola, quæ est 126. *lib.* 1. Anno Christi 1246. Innocent. IV. Bonifacio Cantuariens. Archiepiscopo fructus prioris anni beneficiorum per septennium vacaturorum in provincia Cantuariensi concessit, in solutionem æris alieni Cantuariensis ecclesiæ; rem fusius narrat Matthæus Westmonasteriens. paucis Matthæus Paris. *Item in universorum & singulorum patronorum ecclesiarum Angliæ præjudicium non modicum, & gravamen, his diebus domino Cantuariensi concessum est, ut obventiones, sive fructus unius anni beneficiorum, quæ vacare contigerint in provincia Cantuariensi, eidem domino Cantuariensi conferantur.* Secutis temporibus fuere & quamplures alii Episcopi Angliæ, qui fructus primi anni vacantium beneficiorum, quæsitis pontificiis rescriptis, sibi adscripserunt: & his exemplis Clementem V. pari jure usum in rem suam jam audistis ex Matthæo Westmonasteriensi. Archidiaconi quoque ex privilegio vel consuetudine fructus prioris anni minorum beneficiorum suos faciebant, quod jus deportum vocabant. Ex privilegio etiam vel consuetudine Episcopi, abbates, & alii prælati regulares, vel sæculares, fructus beneficiorum vacantium jure caduci occupabant; de quo videatur *cap. præsenti, de offic. ordinar. in 6.* An vero annatæ sine simoniæ labe exigi possint dubitatum, quia ex Lateranensi concilio beneficia ecclesiastica sine diminutione conferri debent; *d. cap. ut nostrum.* Et hoc jure canonici, & alii clerici fructus præbendarum seu beneficiorum statim a die adeptæ possessionis lucrifaciunt; Innocent. III. lib. 2. epist. 256. de canonico quodam Virdunensis ecclesiæ: *Ipsa vero die investituræ possessionem præbendæ habuit, ita quod recepit stipendia, & in officio ministravit.* Sed ex consuetudine eas ferendas dici potest, quia jam olim in ecclesia Constantinopolitana, etsi ordinandus quicquam ordinatori dare vetaretur, tamen ordinantis ministris quasdam consuetudines præbere ei licebat, dummodo unius anni emolumenta non excederent; *nov. Justinian.* 123. *cap.* 16. Verum id genus vectigalis damnatum in concilio Basiliensi, unde secuta pragmatica sanctio in Gallia.

C A P. XV.

Jus caduci in bonis clericorum vindicatum a summo Pontifice, & Episcopis.

VECTIGALEM sibi fecere & Romani Pontifices intestatam clericorum hereditatem, & eorum bona jure peculii occuparunt. Hoc jure in Anglicanum clerum invectus est Innocentius IV. Matthæus Westmonasteriensis ad ann. 1246. *Misit etiam dominus Papa Marium ad ulteriora, ut scilicet bona sine testamento decedentium, sine Principum injuria, & jactura in gremio suæ avaritiæ amplecteretur, etiam si infirmus propter imbecillitatem non potens, vel nolens loqui pro se relinqueret testatorem, quæ injuria & leges dicitur contraire.* Durum id visum est, & valde invidiosum: plerumque tamen Episcopi & clerici suum heredem habuere ecclesiam, & Cæsareæ ipsæ constitutiones, moriente Episcopo vel clerico sine herede ab intestato, bona ecclesiæ detulere; *l. si quis presbyter*, C. *de Episc. & cleric. & nov.* 131. *cap.* 13. Accessit synod. Agathensis can. 33. *Episcopus, qui filios aut nepotes non habuerit, alium quam ecclesiam non relinquat heredem*, can. *Episcopus* 12. *qu.* 2. inde deducto jure Eboracensis Archiepiscopus in Anglia intestatorum clericorum hereditatem sibi vindicavit, comparato in eam rem pontificio privilegio; Matthæus Paris. ad ann. 1181. *Eodem anno Rogerus Eboracensis Archiepiscopus diem clausit supremum 12. kalendas decembris, qui adhuc vivens a Papa Alexandro privile-* gium

Aug. epist. ad Alipium 19. in append. *Videtur itaque mihi hæc regula esse in rebus hujuscemodi retinenda; ut quicquid eo jure quo talia possidentur, ejus fue-*

gium impetraverat, ut si clericus suæ jurisdictioni suppositus, agens in extremis testamentum conficeret, & propriis manibus bona sua moriens non distribueret, Archiepiscopus haberet facultatem injiciendi manus in bona defuncti. Ex consuetudine in Cadurcensi diœcesi, morientium clericorum bona Episcopus omnino sua faciebat, donec Bego unus ex Episcopis id juris remisit, retento annuo censu pro jure testandi, qui in hunc diem annuatim in synodo exigitur. Eodem jure utebatur & Episcopus Tolosanus, sed id pacto dimisit; auctores mihi sunt Benedict. *in cap. Raynutius, in verb. & uxorem, num.* 264. & Gvillel. de Cruce agnatus & conterraneus noster *in gestis Episcoporum Cadurcensium*.

rit qui alicubi clericus ordinatur ad eam pertineat ecclesiam in qua ordinatur.

C A P. XVI.


Legatis & nunciis apostolicæ sedis procurationes debitæ visitationis nomine. Nonnullorum legatorum acerbitas in exigendis procurationibus; aliorum continentia.

LEGATIS & nunciis apostolicæ sedis, ecclesias intra legationis provincias lustrantibus, debentur procurationes, quæ census nomine comprehenduntur, id est annonæ ratione visitationis; *cap. accedentes, de præscript. cap. cum instantia, cap. procurationes, de censib.* Hæ vero procurationes debentur in annonis, seu victualibus, non in pecunia: sed legatorum avaritia & sordibus effectum, ut passim procurationes in nummarias exactiones converterentur, & legationis officium nihil aliud fere esset, quam pecuniæ collectio, & quasi turpe commercium. Hoc quasi jure Walo legatus quondam Innocentii III. in Anglia, a singulis ecclesiis cathedralibus, & regularibus procurationis nomine 50. solidos exegisse fertur; Mathæus Paris. A. C. 1216. *Eodem tempore Walo legatus exegit procurationes per totam Angliam ab ecclesiis cathedralibus, & domibus religiosis; pro singulis scilicet procurationibus quinquaginta solidos.* Ita & Otho ejusdem Pontificis legatus in Anglia, a singulis conventualibus ecclesiis duas marcas argenti procurationis nomine emunxit; auctor idem Mathæus Paris. A. C. 1226. *Tunc idem Otho cepit ab omnibus ecclesiis Angliæ conventualibus, nomine procurationis duas marcas argenti.* Cisterciensibus non pepercit Otho iste, quibus quiritantibus vetuit Gregorius IX. ne a Cisterciensibus procurationes pecuniarias exigeret, sed cibarias tantum. Rem narrat Mathæus Paris. A. C. † 1241. *Ipsoque anno legatus, ut pecuniæ plus emungeret, apposuit & manum, ut a monachis Cisterciensis ordinis suæ avaritiæ satisfaceret, procurationes instanter exigendo. Sed ipsi viriliter contradicendo, curiam Romanam, privilegiis suis innitentes, ut contra hanc improbitatem impetrarent, adierunt, litteras eidem legato sub hac forma reportantes. Gregorius Episcopus &c. Legato Ottoni &c. Licet tibi, si bene meminimus, nuper direxerimus scripta nostra, ut liceat tibi de monasteriis Cisterciensis ordinis procurationes exigere moderatas, indulgentia concessa eidem ordini non obstante: quia tamen non est intentionis nostræ, nec credimus esse tuæ, ut contra ipsorum indulgentiam procurationes ab eis pecuniariæ exigantur: mandamus quatenus cibis regularibus contentus, absque esu carnium, cum ad eos accesseris, prout in prædicta indulgentia continetur, procurationes pecuniarias occasione litterarum hujusmodi non patiaris exigi ab eisdem.* Quid? Martinus aliquot post annis legatus pontificius in Anglia, aut verius exactor, non argentum modo, sed & palefridos, id est nobiliores equos, a prælatis extorsit, & morantes in præstatione suspendit; idem mihi testis Mathæus Paris. A. C. 1244. *Circa idem tempus misit domi-*

nus novus Papa. (Is fuit Innocentius IV.) *quemdam novum in Angliam pecuniæ extortorem, magistrum videlicet Martinum, authenticum papale deferentem, & habentem potestatem excommunicandi, suspendendi, & multipliciter voluntati suæ resistentes puniendi. Qua roboratus potestate suspendit prælatos Angliæ a collatione beneficiorum, donec voluntati papali satisfactum fuisset, reditus ad opus clericorum suorum, & consanguineorum postulanti. Indignum tamen judicabat aliquem reditum suscipere, nisi triginta marcas, aut supra valentem, ne quisquilias colligere tantus vir videretur. Cepit igitur dictus magister Martinus munera, præcipue palefridos concupiscibiles, imperiose exigere & extorquere a prælatis, maxime a religiosis, præcipiens per litteras districte illi abbati, vel illi priori, ut ei equos, quales decebat specialem domini Papæ clericum insidere, transmitterent. Contradicentes autem, & excusationes & causas negationis protendentes, etiam rationabiles, (utpote abbatem de Malmesburia, & priorem de Mertona, suspendendo usque ad plenam satisfactionem) graviter punivit*. Ante Willelmus Eliensis Episcopus, Angliæ cancellarius, & procurator regni, Richardo I. in expeditione transmarina agente, idemque apostolicæ sedis legatus, quam gravis fuerit ecclesiis Anglicanis vix dici potest: procedebat mille & amplius equorum stipatu, majoribus ab ecclesiis & monasteriis hospitium exigebat, a minoribus redemptionem hospitii pecuniariam; Gvillelmus Neubrigensis lib. 4. cap. 14. *Procedebat cum mille equis, & plerumque etiam numerosius. Legationis suæ nomine hospitia a cunctis per Angliam exegit monasteriis. Et a minoribus quidem, quæ pondus hospitii ferre non poterant, certa, id est octo vel quinque marcarum summa, redimi hospitia censuit: majoribus vero incumbebat velut locusta*. De quo & Matthæus Paris. A. C. 1191. Ideo Hugo Conventrensis Episcopus in epistola, quam scripsit de dejectione prædicti Willelmi, non insipide ludens in crucem, quam is legationis jure per Angliam præferebat, crucem illam signum redemptionis Anglicanæ vocitat, apud Rogerum Hovedenum, eodem anno: *Et Cantuariam properavit*, inquit, *ut ibi, sicut decebat, crucem acciperet peregrinationis, & deponeret crucem legationis, quam per annum & dimidium anni post mortem Papæ Clementis in præjudicium Romanæ ecclesiæ, & detrimentum Anglicanæ portaverat: omnes enim ecclesias Angliæ crux illa redemit, id est ad redemptionem coegit, nec fuit aliquis immunis, qui crucis illius stigmata non sentiret: & si forte alicujus Episcopi domum intravit, ab eo scire poteritis, quod centum, vel ducentarum marcarum pretio sua constiterit procuratio*. Quam graves de se excitarint querelas & legati sedis apostolicæ missi in Galliam ob rerum suarum potius, quam ecclesiarum curam, peridoneus testis est Ivo Carnotens. epist. 109. ad Paschalem II. *Cum enim*, inquit, *a latere vestro mittitis ad nos Cardinales vestros, tamquam filios uterinos, quia in transitu apud nos, sicut non possunt curanda curare, sed nec curanda prospicere: inde est quod multi præpositorum facta gladio linguæ ferire cupientes, dicunt sedem apostolicam non subditorum quærere sanitatem, sed suam, aut lateralium suorum quærere commoditatem*. His de caussis legatos sedis apostolicæ, tamquam flagellatores ecclesiarum, acerbiori stilo perstringit Joannes Saresberiensis, Policratic. lib. 5. cap. 16. *Sed nec legati sedis apostolicæ manus suas excutiunt ab omni munere, qui interdum in provinciis ita debacchantur, ac si ad ecclesiam flagellandam egressus sit Sathan a facie Domini, concutiunt angulos domus, ut prosternant filios, & filias ejus, qui languores, & dolores animarum curavit in cruce, commovent & conturbant terram, ut videantur habere quod sanari oporteat*. Non defuere tamen quam multi hoc sæculo qui pontificias legationes summa cum laude gesserunt, & puras omni labe manus e legationis suæ provinciis reportarunt. Laudatur Martinus presbyter Cardinalis, apostolicæ sedis legatus in Dacia, quod e legatione adeo egeus redierit, ut vix habuerit sumptum & equos unde domum rediret.

Lau-

Laudatur & Gaufridus Carnotensis Episcopus, & legatus sedis apostolicæ in Aquitania, quod legationis officium omnino suo sumptu exercuerit, & vel viliora munuscula rejecerit; oculatus auctor est Bernardus Claraevallensis, lib. 4. de considerat. ad Eugenium: *Dignum nunc ad medium venire factum dulcis memoriæ Martini nostri. Nosti hoc, sed an memineris ignoro. Is Cardinalis presbyter functus aliquando legatione in Dacia, tam pauper remeavit, ut pene expensis & equis deficientibus vix perveniret Florentiam*. Et mox: *Episcopum loquor Gaufridum Carnotensem, qui legationem in partibus Aquitaniæ propriis sumptibus strenue administravit, idque annos plures, rem loquor quam vidi ipse: eram cum eo in terra illa, cum a quodam presbytero præsentatus illi est piscis, quem vulgo vocant sturgionem, percunctatus legatus quanti venierit: non accipio, inquit, nisi receperis pretium, & resignavit solidos quinque invito & verecundo*. Et hæc de censibus spectantibus ad summum Pontificem, vel legatos apostolicæ sedis.



DISSERTATIONUM JURIS CANONICI, LIBER QUARTUS.

CAPUT I.

Episcopi a quo tempore crevere opibus. Entheca quid sit. Opum parandarum studium notatur in Episcopis. Episcopi paupertatis amantes. Episcopalis dignitas hodie paupertatem ferre non valet.



HACTENUS de censibus pontificiis egimus, nunc transeamus ad census episcopales. Sicuti enim episcopatus est apex & culmen dignitatum, & Episcopis incumbit cura totius sacræ plebis, nec non viduarum, orphanorum, & ceterorum egentium; reipublicæ valde interest, ut necessariæ opes eis suppetant, quibus dignitatem tueri, ne paupertate vilescat, hospitalitatem in clericos, & caritatem in egenos colere valeant. Pace semel parta ecclesiæ, ea brevi opibus abundavit, certatim confluentibus donis Principum & privatorum fidelium. Hujus rei præsens inter alia argumentum, quod in Ariminensi concilio, Aquitani, Galli, & Britanni, qui interfuere Episcopi, annonas & cellaria, id est metata, seu hospitia, quæ a Constantio Augusto offerebantur, respuerunt, & suo sumptu se suosque alere maluerunt, adeoque tribus e Britannia Episcopis, qui tenuiores erant, pecuniam obtulere. Severus 2. sacræ hist. *Ita missis per Illyricum, Italiam, Africam, Hispanias, Galliasque magistris officialibus, acciti aut coacti quadringenti & aliquanto amplius Occidentales Episcopi Ariminum convenere, quibus omnibus annonas & cellaria dare Imperator præceperat: sed id nostris, id est Aquitanis, Gallis, ac Britannis, indecens visum, repudiatis fiscalibus, propriis sumptibus vivere maluerunt: tres tantum ex Britannia inopia proprii, publico usi sunt, cum oblatam a ceteris collationem respuissent: sanctius putantes fiscum gravare, quam singulos.*

Jam

Jam a temporibus Augustini opibus affluebat Hipponensis ecclesia, unde ipse Augustinus Episcopus factus, etsi propriis bonis distractis, & pretio in pauperes elargito, non tam se opes dimisisse, quam de paupertate ad divitias pervenisse videri scribit epist. 5. ad Albinam in append. *Ego quippe, secundum multorum sensum comparantium semetipsos sibimetipsis, non divitias dimisisse, sed ad divitias videor venisse: vix enim vigesima particula res mea paterna existimari potest, in comparatione prædiorum ecclesiæ, quæ nunc ut dominus existimor possidere*. Sed absit, ut Episcopi sacerdotium, sortem domini, apostolicum munus in quæstu ponant. Absit, ut de quærendis opibus soliciti sint, ac de alio, quam de animorum lucro cogitent. Noverint Episcopi se esse dispensatores rei ecclesiasticæ, non fœneratores, ne habeant enthecam Episcopi, id est pecuniam custodiæ causa, & gazæ vice sepositam; Augustinus sermon. de commun. vit. cleric. *Enthecam nobis habere non licet. Non enim Episcopi est servare aurum, & a se revocare mendicantis manum. Quotidie tam multi petunt, tam multi gemunt, tam multi inopes nos interpellant, ut plures tristes relinquamus, quia quod possimus dare omnibus non habemus. Non habeamus ergo enthecam, can. nolo*, 12. *qu.* 1. Alias entheca accipitur pro loco ipso ubi pecunia vel fruges, quæ de sumptu supersunt, subsidii causa deponuntur; Gelasius in epist. ad Justinum archidiaconum, & Faustinum defensorem: *Si quid forte sub annua remanebit expensa, electo idoneo ab utraque parte custode, tradatur enthecis, ut si major emerserit fabrica, sit subsidio, can.* † *vobis*, 12. *qu.* 2. Hinc Episcoporum studium & insaniam in colligendis opibus acriter reprehendit Nazianzen. orat. † 1. n.° 18. cum in eos invehitur, qui episcopatus captant quæstus causa: ὥσπερ ἐκ ἀρετῆς τύπον, ἀλλ' ἀφορμὴν βίου: *Non ut virtutis exemplum, sed occasionem parandæ substantiæ*. Quam justo calculo damnatus Paulus Samosatenus Episcopus, quod e paupere & mendico ad immensas opes provectus foret, ex quæstu episcopalis jurisdictionis, & muneribus quæ a litigantibus accipiebat, hoc addito elogio in epistola Episcoporum hac de re scripta ad Dionysium Episcopum Romanum, quæ extat apud Eusebium *lib.* 7. *cap.* † 30. quod his artibus divitias parasset quæstum ducens pietatem; πορισμὸν ἡγούμενος τὴν θεοσέβειαν. Nonne Georgius Alexandrinus Episcopus meritas avaritiæ & sordium pœnas luit, cum a plebe camelo tota urbe traductus, & fustibus necatus, qui vilissimis quibusque ex rebus lucrum captabat; ita ut nitrarias omnes officinas redimeret, una cum papyri, calamique paludibus, nec non & salinaria omnia stagna conduceret, & lecticariorum ad efferenda mortuorum cadavera certum numerum institutum haberet, & pro sepultura vectigal exigeret, dum per alios non liceret mortuos efferre, peregrinos maxime, ut narrat Epiphanius *hæresi* 76. Jam olim auro fulsit ecclesia, suos tamen paupertatis amantes habuit Episcopos. Illustris paupertatis alumnus Basilius Cæsariensis Archiepiscopus, cui virtutis infulæ fuere una penula, unum pallium, & stratus humi lectulus, obsonium panis & aqua; testem habemus Nazianzenum, *orat.* 20. in ejus funere habita. Non alium censum habuit Chrysanthus Novatianorum Episcopus Constantinopoli, vir bonus, nisi esset Novatianus, quam duos panes ex eulogiis, id est oblationibus quæ fiebant ecclesiæ desumptos, per singulos dies Dominicos; Socrates, lib. 7. cap. † 12. ἀπό τε τῶν ἐκκλησιῶν οὐδὲν ἐδέξατο, πλὴν κατὰ κυριακὴν δύο ἄρτους τῶν εὐλογιῶν ἐλάμβανεν: *ab ecclesiis nihil omnino accepit, præter duos panes benedictionis singulis dominicis diebus*. Quid? Hibernus quidam Episcopus non aliud stipendium habuit, quam lactis copiam e tribus vaccis, quas ei plebs ministrabat; chronicon Archiepiscoporum Bremensium: *In supradicto concilio Laterani erant a Papa consecrati Episcopi duo Anglici, & duo Scoti, unus solo equo venerat, alter pedes cum solo pedite; erat ibi etiam Hibernicus, qui Henrico scholastico Bremensi retulit, se non habere alios reditus, præter tres vaccas lactantes, quas in defectu lactis parochiani sui per alias innovabant*. Ego

inter hæc extrema medium tenere velim Episcopos, ut caveant divitiarum luxum, & paupertatis contemptum. Exactorem Episcopum non fero, sed justa censuum episcopalium obsequia lubens ei concedo, tamquam necessaria episcopalis dignitatis solatia, maxime inter iniqua tempora, quibus ecclesia sine abjectionis periculo paupertatem ferre non potest. Quam ob causam ne Tornacensis ecclesia a Noviomensi episcopatu abscinderetur, & proprium reciperet Episcopum, dissuadet Ivo Carnotensis, epist. 238. *Præterea, cum dignitas episcopalis paupertatem his diebus honeste ferre non valeat, providendum est, ne ista divisione uterque Episcopus fiat pauper*.

C A P. II.

Census episcopales, in his modus habendus. Episcopi non domini, sed præpositi. Jura canonica, panis canonicus. Jura episcopalia lege diœcesana debita. Lex diœcesana quid sit.

EPISCOPIS debentur certi census, ut se suosque alere, & hospitalitatem colere possint: sed in his justus modus tenendus, nec tributi vice, & tamquam jure dominii ὡς δεσποτικῶς, eos exigere licet, sed quasi subsidii vice: ne Episcopi turpis quæstus gratia ab clericis vel monachis aurum, vel argentum, vel ullam speciem exigant, sed comiter eos pascant, memores præcepti apostolici, non ut dominantes in clero, sed forma, id est exemplum, facti gregis, decernit synodus Nicæna II. can. 4. ὁρίζομεν μηδόλως αἰσχροκερδῶς ἐπινοεῖσθαι Ἐπίσκοπον, προφασιζόμενον προφάσεις ἐν ἁμαρτίαις ἀπαιτεῖν, χρυσίον, ἢ ἀργύριον, ἢ ἕτερον εἶδος, τοὺς ὑπὸ αὐτὸν τελοῦντας Ἐπισκόπους, ἢ κληρικούς, ἢ μοναχούς: *Statuimus ne turpis lucri gratia Episcopus excogitet, & quærat excusationes in peccatis, ut aurum, vel argentum, vel ullam aliam speciem ab iis, qui sibi subsunt Episcopis, vel clericis, vel monachis exigat, can. prædicator*, 16. *qu.* 1. ut Episcopi magis quasi oblata accipiant, quam ut vectigal more fisci exigant, jubet concil. Cabillonens. II. can. 14. *Cavendum est, ne cum Episcopi parochias suas peragrant, quandam damnosam erga subditos, seu erga socios tyrannidem exerceant, nec, quod absit, cum caritate, sed cum quadam judiciaria invectione stipendia ab eis exigant, can. cavendum*, 10. *qu.* 3. eadem lex dicitur archidiaconis, ne super presbyteros sui tractus dominatum exerceant, & ab eis censum exigant, quasi jure dominii; can. 15. ejusd. conc. *Dictum est, quod in plerisque locis archidiaconi super presbyteros parochianos quandam exercent dominationem, & ab eis censum exigunt: quod magis ad tyrannidem, quam ad rectitudinis pertinet ordinem* &c. *can. dictum est*, 94. *dist.* Denique Episcopi presbyteros talliis & exactionibus gravare prohibentur, sed potius ut eos paterna caritate foveant, admonentur; Alexander III. in cap. 1. de exceff. prælat. *Cum autem presbyteros, quasi filios, & fratres benigne, ac fraterna debetis caritate fovere: mandamus quatenus in eos tallias & exactiones indebitas exercere nullatenus præsumatis*. Eodem jure ne Episcopi servile obsequium a clericis exigant vetatur; Ambros. 2. officior. cap. 27. *Episcopus ut membris suis utatur clericis, & maxime ministris, qui sunt vere filii: quem cuique viderit aptum muneri, ei deputet*. Et Hieronym. ad Nepotianum: *Sta subjectus Pontifici tuo, & quasi animæ parentem suscipe, sed Episcopi sacerdotes se esse noverint, non dominos; honorent clericos quasi clericos, ut ipsis a clericis quasi Episcopis honor deferatur, can.* † *esto subjectus*, 95. *dist.* Serviles operas, ne clericis imponant Episcopi, vetat concil. Bracar. II. can. 2. *Similiter & parochiales clerici servili more in aliquibus operibus Episcopo servire non cogantur, quia* *servi-*

scriptum est, neque ut dominantes in clero. Et Gregor. VII. lib. 6. epist. 5. *Nullus Episcopus gravamen, seu servile servitium ex usu contra ecclesiasticam normam abbatibus, seu clericis suis imponat, can. nullus Episcopus*, 1. *qu.* 1. In primis ne monachis ut veredariis, id est cursoribus, utatur Episcopus, ad mandata huc atque illuc perferenda, prohibet concil. Meldens. can. 57. *Monachos etiam nec Episcopus, nec abbas, vel quilibet alius, veredariorum more in missaticis instanter transmittat*. Hinc jura episcopalia non proprie veniunt census nomine, quæ vox pertinet ad indictiones fisci, sed magis dici amant jura canonica; *can. quam sit necessarium*; 18. *qu.* 2. ut alio loco panis, qui præbendæ vice distribuitur canonicis matricis ecclesiæ, dicitur panis canonicus, in vita S. Rigoberti Remensis Episcopi apud Surium, 4. januar. *Ante enim illius pontificatum non dabatur eis panis, ut vocant canonicus, nec erant ut sunt hodie canonici*. Quæ vero Episcopis præstantur stipendia, eis debentur lege diœcesana; qualia sunt quarta decimarum & mortuariorum, synodaticum & cathedraticum, procuratio, seu jus visitationis, & caritativum subsidium, & alia, de quibus in *cap. conquerente, de offic. ordinar. & aliis locis*. Lex diœcesana autem est pars episcopalis jurisdictionis, quatenus separatur a lege jurisdictionis; *cap. dilectus, eod. tit.* alias lex diœcesana latius sumpta complectitur universam jurisdictionem episcopalem; *ut in cap. auditis, de præscript. cap. quod super his, de majorit. & obedient. cap. ex parte, de regularib. cap. ad abolendam, in fin. de hæretic. cap. veniens, de verb. signif. in* 6. & apud Matthæum Paris. sub an. 1109. *Episcopo Lincolniensi subtracto, huic novo Pontifici lege diœcesana subjicitur comitatus*.

C A P. III.

Lege diœcesana Episcopo debetur portio canonica oblationum & decimarum, & mortuariorum: ea est tertia, vel quarta pro consuetudine regionum. Monasteria soluta a lege diœcesana quoad oblationes.

LEGE diœcesana Episcopo debetur portio oblationum, decimarum, & mortuariorum; *d. cap. conquerente, de offic. ordinar.* Olim scilicet oblationes, & decimæ deponebantur apud Episcopum, tamquam rei ecclesiasticæ dispensatorem, & certæ ex his partes fiebant, quarum unam sibi retinebat Episcopus, ea fuit tertia, vel quarta pro consuetudine regionum: & in Hispania ex consuetudine antiqua, oblationum & decimarum tres fiebant partes, quarum una cedebat Episcopo, altera clero, tertia fabricæ; concil. Tarraconens. can. 8. *can.* † *decrevimus*, 10. *qu.* 1. concil. Bracar. I. *can.* 25. Sane ubi ecclesiæ tenuiores erant, tertia illa oblationum conferebatur Episcopo, & convertebatur in refectionem ecclesiæ, & usum luminarium; concil. Bracar. II. can. 2. *can. placuit*, 10. *qu.* 3. Postea tertia oblationum & decimarum abscisse restituta Episcopo; concil. Tolet. IV. can. 32. *can. constitutum*, 16. *qu.* 1. Nec non licuit Episcopo eandem tertiam relinquere sacræ ædi unde desumebatur, vel in alterius usum transferre; concil. Tolet. IX. can. 6. *can. Episcopus*, 12. *qu.* 3. Concil. Emeritensis, *can.* 14. tertia oblationum æque mansit penes Episcopum, altera penes presbyteros & diaconos, & tertia, quæ olim destinata erat fabricæ, relicta est subdiaconis & minoribus clericis, ejusque dispensatio mandata primiclero, qui erat rector subdiaconorum & juniorum clericorum. Tandem vero, ut tutelæ sacrarum ædium consuleretur, Episcopo permissum tertiam tollere, ea lege, ut sarta tecta haberet; concil. Emeritens. can. 16. *can. priscis*, 10. *qu.* 3. Tolet. XVI. can. 4. *can. unio, ead. caus. & qu.* In

aliis partibus usus obtinuit, ut decimarum quatuor partes fierent, quarum una cederet Episcopo, secunda clero, tertia fabricæ, quarta pauperibus *; can. vobis, can. Vulterana, can. concesso, can. quatuor, can. de reditibus, can. cognovimus, can. mos est*, 12. *qu*. 2. *can. ad hoc*, 16. *qu*. † 1. & hæc decimarum partitio manavit ex instituto ecclesiæ Romanæ, ut indicat Gregorius. I. in *d. can. mos est: mos est*, inquit, *apostolicæ sedis, ordinatis Episcopis præceptum tradere, ut de omni stipendio, quod accedit, quatuor fieri debeant portiones: una videlicet Episcopo & familiæ ejus, propter hospitalitatem & susceptionem: alia clero: tertia vero pauperibus: quarta ecclesiis reparandis*. Et eodem de fonte, ut quarta decimarum singulis annis pertineret ad Episcopum, vel solidum quarto quoque anno, hausit concil. Aurelianense I. can. 17. *Decimæ autem, secundum quosdam, singulis annis tertia pars, aut in tertio tota: sed tamen nos sequentes Romanos, singulis annis quartam partem, aut in quarto anno totam Episcopi recipiant*. Inde secutus can. 31. concil. Paris. sub Ludovic. & Lothar. lib. 1. *Statuimus etiam, ut tempore congruo unusquisque parochiam suam circumeat, & quamquam auctoritas canonica doceat, ut quarta pars decimarum & redituum ex oblationibus fidelium in usus Episcoporum cedat, ubicumque tamen Episcopus sua habet, suis contentus sit*. Oblationum alia fuit ratio: earum enim semissem, vel tertiam tulit Episcopus, nempe semissem oblationum quæ fierent matrici seu cathedrali ecclesiæ, & tertiam oblationum quæ fierent parochiis; ex ejusdem conc. (Aurelian. sc.) *can*. 16. & 17. quos Gratianus intexuit in *can. de his, & can. antiquos*, 10. *qu*. 1. Sane de oblationibus, quæ fiunt monasterio, nulla portio debetur Episcopo, quia monasteria in ea parte sunt soluta a lege diœcesana; conc. Ilerdense, can. 3. *Ea vero, quæ in jure monasterii de facultatibus offeruntur, in nullo diœcesana lege ab Episcopis contingantur, can. cum pro utilitate*, 16. *qu*. 1. sed in oblationibus vel decimis, quæ perciperentur ab ecclesiis, vel capellis monasteriis subjectis, canonicam deberi Episcopo, constat ex *d. cap. conquerente*. Ut vero decimarum, & oblationum, ita & mortuariorum, id est legatorum piorum, quarta debetur Episcopo *; d. cap. conquerente, & cap. requisisti, de testament*. quæ dicitur quarta testamentorum; Innocent. III. *lib*. 2. *regestr. epist*. 429. ita & canonica funerum, quæ debetur ecclesiæ parochiali, est dimidia, tertia, vel quarta, pro more regionum *; cap. † certificari, de sepultur. clem. dudum, eod*. Nec omittendum, quartam episcopalem decimarum præscriptione tolli posse *; cap. de quarta, de præscript*.

C A P. IV.

Lege diœcesana Episcopo debetur procuratio visitationis nomine. Procuratio est annona, seu curatio corporis, alias piaculare sacrificium. Dispensa, Arcada, procurationum & evectionum modus. Jus procurationis quando receptum.

LEGE diœcesana, Episcopo lustranti seu visitanti diœcesim, debetur procuratio visitationis nomine. Procurationis voce usi sunt Pontifices, pro annona, seu ciborum copia, quæ ministratur Episcopo, quod sit curatio corporis: unde procurandi verbum Latinis melioris ævi usu notum, pro eo quod est epulis excipere; L. Accius, apud Macrob. 1. Saturnal. cap. 7.

Exercent epulis læti, famulosque procurant
Quisque suos.

Et inde Virgilius 9. Æneid. (157. & seq.)

Quod superest, læti bene gestis corpora rebus
Procurate, viri.

Et

Et eodem sensu, ne clerici commatres procurent, dixit Augustin. vel alius quisquis est ad fratres in eremo sermon. 36. *Non enim debet qui animarum curam gerit transire de domo in domum, non frequentare forum cum rusticis, non mercantias adquirere, non commatres procurare*. Et legatos procurare; Ekkeardus Junior de casib. monast. S. Galli cap. 10. apud Goldastum: *Inito tandem consilio injungitur Ruodmanno legatos regios in locis nominatis euntes procurare & redeuntes*. Ita & procurator sumitur pro eo qui ministrat sumptum & annonam; Robertus Montensis in chronic. ad ann. 1180. *Huic solemnitati interfuit junior Rex Anglorum, cum magno comitatu equitum, qui tanta secum ex jussu patris sui tulit, ut nullius nec in ipsa festivitate, nec in ipso itinere susciperet procuratorem*. Alias & procurationem sumptam scio pro lustrali, seu piaculari sacrificio; M. Tullius, 1. de divinat. (45.) *Scriptum a multis est, cum terræ motus factus esset, ut sue plena procuratio fieret, vocem ab æde Junonis ex arce extitisse*. Et Aulus Gellius 4. noct. Atticar. 6. *Ut terram movisse nuntiari solet, eaque res procuratur*. Et mox: *Ejus rei causa senatusconsultum factum est, ut M. Antonius consul hostiis majoribus Jovi & Marti procuraret*. Et latius procurationis nomen pertinet ad sacrificia, ludos, ceterosque deorum cultus, quasi his dii curentur; Arnobius 7. adversf. gentes: *Quod utique non fieret, si sacrificia, si ludos, ceterosque aspernarentur dii cultus, neque se honorari eorum procurationibus ducerent*. Igitur, ut ad institutum redeam, procuratio est id modicum, quod debetur Episcopo propter visitationis officium. Dispensam vocat capitulare Caroli Calvi, *tit.* 11. *cap.* 3. conc. Ticinense habitum anno 855. Alii circadam a circando; Fulbert. epist. 110. *Jubes, inclyte præsul, nos dare tibi circadas de ecclesiis nostris, quæ sunt in episcopio tuo*. Et Ivo Carnotens. epistol. 286. *Nec non & ecclesiam de Mundonis villa liberam a synodo & circada*. Et ante Hincmarus Remensis, epistol. ad Ludovicum Balbum, cap. 8. *Ut ecclesiæ in isto regno per occasionabiles circadas, & per indebitas consuetudinarias exactiones ante annos viginti impositas non affligantur*. Et quidem melioribus ecclesiæ temporibus vix Episcopi diœcesim obeuntes quicquam exegere ab ecclesiis diœcesanis ex causa visitationis, tum memores exempli Pauli Apostoli, qui proprio labore suis necessariis consulebat, ne ecclesiis gravis esset, cum præcepti Dei, a quo missus ad Samaritanos Propheta vetitus ne quicquam ab his attingeret. Hoc apertius insinuat Augustinus lib. contra Donatistas post collationem, cap. 20. *Quod ergo jussus est quidam Propheta, nec panem manducare, nec aquam bibere in Samaria quo missus fuerat, ut corriperet eos qui vaccas constituerunt adorandas more idolorum Ægyptiorum: hoc omnino facere debuit quod præceperat Dominus, cui tunc eo modo illos corripere placuit, ut nihil ibi alimentorum tangeret Propheta quem miserat: numquid enim in ecclesia non fit quotidie, quando eos quos acrius corripimus, etiamsi in eorum possessione sumus, nihil ibi apud eos contingimus, ut sentiant quantum eorum peccata dolemus*. Sed labente zelo veterum patrum ecclesiæ, Episcopis diœcesim lustrantibus clerici & abbates jussi sunt sumptum & annonam suppeditare; conc. Emeritens. can. 11. *Placuit huic sancto concilio, ut tam a presbyteris, quam ab abbatibus, sive etiam a diaconibus, Episcopo honor debitus impendatur, ut a nullo contumeliam pati videatur: & quandocumque contigerit eum juxta canonicam sententiam visitare suam parochiam, & digne eum suscipiant, & prout habuerint, aut ratio permiserit, illi præparent quæ fuerint necessaria*. Et concil. Suessionense habitum sub Pipino anno Christi 744. *Et quando jure canonico Episcopus circumit parochiam ad confirmandum populum, abbates, vel presbyteri parati sint ad suscipiendum Episcopum in adjutorium necessitatis*. Episcopis vero nimium ecclesias visitationis sumptu onerantibus, modus impositus, & ne judiciaria cum invectione, id est conventione per executorem, sed cum caritate justa stipendia exigant, cavit concill. Ca-

billonense II. can. 14. *Cavendum sane est, ne cum Episcopi parochias suas peragrant, quandam damnosam erga subditos, seu erga socios tyrannidem exerceant: nec, quod absit, cum caritate, sed quadam judiciaria invectione stipendia ab eis exigant*, *can. cavendum*, 10. *qu.* 3. Ne Episcopi per parochias hostilem in modum desæviant, neve clericos angariis, & indictionibus exhauriant, ne potius exactores quam Pontifices esse videantur, vetuit conc. Tolet. III. *can.* 20. *can. quia*, *ead. causa*, & *quæst.* nec non expostulantibus Galliæ Narbonensis presbyteris, quod procedentibus Episcopis ingenti eorum stipatu & satellitio prægravarentur, synodus Toletana VII. *can.* 4. (id enim temporis, imæ Galliæ Narbonensis Episcopi Toletanum Episcopum quasi Primatem agnoscebant, & ad Toletana coibant concilia, nondum extincto in his partibus Imperio Gothico) statuit, ne Episcopus diœcesim lustrans quinquaginta evectionum modum excedat, neve præter diem singulis locis immoretur; *can. inter cetera*, 10. *qu.* 3. unde concil. Lateranense habitum sub Alexandro III. Archiepiscopis, Episcopis, & aliis minoribus antistitibus parochias visitantibus, certum evectionum numerum tribuit, nempe quadraginta vel quinquaginta Archiepiscopis, viginti vel triginta Episcopis, Cardinalibus viginti quinque, archidiaconis quinque vel septem, decanis subjectis Episcopis duarum; *cap. cum apostolus*, *cap. procurationes*, *de censib.* ut in causis regularium concil. generale Lateranense, habitum sub Innocent. III. edixit, ne abbates vel priores plurium quam sex cum evectionum numero proficiscantur ad capitulum; *cap. pen. de stat. monachor.* adeoque modum evectionum Lateranensi concilio constitutum observari placuit, ut Episcopis si eum modum excesserint impune resisti possit; *cap. cum ad quorumdam*, *de excess. prælat.* Evectiones proprie fuerunt litteræ, seu codicilli, sine quibus non licebat cursu publico uti; *l.* † 3. *C. de curs. public.* Hieronymus in Hilarione: *Secreto ab Imperatore evectionem petiit.* Augustin. lib. 5. confess. cap. 13. *Itaque posteaquam missum est a Mediolano Romam ad præfectum urbis, ut illi civitati rhetoricæ magister provideretur, impertita etiam evectione publica.* Idemque epist. 55. (al. 117.) *Frater Zenobius magister memoriæ factus est, & misit nobis evectionem cum annonis.* Symmach. lib. 1. epist. 15. *Accepi evectiones quatuor, immane quantum commodas in excursus & recursus meorum.* Et idem lib. 4. epist. 6. *Evectiones impetrasse me gaudeo.* Nec non Gregorius Turonens. lib. 9 cap. 9. *Datis litteris, & pueris destinatis cum evectione publica.* Posterior vero ætas evectionum verbum accepit pro equis ipsis & jumentis, quorum usus erat vecturæ causa, *ut locis modo laudatis*: unde equitaturas vocat *clementina*, *ad nostram*, *de censib.* quod Toletanum, & Lateranense concil. ante evectiones dixere. Ne lautiores & sumptuosiores epulæ Episcopis diœcesim visitantibus parentur, sed pro mediocritate cujusque loci, constitutum decreto Pelagii, quod pertinet ad Episcopos Siciliæ; *can. ult.* 10. *qu.* 3. Multo diligentius dein cautum, quis modus panis, vini, & ceterorum Episcopis ministrari deberet visitationis nomine; capitulare Caroli Calvi conditum apud Tolosam cap. 2. *ut unum modium frumenti, & unum modium hordei, atque unum modium vini, cum mensura, quæ publica & probata, ac generalis, seu legitima per civitatem & pagum, atque vicinitatem habetur, Episcopi a presbyteris accipiant, & frischingam sex valentem denarios, aut sex pro ea denarios, & non amplius exigant.* Et concil. Ticinense modo laudatum, can. 15. *Statuimus etiam, ne Episcopi quando pro confirmando populum parochias circumeunt, archipresbyteros suos gravent, ut hujusmodi dispensa contenti sint, panes centum, friscingas quatuor, vini sextaria quinquaginta, pullos septem, ova quinquaginta, agnum unum, porcellum unum, annonam ad caballos modios sex, mel, oleum, cera quod sufficit.* Verum ævi corruptela inolevit usus, ut Episcopi, etiam cessantes a visitationis officio, presbyteros compellerent ad pretio redimendum mansionum onus: unde duplex labes

bes erupit, negligentiæ & avaritiæ, quam deteſtatur conc. Tolet. IV. *can.* 15. ſeu Triburienſe, *can. relata*, 10. *qu.* 1. & ne Epiſcopi quicquam viſitationis nomine exigerent, niſi viſitationis officio actu defungerentur, vetuit concil. Valentin. III. can. 22. *Ut de ſervitio presbyterorum erga Epiſcopos ſuos conſuetudo valde reprehenſibilis amputetur, ut ſcilicet quoties Epiſcopus ſtatuto tempore viſitationem & prædicationem per eosdem ſacerdotes & populos non exercet, nequaquam ab eis pro ſolito ſervitio pecunias exigat*, quod repetita lege ſancitum concilio Lateranenſi *; cap. procurationes, de cenſib. cap. Romana*, §. *procurationes, eod. tit. in 6.*

C A P. V.

Epiſcopis procurationem debent etiam monaſteria, & civitatenſes eccleſiæ: oratoria non item. Procurationes debentur non modo Epiſcopis, ſed & Archiepiſcopis, & legatis apoſtolicæ ſedis. An ſummo Pontifici procurationes quoque debentur. Archidiaconis & decanis procurationes item debentur ex lege fundationis, vel conſuetudine.

Episcopus non modo parœciales eccleſias, ſed etiam monaſteria ipſa poteſt viſitare, & ab iisdem procurationem exigere *; cap. ſopitæ, de cenſib. cap. Romana*, §. *deinde liceat, eod. tit. in 6. cap. cum ex officii, de praeſcript.* quod illuſtratur ſupra laudatis concilii Emeritenſis & Sueſſionenſis canonibus. Unde crebræ inter Epiſcopos & monachos quæſtiones varia per tempora emerſerunt: ut ea quæ fuit inter Archiepiſcopum Ravennatem, & monaſteria Bononienſia, re diſceptata apud Lucium III. Ro. Pontificem. Archiepiſcopus Ravennas affirmabat, in aliis provinciæ ſuæ monaſteriis procurationem ſine controverſia ſibi præſtari, & eandem deceſſoribus ſuis a Bononienſibus monaſteriis exhiberi ſolitam per teſtes probabat: cauſa cognita Pontifex, quod conſtaret Archiepiſcopum jure communi & conſuetudine niti, ſententiam dixit, ut Bononienſia monaſteria procurationem Archiepiſcopo Ravennati pro facultatibus cujusque perſolverent: quæ eſt ſumma *d. cap. ſopitæ*. Rem geſtam in ſynodo Veronenſi anno 1184. Gerardo Ravennate Antiſtite, narrat Hieronym. Rubeus, *lib. 6. hiſt. Ravennat.* idemque ſubnectit, confirmationis hujusce penſitationis tabulas per Albertum Ravennatem Archiepiſcopum ab Innocentio III. impetratas. Monaſteria, inquam, tenentur procurare Epiſcopum, niſi ſpeciali privilegio ſedis apoſtolicæ fuerint exempta *; cap. 1. & ult. de cenſib. in 6.* Hoc jure cum Euſtachius Londinenſis Epiſcopus procurationem viſitationis nomine depoſceret ab abbate & cœnobio Weſtmonaſterienſi, illico obſequii ſubterfugiendi cauſa provocatum ad Romanum Pontificem; Matthæus Pariſ. anno 1221. *Euſtachius Londinenſis Epiſcopus petiit ab abbate Willelmo & conventu Weſtmonaſterienſi proceſſionem, procurationem, viſitationem, & omnimodam juriſdictionem: propter quæ ad Papam fuit appellatum*. Denique omnes eccleſiæ ex cauſa viſitationis debent procurationem, niſi privilegio ſedis apoſtolicæ vel epiſcopalis ſint exemptæ *; d. cap. ſopitæ in 2. collectione, cap. cum inſtantia, eod. tit. de cenſib. cap. accedentes, de præſcript. cap. conſtitutus, de religioſ. domib.* Etiam civitatenſis eccleſia viſitanti Epiſcopo procurationem præſtare debet, etſi ſine ſumptu viſitationis munus expediatur *; cap. venerabili, de cenſib.* quia procuratio exſolvitur, non ſolum ob viſitationis operam, ſed etiam in ſignum & profeſſionem ſubjectionis. Procurationis onere vacant oratoria, quæ habentur in grangiis, ſeu prædiis monachorum: ratio eſt quia non viſitantur *; cap.*

ult. eod. tit. Et procuratio est onus visitationi annexum. Olim procurationes poterant recipi in pecunia numerata; *d. can. relata*, 10. *qu.* † 1. medio jure procurationes in eduliis, seu victualibus præstandæ fuerunt, non in pecunia numerata; *cap. Romana*, §. *procurationes*, *cap. felicis* † 3. *de censib. in 6.* nisi a volentibus; *d. cap. felicis*. Hodie Tridentinum concilium *sess. 24. de reform. cap. 3.* rem reliquit optioni eorum, qui visitantur, pecuniam solvere visitationis nomine, vel annonam, seu victualia. Procurationes autem ratione visitationis debentur non modo Episcopo, sed etiam Archiepiscopo provinciam perlustranti; *cap. cum Apostolus*, *cap. sopitæ*, *cap. cum nuper*, *de censib. cap. cum ex officii*, *de præscript. cap. cum a nobis*, *de arbitr.* Pocurationes etiam debentur legatis, & nuntiis apostolicæ sedis pro visitatione; *cap. cum instantia*, *cap. procurationes*, *de censib. cap. accedentes*, *de præscript.* Unde Joanne presbytero Cardinali legato in Syriam misso ab Alexandro III. nondum sopito schismate inter eum, & Victorem pontificatus æmulum, divisis Episcoporum votis an susciperetur, nec ne, Balduinus Rex Hierosolymitanus non admittendum suadebat, ea maxime ratione, ut ecclesiarum & monasteriorum sumptibus & expensis consuleretur; Gvillelm. Tyrius lib. 18. de bello sacr. cap. 29. *Præterea nec legato opus esse in regno, qui ecclesias, & monasteria gravet impensis, extorsionibus attenuet.* An procurationes ipsi Romano Pontifici visitationis nomine debeantur per provincias orbis Christiani, si quæras; certe ipsum ecclesiæ Principem iniquioris conditionis quam ceteros antistites esse nequaquam par est: nihil tamen hac de re expressum in concilio Lateranensi, vel aliis locis: haud dubie consulto, ut apud omnes constaret, Romanos Pontifices non laborare de suis commodis, nec sibi, sed ecclesiæ leges dicere. Unus, quod sciam, Joannes VIII. cum in Galliam venisset, ab Episcopis regni procurationes & stipendia exegit; Aimoini Continuator lib. 5. cap. 37. *Ludovicus autem mittens ei quosdam Episcopos petiit, ut usque Trecas veniret, ibique ab Episcopis istius regni stipendia sibi dari fecit.* Hic Pontifex Trecis synodum habuit, ad quam inter alios Isaacium Lingonensem Episcopum vocavit, & ab eodem petiit, ut congrua sibi per diœcesim hospitia pararet; auctor ipse Pontifex epist. 96. *Quapropter Domino auxiliante apud Trecas synodum sumus celebraturi, ad quam sanctitatem tuam volumus omnino adesse: prius tamen venerabilitas tua nobis missos Cavilonam dirigere studeat, qui iter nostrum recto tramite ad prædictum dirigant locum, & per parochiam vestram nobis congruas mansionaticas præparate.* Sed quibus in angustiis positus esset iste Pontifex satis notum est. Præter hos, procurationes ex causa visitationis debentur & archidiaconis & decanis jus visitationis habentibus; *cap. procurationes*, *de censib. cap. mandamus*, *de offic. archidiaconi*. Hincmarus in capitulis, quæ dedit archidiaconis, cap. 1. *Et vos quando rusticanas parochias vobis commissas, vel mecum, vel per vos circuitis, sicut & ego, non graves sitis presbyteris in paratis quærendis, neque ducatis superflue vobiscum homines vel vestros proprios, vel propinquos vestros, per quos illos gravetis in cibo & potu, & fodro ad caballos.* Non omittendum hoc loco, alias esse procurationes quæ debentur lege fundationis, vel ex consuetudine; *can. Eleutherius*, *can. servitium*, 18. *qu.* 2. *cap. quanto*, *de censib.* quod integrum extat apud Innocent. III. *lib.* 1. *epist.* 135. Hujusmodi procurationes ex consuetudine præstat ecclesia etiam laicis fidelibus, quod comprobari potest ex *can. possessionis*, 16. *qu.* 1. Solemnes procurationes municipibus suis ex consuetudine pendebat abbas Cluniacensis, donec eas sustulit Walterius abbas; Robertus Montensis, in chronic. *Walterius Cluniacensis abbas fecit & aliud mirabile, quia septies viginti procurationes, quas Burgenses ex consuetudine habere solebant ex donis abbatum, penitus delevit.*

CAP.

C A P. VI.

Synodus diœcesana, synodaticum. Ejusdem tertia tribuitur archidiacono. Cathedraticum. Monasteria exempta onere cathedratici. Synodaticum, & cathedraticum promiscue accepta.

Moris perantiqui est, Episcopum quotannis diœcesanam synodum cogere, ecclesiasticæ disciplinæ fovendæ gratia, & presbyteros officii rationem reddituros ad eam convocare; *can. Episcopus, can. annis singulis*, 18. *dist. can. quando*, 38. *dist. can. Episcopus*, 35. *qu.* 6. *cap. sicut olim, de accusat.* Ad id synodi convenere non modo plebani, sed etiam abbates diœcesani; *d. can. Episcopus, d. can. annis singulis, cap. quod super his, de major. & obedient.* Unde abbatem vel archipresbyterum deponi, vel in locum ejus alium ordinari ab Episcopo, nisi facto concilio tam abbatum, quam presbyterorum, vetat concil. Turonens. II. can. 7. *Ut Episcopus nec abbatem, nec archipresbyterum sine omnium suorum compresbyterorum & abbatum consilio de loco præsumat ejicere, neque per præmia alium ordinare, nisi facto concilio, tam abbatum, quam presbyterorum suorum.* Interdum tamen synodum abbatum aliam fuisse a synodo presbyterorum constat; conc. Aurelian. I. can. 19. *abbates... semel in anno, in loco ubi Episcopus elegerit, accepta vocatione conveniant, can. abbates*, 18. *qu.* 2. Et Antissiodorense, can. 7. *Ut medio majo omnes presbyteri, ad synodum in civitatem veniant, & kalendis novembris omnes abbates ad concilium conveniant.* Eo nomine presbyteris coeuntibus ad synodum annua pensio indicta ab Episcopo, quam synodum vel synodaticum appellarunt, quod synodi causa, & in synodo solveretur; Fulbert. epist. 57. ad Lexoviensem Episcopum: *Presbyteri canonicorum nostrorum ex ecclesiis quas habent in episcopatu vestro venerunt ad nos, dicentes, quod vos interdixistis eis ministerium suum, ideo quod de ipsis ecclesiis non ferunt vobis synodum.* Et Ivo Carnotens. epist. 286. *Dedimus & ecclesiam beati Stephani, & omnia ad eam pertinentia, altare scilicet de Morentiaco, cum parte synodi ad altare pertinentis; nec non & ecclesiam de Mundonis villa liberam a synodo & circada.* Et synodus Caletensis habita anno 1080. apud Ordericum Vitalem, lib. 5. *Presbyteri, qui ad synodum venire neglexerint similiter, & qui synodum & circadam statutis terminis non reddiderint similiter.* Et Innocent. III. lib. 2. epist. 182. *Ecclesiam sancti Petri de Calvo monte, cum tribus capellis sibi adjacentibus, ecclesiam de Sergiaco, quæ nec synodum, nec circatam persolvunt.* Et ut archidiaconus in partem munii episcopalis vocatus est, nonnullis in locis archidiaconus fert tertiam, vel aliam partem synodi & circadæ, ex privilegio, vel consuetudine: ut in ecclesia Sagiensi; idem Innocent. III. epist. 72. ejusd. lib. *Archidiaconibus tertiam partem de circatis & synodis.* Et Jo. Saresber. epist. 4. *Præterea dicebat, se litem injicere super alia ecclesia ab eodem Richardo, qui tam Episcopo, quam archidiacono synodalia & quosdam redditus episcopales moliebatur auferre.* Præter synodaticum, excogitatum est aliud pensionis genus, nomine cathedraticum, quod annuatim Episcopo persolvitur pro honore cathedræ, & cujus modus fuit duorum solidorum, ex constitutione Pelagii, & concil. Bracar. II. *can.* 2. *can. placuit*, † *can. ult.* 10. *qu.* 3. *cap. ecclesiis, de censib.* Hartuicum Archiepiscopum Bremensem, exhaustis reditibus episcopalibus in stipendia militum, de cathedratici, & ecclesiarum consecrationis quæstu vitæ subsidium quæsiisse, scribit Arnoldus abbas Lubecens. lib. 3. histor. Slavor. cap. 21. *Episcopus vero ex his quæ de cathedratico, vel ecclesiarum consecrationibus consequi poterat*

sustentabatur. Jure communi omnes ecclesiæ, quæ sunt positæ in diœcesi, debent cathedraticum Episcopo: & concessione ecclesiæ remissum non censetur jus cathedratici; *cap. pastoralis, de donat.* ab ejus onere eximuntur monasteria; concil. Tolet. VII. *can.* 4. *can. inter cetera*, 10. *qu.* 3. quia monasteria exempta sunt a lege diœcesana, ad quam pertinet cathedraticum. Unde non licet Episcopo cathedram collocare in monasteriis; *can. Luminoso*, 18. *qu.* 2. Interdum cathedraticum, & synodaticum promiscue accipiuntur, & utrumque simul duobus solidis æstimatur, ut in *cap. conquerente, de offic. ordinar. Synodum, & synodatici, seu cathedratici nomine duos solidos*. Tamen alias cathedraticum & synodaticum sunt jura diversa, & hoc commune tantum habent, quod utrumque solvatur in synodo, sed vario nomine. Hodie vero Episcopi in Gallia non habent jus exigendi cathedratici, nisi nitantur titulo vel consuetudine præscripta.

C A P. VII.

Eulogiæ Episcopis, & archidiaconis offerri consuetæ. Moderatum auxilium, quod caritativum subsidium vocant. Aurum oblativum. Ex quibus causis caritativum subsidium peti possit. Id subsidii non amplius quam semel peti potest. Consuetudo de secundis auxiliis sublata.

PRÆTER solemnia jura, puta procurationem, synodaticum, & cathedraticum, quæ proprie dicebantur episcopalia, moris erat, ut parochi venientante in synodum Episcopo offerrent eulogias, seu benedictiones, quas ultro offerri suadet concil. Meldense, can. 45. *Decet presbyteros cum voluntariis eulogiis tempore congruo visitare & venerari suos Episcopos*. Eæ erant parva xenia, & munuscula, quæ honoris & cultus gratia offerebantur Episcopo, vel aliis viris dignioribus; Paulin. epist. 1. (al 5.) ad Severum: *Panem Campanum de cellula nostra tibi pro eulogia misimus*. Et idem epist. 45. (al 3.) ad Alypium: *Panem unum sanctitati tuæ unitatis gratia misimus, in quo etiam Trinitatis soliditas continetur. Hunc panem eulogiam esse tu facies dignatione sumendi*. Eulogiæ dicebantur & epulæ, quæ ab Episcopo vel aliis ecclesiæ præpositis diebus solemnibus offerebantur fidelibus; Gregor. Tur. lib. 8. hist. cap. 2. *Surrexi gavisus, fateor, ad occursum ejus, & data oratione deprecor, ut in mansione mea eulogias beati Martini dignaretur accipere*. Et idem lib. 10. cap. 15. *De conviviis ait*, loquitur de abbatissa monasterii virginum S. Crucis Pictaviensis, *se nullam novam fecisse consuetudinem, nisi sicut actum est sub domna Radegunde, se Christianis fidelibus eulogias obtulisse*. Ne eulogiæ ab invitis exigerentur, ne a frequentatione synodi avocarentur, vetuit Leo IV. epist. ad Episcopos Britanniæ, cap. 3. *De eulogiis ad sacra concilia deferendis nihil invenimus a majoribus terminatum: sed sicut unicuique presbytero placuerit. Nam si constitutum fuerit illo in tempore benedictiones afferri, forsitan minus libenter ad synodos occurrent: & magis venire obtrectabunt. Quæ, ut arbitror, non sunt rationabiliter quærendæ; nec ultro delatæ respuendæ, can. de eulogiis*, 18. *dist.* Solebant & archidiaconis eulogiæ offerri in synodo, sed ultro oblatas accipi, nequaquam vero exigi posse præcepit Hincmarus Remensis, in capitulis archidiaconis & presbyteris datis, anno † 877. cap. 5. *Nolite quasi pro aliquo adjutorio ad quamcumque rem denarios apud presbyteros postuletis: neque quando ad synodum vel pro inquisitione ministerii sui, seu pro chrisma accipiendo venerint eulogias exigatis: sed si cui forte commodum fuerit pro sua voluntate, & commoditate aliquid gratis offerre, cum gratiarum actione accipite*. Etsi monasteria a lege

a lege diœcesana exempta sint, tamen aliquid eulogiæ nomine Episcopo ut offerant voluit Pelagius in can. Eleutherius, 18. qu. 2. *Si vero nil tale constiterit, mediante te quid Episcopo ipsi nomine eulogiæ offerri debeat, inter ipsos monachos & presbyterum volumus definiri*. Moris etiam fuit, ut parochi solemnioribus anni diebus ad episcopalem ecclesiam procederent, non sine oblatione, ut in festo pentecostes, & aliis; synodus Caletensis habita anno Dom. 1080. apud Orderic. Vitalem, lib. 5. *Presbyteri semel in anno circa pentecosten, cum processionibus suis ad matrem ecclesiam veniant, & de singulis domibus ceræ denarata, vel idem valens ad illuminandam ecclesiam altari offerant*. Et Anselmus Leodiensis, de gestis Leodiens. Pontific. cap. ult. *Cum nedum in episcopali cathedra, sed etiam in rusticana qualibet parochia illud jus sibi mater ecclesia defendat; ut in majoribus solemnitatibus filiarum suarum frequentia visitetur, & honoretur; quod si neglectum fuerit, judicio suorum synodalium in sua synodo vindicetur*. Ex concil. Lateranensi habito sub Innocent. III. præter procurationem, & alia jura ordinaria, Episcopus potest extra ordinem, ex justa & necessaria causa, deposcere moderatum auxilium, quod vocant caritativum subsidium; *cap. conquerente, de offic. ordinar. cap. cum Apostolus, §. prohibemus, de censib. extravag. vas electionis, eod. tit. inter communes, clem. unic. de excess. prælat.* Inde dictum, quod cum caritate petendum sit, non judiciaria cum invectione, ut ait *can.* 14. concil. Cabillonens. II. *can. cavendum*, 10. *qu.* † 3. id est captis vadiis, seu pignoribus: quo pacto etiam ne presbyteri pro culpa, seu delicto, ab Episcopis coerceantur, vetat can. 18. ejusdem concilii: *Dictum est nobis, quod in quibusdam locis Episcopi & Comites ab incestuosis, & ab his, qui decimas non dant, vadios accipiant, & a presbyteris pro quibusdam negligentiis, & inter se pecuniam dividant, quod penitus abolendum decrevimus*. Non dispari formula oblativum aurum dicebatur, in codice Theodosiano, quod non canonis, vel indictionis, sed oblationis genere quodam a senatoribus exigebatur, & oblatio quæ ineunte anno quasi ex voto Principi offerebatur; *l. un. C. de oblat. votor. lib.* 12. uti & oblatæ dicuntur minuta æra, quæ census nomine a colonis domino offeruntur, popularibus, *oblies*. Caritativum vero subsidium potest peti ab Episcopis ex gravi causa, puta urgentis æris alieni solvendi gratia, si aliunde solvi nequeat ex rebus ecclesiæ, vel pro sumptu itineris ad comitatum Principis, vel ad limina Apostolorum. Peregrinationis tamen obtentu, ne domini a rusticis censum exactitent, prohibet synodus Cabillonensis II. can. 40. *Sunt quidam potentum, qui acquirendi census gratia sub prætextu Romani, sive Turonici itineris multa acquirunt, multos pauperum opprimunt, & quod sola cupiditate faciunt, orationum, sive sanctorum locorum visitationis causa se facere videri affectant*. Non amplius vero quam semel hoc subsidium peti potest; quia est onus superindictitium & subsidiarium; unde consuetudinem de secundis auxiliis sustulit Thomas Archiepiscopus Cantuariensis, acerrimus vindex libertatis ecclesiasticæ; auctor ipse epist. 49. apud. Jo. Saresb. *Domino vovimus inter cetera, quod consuetudinem de secundis auxiliis, quam frater noster archidiaconus ecclesiis imposuit, destrueremus, ab ea relaxantes, liberantes ecclesias, sub anathemate prohibuimus, ne ulterius ab aliquo exigantur*.

C A P. VIII.

Donationibus in monachos modus impositus. Ne ecclesiæ, & decimæ monachis dentur sine consensu Episcopi. Ne monachi ecclesias regant per se, sed per vicarium, statuta ei congrua portione. Redemptio altarium, ea damnata in concilio Claromontensi.

TOT censuum genera parochis & clericis imposuere Episcopi, ut ipsa nominum copia pene exhausta sit, & Episcopi in prætexendis honestis sordium suarum titulis laborarint. Eo ingenio institutum quoddam vectigalis genus, quod redemptionem altarium, seu ecclesiarum vocarunt, cujus origo ea fuit. Virtutis gratia, dum disciplina viguit, ingentes a monachis opes partæ, tum ex fidelium donationibus, cum ex spoliis ecclesiarum. Quam multa visuntur monasteria ab Episcopis ipsis condita de censu matricum ecclesiarum? Patribus displicuit insanum Episcoporum studium in monachos, & eis donandi modus impositus. Ne quis Episcopus, si forte monasterium ædificaret, amplius quam quinquagesimam rerum ecclesiæ in dotem monasterii cavere valeat, constituit synodus Toletana IX. *can bonæ rei*, 12. *qu.* 2. Ac ne Episcopo liceat monasterium exædificare in eversionem propriæ ecclesiæ, ἐπὶ καταλύσει τῆς ἰδίας ἐπισκοπῆς, vetuit synodus Constantinopolitana, habita sub Adriano II. quæ dicta est I. & II. *can.* 7. Ità & laici ecclesiarum incubatores decimas & ecclesias, si quando a se abdicarent, lubentius etiam monasteriis donabant, quam suæ matrici redderent: idcirco, ne decimas & ecclesias monachi a laicis susciperent sine consensu Episcoporum, edixit Urbanus II. *can. congregato*, *can. decimas* 39. 16. *qu.* 7. Idemque Pontifex legem dedit, ne monachi per se ecclesias regerent, sed per vicarium, cui congrua & idonea de reditibus ecclesiæ portio dependeretur; *can. sane*, 16. *qu.* 2. & apud Ivonem Carnotens. *epist.* 69. Hujusmodi ecclesias monasteriis datas, altaria vocabant, denominatione sumpta a digniori & nobiliori parte: & Episcopi erat in his vicarium instituere, quem personam vocabant, quia personam ecclesiæ sustinebat; Jo. Saresber. Policratic. lib. 7. cap. 17. *Utique & insignis prudentiæ, si quis tot quocumque modo conquirit altaria, ut quasi ritu memphitico quotidianas hostias novis possit altaribus immolare: nolunt tamen sacerdotio dominari, aut servire altario, qui de altario vivunt, ne, ut populus arguit, dicam luxuriantur, sed personatus quosdam introduxerunt, quorum jure ad alium onera, ad alium referuntur emolumenta.* Et idem epist. 1. *Illos vero, a quibus monachi se præfatam quantitatem recepisse dicebant, asserebat jam dictæ ecclesiæ non fuisse personas, sed conductos sacerdotes.* Unde & nonnullæ dignitates ecclesiasticæ personatus dicuntur; *cap. ad aures*, *de rescript. cap. de multa*, *de præbend.* Verum inde fœda, & simoniæ labis non expers, consuetudo obrepsit, ut Episcopi novi census occasionem nacti e jure institutionis, cedente, vel decedente vicario, non aliter alium instituerent, quam certo pretio numerato, quod redemptionem altarium vocabant; Ivo Carnotens. epist. 12. *Multa enim inordinata fieri video in domo Dei, quæ me torquent, maxime quod apud nos, qui altari non serviunt, de altari vivunt, a quo sacrilegio cum eos absterrere velim monendo, increpando, excommunicando, altaria a me redimere volunt sub nomine persona, sicut a prædecessoribus meis ex prava consuetudine redemerunt.* Et hanc redemptionem altarium jam ante stilo notavit Gregor. VII. *lib.* 4. *epist.* 22. ad Hugonem Diensem Episcopum, & legatum sedis apostolicæ in Gallia: *Illud vero commune malum pæne totius terræ, videlicet quod altaria venduntur.* Altarium redemptio dicebatur id genus censūs,

sus, quod Episcopo offerebatur pro vicarii institutione, quia hoc censu redimebatur potestas ministrandi: eodem sensu redemptionem capitis & sectæ, id est pensitationem pro commeatu Christianæ professionis inauditam dixit Tertullian. de fuga in persecut. cap. 12. *Tanta cottidie ærario augendo prospiciuntur remedia censuum, vectigalium, collationum, stipendiorum, nec umquam usque adhuc ex Christianis tale aliquid prospectum est, sub aliquam redemptionem capitis & sectæ redigendis*. Ita verba, redimere, pro temere promissi pœnam luere, dixit Seneca 4. de benefic. 36. *Si exiguum est: dabo, non quia dignus es, sed quia promisi. Nec tamquam munus dabo, sed verba redimam, & aurem mihi pervellam: damno castigabo promittendi temeritatem*. Et Paulus, tempus redimere, Ephes. 5. *Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt*, quod explanans Augustinus de verb. Apostol. sermon. 26. † *Redimere*, inquit, *tempus, hoc est quando aliquis tibi infert litem, perde aliquid, ut Deo vaces, non litibus, perde nummos, ut emas tibi quietem*. Et redemptionis nomine, pro exactione pecuniaria non semel usus est Rogerus Hovedenus, in Richardo I. *Omnes enim ecclesias Angliæ crux illa* (loquitur de cruce, quam præferebat Willelmus Eliensis Episcopus, & legatus pontificius in Anglia) *redemit, id est ad redemptionem coegit*. Et rursus: *Interdum Richardus Rex Angliæ peractis negotiis suis in Pictavia pro voluntate sua, rediit in Andegaviam, & redemit omnes baillivos suos, id est ad redemptionem coegit*. Hanc redemptionem altarium, simoniæ damnavit Urbanus II. in concil. Arvernensi, ipsaque altaria monasteriis confirmavit, si ea per 30. vel 40. annos possedissent; *can. quæsitum, 1. qu. 3.* cujus ecce verba: *Quæsitum est de Episcopis, qui altaria monasteriis data frequenter redimi compellebant pecunia: quia quidam simoniacæ pravitatis usus in Galliarum partibus jam diutius inolevit, ut ecclesiæ, vel decimæ, quæ vulgari vocabulo apud eos altaria nuncupantur, monasteriis datæ, sæpius ab Episcopis sub palliata avaritia vendantur, mortuis nimirum seu mutatis clericis, quas personas vocant. Nos, auctore Deo, venalitatem omnem tam ex rebus, quam ex ministeriis ecclesiasticis propellentes, hoc ulterius fieri auctoritate apostolica, prohibemus; sicut etiam præbendas omnes venundandas interdicimus. Porro quæcumque altaria, vel decimas ab annis triginta & supra sub hujusmodi redemptione possedisse monasteria noscuntur, quiete deinceps, & sine molestia qualibet eis possidenda firmamus*. Hujus instituti locupletem testem habemus Goffridum Vindocinensem, qui interfuit concilio, *lib. 3. epist. 12.* ad Ulgerium Andegavensem Episcopum: sed quamprimum concilii sanctio ab Episcopis Gallicanis delusa, vice redemptionis altarium, vicariis annuo censu indicto, sub nomine redemptionis vicariorum, de quo Episcopos acerbe increpat Vindocinensis, eodem loco: *Annuntiastis, ut dicitur, presbyteris vestris, & personis ecclesiæ vestræ, quod dominus Papa Urbanus in Arvernensi concilio præceperat, ut Episcopi annuum censum habeant a monachis pro redemptione altarium: bene novit prudentia vestra non esse bonum, quod apostolica sinceritate disponitur, per contrarium prædicare: bone Domine, vos illi non adfuistis concilio, & ego interfui, qui hujus rei cognosco veritatem: redemptionem ecclesiarum, quæ vulgari vocabulo altaria nuncupantur, beatus vir ille simoniacam pravitatem vocavit, & apostolica auctoritate damnavit. Illa tamen magica & simoniaca pecunia aliquando in triginta, aliquando vero in quadraginta, aliquando etiam in sexaginta annis solvebatur Episcopis: qui autem redemptionem altarium, quæ in pluribus annis nonnisi semel per vicarios fieri solebat, hæresim vocavit, & condemnavit sub nomine annui census pro redemptione vicariorum sive altarium, annuam pecuniam extorquere dedocuit, non præcepit: immo quæcumque abbates & monachi in ecclesiis sub redemptione vicariorum tenuerant, ut quiete deinceps, & sine cujuslibet ex-ctione pecunia possiderent, beatorum Apostolorum Petri & Pauli auctoritate firmavit*. Unde dubitandum non est, postrema illa verba, quæ leguntur

Redemptio, pro mercede, quod dicitur levitic. 25. *Et per omnem terram possessionis vestræ mercedem dabitis terræ*: alii codices habent, *redemptionem dabitis terra*, quam lectionem agnoscit August. quæst. 91. & 92. in levitic. & congruenter Septuaginta, λύτρα δώσετε τῇ γῇ.

† Verba hæc collecta sunt variis ex locis *num.* 5. *homil.* 10. *al. serm.* 111. *in append.*

in calce canonis *quæsitum : salvo utique Episcoporum censu annuo, quem ex eisdem altaribus habere soliti sunt*, esse adjecta commento Episcoporum, qui peccandi titulum & auctoritatem quærebant. Ne dubites, pravam hanc consuetudinem quæ inoleverat, ut ecclesiæ monasteriis datæ annua distractione proscriberentur, id est annuo censu redimerentur, adhuc exagitavit Alexander III. in concil. Turonensi: *Nec prioratus, vel capellaniæ qualibet monachorum aut clericorum annua distractione vendantur; cap. non satis, de simonia*. Nec peculiaris fuit hæc labes Episcoporum: sed & malo exemplo archidiaconi & decani suam fecere, & a vicariis censum annuum pro redemptione ministerii emunxere; Jo. Saresber. epist. 69. *Meminimus autem vos per Alanum de Wilva archidiaconis & decanis, officialibus Conventrensis ecclesiæ scripta nostra misisse, ad convellendam pestiferam radicem simoniacæ pravitatis, quæ in episcopatu Cicestrensi de novo dicitur germinare: nam vicarii, ut in ecclesiis admittantur, singuli 12. denarios coguntur exsolvere, & hanc redempta quodammodo sacrificandi licentia annuam ministris potius sathanæ, quam ecclesiæ solvere pensionem. Hoc autem amplius fieri sub anathemate prohibuimus*, &c.

C A P. IX.

Vectigal pro introitu sacerdotii, ἐμφανιστικόν. Cœna aditialis seu adjicialis, ἐνθρονιστικόν. Thronus sedes episcopalis.

VIx ulla pars fuit muneris episcopalis, census & lucri expers. Jam olim a clericis Episcopo exsolvebantur consuetudines, quæ dicebantur, ἐμφανιστικὰ, quod ὑπὲρ τῆς ἐμφανείας pro Insinuatione, seu admissione novi clerici præberentur, quæ in ecclesia Constantinopolitana tantum feruntur, in ceteris vetantur; *nov. Justin.* 56. & 123. *cap.* 16. In ecclesia Carnotensi non dispar fuit consuetudo, ut canonici pro ingressu aliquid æris persolverent decano & cantori, quam ægre tulit Ivo Carnotensis Episcopus: sed frustra eam convellere studuit, quod illi Romanæ consuetudinis exemplo sese tuerentur; testis ipse, epist. 133. *Si quæ autem adhuc sunt, quæ pro consuetudine antiqua publice exigant decanus & cantor, & alii ministri ab his qui canonici fiunt, me contradicente & persequente, Romanæ ecclesiæ consuetudine se defendunt, in qua dicunt, cubicularios & ministros sacri palatii multa exigere a consecratis Episcopis, vel abbatibus, quæ oblationis, vel benedictionis nomine pallientur, cum nec calamus, nec charta gratis ibi, ut ajunt, habeatur*. Solebat & apud Gentiles pecunia præstitari pro introitu sacerdotii; Sueton. in Claudio cap. 9. *Sestertium octogies pro introitu novi sacerdotii coactus impendere*. Solemne & epulum a canonicis pro institutione dari solitum, pastus vel pastelli nomine, quod vetitum *can. nullus abbas*, 1. *qu.* 2. *can. si quis objecerit*, *can. ult.* 1. *qu.* 3. *cap. Jacobus, de simonia*. Solebant & pastus seu prandia pro ingressu religionis ex statuto, vel consuetudine exhiberi, quæ sublata ab Urbano IV. in *extravag. sane, de simon.* & hæc etiam a Paganismo est quod repetamus: celeberrimi enim moris fuit, ut initio sacerdotii festiva cœna Pontificibus præberetur, aditialis dicta, quod in aditu & auspicio honoris pararetur; Plinius lib. 10. cap. 20. *Pavonem cibi gratia Romæ primus occidit orator Hortensius aditiali cœna sacerdotii*. Et idem lib. 29. cap. 4. *Genitæ † Manæ catulo res divina fit, & in cœnis Deum etiamnum ponitur catulina, aditialibus quidem epulis celebrem fuisse, Plauti fabulæ indicio sunt*. Alii adjicialem forte quod habeatur quasi adjectio & accessio muneris; Seneca epist. 95. *Et tricies tamen H. S. adjiciales cœnæ frugalissimis viris constiterunt. Eadem res si gulæ detur turpis est: si bo-*
nori

nori reprehensionem effugit. Non enim luxuria, sed impensa solemnis est. Quam sumptuosæ essent initiales epulæ Pontificum ex hoc loco intelligis: idem & ex ipsis Pontificum tabulis insinuat Macrob. lib. 3. Saturnal. cap. 9. *Ante diem nonum kalendas septembris, quo die Lentulus flamen Martialis inauguratus est, domus ornata fuit, triclinia lectis eburneis strata fuerunt, duobus tricliniis Pontifices cubuerunt.* Ex consuetudine etiam Episcopi ipsi Patriarchæ persolvebant ἐνθρονιαστικὸν, ὑπὲρ ἐνθρονιαστικῶ *pro adeptione throni; d. nov. 123. cap. 3.* nam sedes episcopalis thronus vocatur; Clemens Romanus lib. 2. const. cap. 57. *κείσθω δὲ μέσος ὁ τῶ Ἐπισκόπȣ θρόνος: in medio positus sit Episcopi thronus.*

C A P. X.

Episcopalis jurisdictio, & ecclesiæ sub annuo censu concedi solitæ. Idem in bailliviis & prapposituris regiis.

ÆTATIS vitio moribus in pejus labentibus mala etiam consuetudo inolevit, ut Episcopi vices suas, id est episcopalem jurisdictionem, decanis seu archipresbyteris sub annuo censu mandarent: quod mercaturæ genus, ut illicitum & simoniacum sustulit Alexander III. repetita sanctione in Lateranenensi & Turonensi concil. *cap. 1. & 2. ne prælat. vic. suas.* Optima ratione, ea nimirum, quod ecclesiastica jurisdictio, cum sit spiritualis, & in rebus spiritualibus ac inter personas spirituales versetur, non cadit in commercium, & annui census redemptionem ferre non potest. Ex eodem traduce subortum, ut Episcopi decanatus, & archidiaconatus, & alia jurisdictionis ecclesiasticæ ministeria, ejusdemque proventus tamquam prædiarios fructus ad firmam, id est sub certo & fixo reditu, locarent, quæ districte vetuit, concil. Londinense habitum anno 1237. præside Othone, Apostolicæ Sedis Legato in Anglia, apud Matthæum Paris. in hæc verba: *Quare statuendo districtius prohibemus, ne dignitates vel officia, puta decanatus vel archidiaconatus, sive proventus, ex ecclesiasticæ vel spiritualis jurisdictionis exercitio, sive ex pœnitentia, vel altari, seu aliis sacramentis quibuslibet venientes, ad firmam de cetero nullatenus concedantur.* Unde hæc labes in ecclesiam exilierit, si quæris, nempe e republica, ut pleraque alia vitia sævo contagio e republica in ecclesiam irrepsere. Eadem scilicet ætate bailliviæ & præpositure forenses passim a Principibus sub annuo censu redimi seu locari solebant; Rogerus Hovedenus in Richardo: *Interim Richardus Rex Angliæ peractis negotiis suis in Pictavia, pro voluntate sua, rediit in Andegaviam, & redemit omnes baillivos suos, id est ad redemptionem coegit:* nec hanc fœdam luem effugit Gallia, ut intelligitur ex legibus, quas dedit Ludovicus IX. anno 1256. post reditum ex transmarina expeditione, studiis conversis ad componendas res Galliæ, quæ extant apud Willelmum de Nangis: *Jurabunt, quod etiam in venditionibus bailliviarum, redituum, vel aliarum rerum nostrarum, partem non habebunt.* Ejusdem sæculi proprium & vitium fuit, ut Episcopi ecclesias passim non in titulum idoneis personis conferrent, sed eas ad firmam darent sub annuo censu: quod vetuit concil. Turonens. *cap. quoniam, d. tit. ne prælat. vices suas.* Eo res erupit, ut nedum ecclesiæ sub annuo censu locarentur, sed etiam amoto priore, alii plus licenti addicerentur; Continuator Bedæ lib. 3. cap. 25. *Regnat adhuc & in dies augetur hujusce dedecoris calamitas, ut & villæ, & ecclesiæ pensionibus supponantur, & ne hoc quidem perpetua exactorum fide, sed quicumque plus obtulerint, statim pactis irritis prioribus, palmam habeant.* Aliquando & callido consilio habenti unam ecclesiam in titulum, alia dabatur ad

firmam perpetuam, alii ut titulari depacto modico censu annuo, ne vacationi locus fieret, ob incompatibilitatem duorum beneficiorum, si utrumque haberetur in titulum; Matthæus Paris. ex Londinensi concilio modo laudato: *Alicubi audivimus contigisse, quod vacante pingui ecclesia, quam quidam optabat habere, nec tamen audebat eam recipere ut persona; ne aliis ipso jure beneficiis quæ obtinuit privaretur; callide procuravit, ut ecclesia illa sibi ad firmam perpetuo traderetur; ita quod modicum quid inde solveret alii nomine personatus, sibique totum reliquum retineret. Quo dante causam edicto statuimus, ut in tota vel in parte ad firmam alicui sub quocumque colore in beneficium conferatur, cassum & inane fore penitus decernentes, si contra fuerit attentatum.*

C A P. XI.

Ecclesiæ ab Episcopis concessæ monasteriis & aliis locis piis sub annuo censu. Ecclesiis novus census imponi non potest, vel antiquus augeri. Matrici ecclesiæ census debetur a filialibus ecclesiis: honor pro censu, vel pro feudo. Prioratus regulares præstant censum majori monasterio.

ECCLESIÆ solent & ab Episcopis concedi monasteriis & aliis locis piis sub certo annuo censu; nec ex eo contrahitur simonia, quia is census non compendii causa imponitur, sed in signum subjectionis; *cap. constitutus, cap. cum venerabilis, de religios. domib. cap. pastoralis, de donat.* Verum constituto semel censu, novus non potest imponi, vel antiquus augeri; ex concil. Lateranensi, *cap. prohibemus, de censib. cap. præterea 9. de transact. cap. pastoralis, de his quæ fiunt a prælat. sine consensu capitul. cap. tua nos 11. de jurejurand.* & apud Innocent. III. *lib. 2. epist.* 105. Et rector ecclesiæ non potest ecclesiam suam constituere censualem, sine consensu diœcesani Episcopi; *cap. præterea, cap. cum clerici, de censib.* quia servitutem ecclesiæ imponere non potest, qui nudum ministerium & nudam rerum ecclesiæ procurationem habet; *can. si privatum, 12. qu.* † 1. Novellæ etiam ecclesiæ in sinu seu finibus matricis ecclesiæ ex causa ædificari possunt, ita ut competens in ea honor, pro facultate loci, matrici servetur; *cap. ad audientiam 3. de eccles. ædificand.* id est ut modicus census super ea reservetur matrici, in argumentum subjectionis, ut recte interpretatur *glossa hic*: non incongrue honor pro censu & pensione accipitur, quod non modo utilem præstationem, sed etiam honorem & obsequium contineat. Unde & passim feudum honor vocatur; Robertus Montensis in chronic. *Caput autem sui honoris, scilicet Ambasiam tenebat de Rege Henrico*. Et Gofridus Vindocinensis lib. 5. epist. 27. *Deus, qui permisit vos honorem Credonensem habere*. Et latiori significatione honor, pro eleemosyna, vel pro munere, aut stipendio canonico; Hieronymus ad † Ageruchiam: *Honor autem in præsentiarum, vel pro eleemosyna vel pro munere accipitur, ut est illud: presbyteri duplici honore digni habeantur*: quod sumptum est ex priori epistola Pauli ad Timotheum. Nec novum est, filiales ecclesias matrici, e cujus sinu delibatæ, censum præstare: ita Theodoricus Monasteriensis Episcopus in Germania, ecclesiam S. Pauli exædificavit, & novem ecclesias adjecit, ea lege, ut matrici censum solverent; de quo Albertus Krantzius lib. 8. metropol. cap. 5. *Fundavit ecclesiam S. Pauli, deditque fratribus novem ecclesias, deinceps ab ipso conferendas, sed quæ censum solverent matrici & capitulo*. Et Adeloldus Turonensis Episcopus oratorium potuit in villa ecclesiæ regio beneficio datæ, in Remensi diœcesi, non sine assensu Hincmari Remensis Episcopi, ea conditione, auctor est Flodoardus, lib. 3. Remens. hist. cap. 21.

21. *ut antiqua villæ ipsius ecclesia, vel presbyter ejusdem, nullum privilegii sui propter hoc detrimentum patiatur*. Nec modo, qui matrici servandus est honor, pertinet ad censum pecuniarium, sed etiam alia jura honoraria comprehendit, qualia sunt jus præsentationis, ut constat ex ipso *capit. ad audientiam*, & honor processionis, & litaniæ, qui matrici debetur in argumentum subjectionis; *cap. auditis, de præscript. cap. cum inter, de sentent. & re judicat.* Anselmus Leodiensis de gestis Pontif. Leodiens. cap. ult. *Cum nedum in episcopali cathedra, sed etiam in rusticana qualibet parochia illud jus sibi mater ecclesia defendat, ut in majoribus solemnitatibus filiarum suarum frequentia visitetur & honoretur: quod si neglectum fuerit judicio suorum synodalium in sua synodo vindicetur*. Eodem jure prioratus regulares, quos cellas seu obedientias vocant, monasterio ex quo pendent annuum censum præstant in signum subjectionis, ut Cluniacense monasterium, quod e cella Gigniacensis surrexit in caput ordinis, a Bernone abbate Gigniacensi fundatum ea lege, ut Gigniacensi monasterio censum annuum decem & duorum denariorum persolveret; Sigebertus in chronic. ad ann. 912. *Berno abbas moriturus, Odonem olim musicum constituit abbatem Cluniacensis cœnobii, ea conditione, ut ecclesia Cluniacensis solveret annuatim ecclesiæ Gignlacensi censum duodecim denariorum*. Prioratus etiam abbati debent metatum & sumptum: hoc jure Goffridus Vindocinensis abbas mandat priori Credonensi uni e suis, ut Andegaviam proficiscenti pro rebus ecclesiæ tuendis expensam paret, lib. 4. epist. 36. *Hoc vobis curavi prædicere, quos ad expensas faciendas paratos desiderio desidero invenire*. Et ita in hunc diem prioratus Cluniacensium & Cisterciensium censum annuum exsolvunt principi monasterio in signum subjectionis; de quo Chopin. 2. *de sacr. polit. tit.* 8. *& 2. monastic. tit.* 1.

CAP. XII.

Inquisitiones regiæ. Inquisitio, exactionis genus. Regium quid sit.

EPISCOPI in Hispania, præter tertiam decimarum a vicanis ecclesiis, quidpiam exigere solebant pro regiis inquisitionibus, donec id vetitum est concil. Tolet. XVI. *can.* 4. *can. unio*, 10. *qu.* 3. Quæ esset ratio hujusce exactionis, quæ regiarum inquisitionum nomine jactatur, quærebam olim cum legerem Cadurci pro cathedra vacante, interpretando titulum de censibus: ac primum tentavi, an id esset stipendii genus, quod ab Episcopis excogitatum esset, pro sumptu inquisitionum, seu cognitionum causarum, quæ quandoque eis a Principe extra ordinem demandabantur: aderat conjecturæ adminiculum, quod id moris apud Hispanos fuisse constabat, ut Episcopi mandatas a Principe de reis majestatis cognitiones non detrectarent; ex concil. Toletan. IV. can. 30. *Sæpe Principes contra quoslibet majestatis obnoxios sacerdotibus negotia sua committunt*, *&c. can. sæpe*, 23. *qu.* 8. nec id peculiare Hispanis, sed & apud Siculos idem usu notum observabam, *ex cap. in archiepiscopatu, de raptoribus:* quæ cum sine sumptu expediri non possent, facile eveniebat, ut Episcopi a clericis subsidium peterent regiarum inquisitionum nomine: sed re agitata aliter visum est, non aliud scilicet fuisse illud stipendii genus, quam indictionem fisci, quæ Episcopis imponebatur, cujus collatio ab Episcopis rejiciebatur in clerum: nec enim inauditum inquisitionis nomen pro exactione publica, ut in decreto excommunicationis promulgato a Gregorio IX. contra Fridericum II. apud Matthæum Paris. in Henrico III. & Albert. Krantzium lib. 7. metropol. cap. 52. *Item excommunicamus & anathematizamus eundem pro eo*,

quod multæ ecclesiæ cathedrales, & aliæ ecclesiæ & monasteria de regno per iniquam inquisitionem fuerunt fere bonis omnibus spoliata. Et inquirere proprium est verbum quæsturæ publicæ pecuniæ; Pomponius *in l. 2. §. 22. de origin. juris: Quæstores dicti ab eo, quod inquirendæ & conservandæ pecuniæ causa creati erant*: unde idem verbum pertinet ad exactionem jurium episcopalium; Ratpertus de casib. monaster. S. Galli cap. 1. apud Goldastum: *Post hæc vero Sidonius Constantiensis præsul, instigantibus præfatis Comitibus, cœpit inquirere monasterium nostrum, & in potestatem episcopatus redigere*. Et si modus colligendi inquisitiones regias spectetur, in Gallia pariter quæ ab ecclesiis Regi erogabantur pecuniæ, non aliter quam per ipsos Episcopos legebantur, & eorum opera fisco inferebantur, vel apud dominicos missos deponebantur; Carolus Calvus in capitulis, *tit.* 42. ubi de conjecto, seu contributione pro Normannis constituta: *De omnibus vero ecclesiis unusquisque Episcopus, vel abba de sua solummodo potestate accipiant de presbyteris a quocumque plurimum solidos V. & de unoquoque juxta quod possibile fuerit, ita ut a quo plurimum V. solidos, a quo minimum quatuor denarios*. Et continuator Aimoin. *lib.* 5. *cap.* 35. ubi de collatione pecuniæ ab ecclesiis facta, pro sumptu itineris Caroli simplicis Romam evocati a sum. Pontifice: *Et unusquisque Episcopus de presbyteris sua parochiæ, secundum quod cuique possibile erat, a quo plurimum quinque solidos, a quo minimum quatuor denarios. Episcopi de singulis presbyteris acciperent, & nuntiis dominicis redderent*. Et alio loco regium, dicitur functionis seu pensitationis genus, quod advocati ecclesiarum, tamquam a propriis rusticis, ab ecclesiis corrodebant; *cap. præterea* 23. *de jure patronat.* forte quod id exigeretur ab ipsis advocatis ecclesiarum in rem fisci, vel saltem exactioni præferretur nomen Regis, levandæ invidiæ causa. Hoc autem Toletano canone non sublatum est onus regiarum inquisitionum, sed parochis remissum & omnino rejectum in Episcopos, ut patet ex oratione Egicæ Regis, concilio præfixa, in hæc verba: *Nam & hoc honorificentia vestra promulgare curabit, ut nemo Episcoporum pro regiis inquisitionibus exhibendis, parochialium ecclesiarum jura contingat, nec quascunque exinde inquisitiones aut evectiones exigere audeat: sed de prædiis suarum sedium regio culmini solita perquisitionum obsequia deferat, nihilque de rebus earamdem parochialium ecclesiarum causa stipendii cujuspiam dare præsumat*.

CAP. XIII.

Census a Gothis impositus Romano Pontifici recepta Italia, retentus ab Imperatorib. Remissus Agathoni Papæ a Constantino Pogonato. Missilia a Rom. Pontificibus initio pontificatus jactata in vulgus.

Ecclesia Romana mater ecclesiarum, domina gentium, etsi pretioso Christi sanguine redempta, Barbarorum sese censualem & servam esse ingemuit. Regibus Gothis Arianis Italiæ incubantibus ipsi Romani Pontifices electionis confirmationem a Principe, etsi ἀπροσδίκτως, petere compulsi sunt, eamque magna vi pecuniæ redimere; Cassiodor. *lib.* 8. *epist.* 15. Italia a Gothis recepta ecclesia Romana libertatis damnum non eluxit, & Justinianus ipse exactis Barbaris, barbarico jure usus est, & jus confirmandi electos Pontifices, eoque nomine pecuniam exigendi semel a Gothis constitutum asseruit. Hanc consuetudinem subiit ipse Gregorius I. a Mauritio Imperatore, de quo non tacuit in psalmum 3. pœnitentialem: *Hæc est, inquam, hæresis, quæ ipsa nascentis ecclesiæ rudimenta tentavit, & ante alias hæreses prima apparuit, cujus erro-*

erroris vesania, licet ex tunc damnata fuerit, postea tamen in ecclesia germine pestifero pullulavit: nostris vero maxime temporibus malitia sua virus exercuit, & totius ecclesiæ pacem schismatica infestatione turbavit: concitavit enim adversus ecclesiam Dei non solum innumerabilem populi multitudinem, verum etiam regiam, si fas est dicere, potestatem: nulla enim ratio sinit, ut inter Reges habeatur qui destruit potius quam regat imperium, & quoscumque habere potest perversitatis suæ socios, eos a consortio Christi efficit alienos, qui turpissimi lucri cupiditate illectus sponsam Christi captivam cupit abducere, & passionis Dominicæ sacramentum ausu temerario contendit evacuare: ecclesiam quippe, quam sui sanguinis pretio redemptam Salvator noster voluit esse liberam, hanc iste, potestatis regiæ jura transcendens, facere conatur ancillam: quanto melius foret sibi dominam suam esse agnoscere, eique religiosorum Principum exemplo devotionis obsequium exhibere, nec contra Deum fastum extendere dominationis, a quo suæ dominium accepit potestatis. In tantum suæ temeritatem extendit vesaniæ, ut caput omnium ecclesiarum Romanam ecclesiam sibi vindicet, & in domina gentium terrenæ jus potestatis usurpet. Nihilo æquioribus conditionibus pontificatum suscepere eum secuti Pontifices, donec, postulante Agathone, Constantinus Pogonatus pensitationem, quæ pro confirmatione electi exigebatur, remisit, salvo jure confirmationis; Anastasius in Agathone: *Hic suscepit divalem jussionem secundum suam postulationem, ut suggessit, per quam relevata est quantitas, quæ solita erat dari pro ordinatione Pontificis facienda: sic tamen, ut si contigerit post ejus transitum electionem fieri, non debeat ordinari qui electus fuerit, nisi prius decretum generale introducatur in regiam urbem secundum antiquam consuetudinem, & cum ejus scientia & jussione debeat ordinatio provenire*. Quæ ad verbum transtulit Gratianus in *can. Agatho*, 63. *dist.* Hoc onere soluti Romani Pontifices, ultro ipsi pontificatus auspicia, jactatis in plebem missilibus in hunc diem celebrarunt; de quo censorio stilo Bernardus lib. 4. de considerat. ad Eugen. Papam: *Quale est, quod de spoliis ecclesiarum emuntur, qui dicunt tibi, euge, euge: pauperum vita in plateis divitum seminatur, argentum micat in luto, accurritur undique, tollit illud non pauperior, sed fortior, aut qui forte citus procucurrit; a te tamen mos, vel potius mors ista non cœpit, in te utinam desinat*.

C A P. XIV.

Patrono seu fundatori ecclesiæ præstatur annuus census ex fundatione, vel consuetudine: eidem debetur vitæ subsidium si casu lapsus sit in egestatem. Advocato ecclesiæ pariter debetur annuus census ex fundatione, vel consuetudine.

JURE primævo patronus seu fundator ecclesiæ nihil juris habuit præter processionis aditum, qui Christianis omnibus in commune debetur; *can. piæ mentis*, *can. Frigentius*, 16. *qu.* 7. quod ita intelligendum, ut quod ceteris in commune, id est in turba, patet, fundatoribus detur cum aliqua dignitate & honoris prærogativa, ut olim a nobis observatum in libro de Ducibus & Comitibus. Postea jus præsentandi clericos patronis datum, quod primum introductum ex *novella Justiniani* 57. *cap.* 2. & 123. *cap.* 18. Sed serius comprobatum a Pontificibus, videlicet non ante concil. Toletan. † IX. *can.* 2. *can. decernimus*, 16. *qu.* 7. Iisdem fere initiis invaluit usus, ut patroni ferrent annuum censum, vel partem oblationum, quæ solemnioribus diebus offerrentur, quod e consuetudine in jus transiit, si lege fundationis id actum esset, ex constitutione Pelagii, *can. Eleutherius*, 18. *qu.* 2. & si census modum non excede-

ret, ex concil. Bracar. II. *can. 6. can. si quis basilicam, de consecr. dist. 1.* Unde hoc jure patroni ecclesiarum nihil possunt exigere, præter antiquos & moderatos reditus a diœcesano Episcopo ab initio constitutos; ita ut si quid aliud exegerint excommunicationis vinculo obligentur; *cap. preterea 23. de jure patronat. cap. cum Bertholdus, de sentent. & re judicat.* Hac ratione novas consuetudines, seu pensitationes, quæ a conditoribus monasterii ab initio minime pactæ erant, exigi quiritatur Gosfrid. Vindocinensis abbas, lib. 5. epist. 20. ad Gvillelmum Ducem Aquitaniæ: *Hanc ad præsens remunerationem quæro, ut consuetudines seu exactiones, quas terris nostris præpositi vestri violenter impresserunt, quas tamen terras religiosi Principes prædecessores vestri & monasterii nostri fundatores absque consuetudine, vel qualibet exactione donaverunt, Deo & loco nostro relinquatis &c.* Si tamen patronus casu in egestatem lapsus sit, alimoniam, & vitæ subsidium ab ecclesia petere non prohibetur; *can. contra, can. quicumque, 16. qu. 7. & cap. nobis, de jur. patronat.* Hoc nomine Philippus Augustus, ut patronus & fundator ecclesiarum Galliæ, fisco belli sumptibus exhausto, subsidium pecuniarium a clero Remensi expetiit, renuente clero; hoc colore, quod obsequium precum, non censum deberet; de quo Gvillelmus Brito lib. 1. Philippid.

Tempore cujusdam guerræ Rex prodigus æris,
Cum res exigeret numerare stipendia multis,
Clerum Remensem petiit, scriptoque rogavit,
Ut sibi subsidium fieret, quo gratior illi
Ad tantos vellet sumptus impendere gratis:
Ut solet ecclesia patronos sæpe juvare.
Qui pro Rege suo, Regi suffragia summo
Fundere cum precibus, ajunt, se jure teneri,
Non solidos dare, vel censum, ne postea forte
Ecclesiæ pariant ex consuetudine damnum.

Quandoque patronus lege fundationis alimenta præstanda sibi & suis stipulari solet, ut Garsias Ferdinandi, secundus Comes Castellæ, monasterium Caveæ Rubeæ construxit, luculentisque prædiis dotavit, quæ Infantaticum appellari voluit; ea lege, ut si qua puella de genere suo non nuberet, de bonis monasterii curaretur; auctor est Roderichus Toletan. *lib. 5. cap. 2.* Exemplo patronorum solebat & advocatis seu defensoribus ecclesiarum census vel pensio annuatim dari de rebus ecclesiæ, pro advocatia, seu tuitione ecclesiæ. Ludovico Pio duos equos, & duo scuta cum lanceis advocatiæ nomine in singulos annos condixit monasterium sancti Galli; Ratpertus de casibus monaster. S. Galli cap. 8. apud Goldastum: *Preterea Rex piissimus Ludovicus in eadem charta conscribi jussit regia dona sibimetipsi, secundum consuetudinem aliorum monasteriorum securitate præditorum, quotannis ventura, id est duos caballos, & duo scuta cum lanceis.* Urspergensi ecclesiæ de unoquoque mansu, seu prædio rustico, maltare (id est mensuræ genus) avenæ annuatim pensitandum indixit Fridericus I. pro advocatia, & defensione ecclesiæ; abbas Urspergensis in Friderico I. *Cumque talis prælatus coram inclytæ recordationis Imperatore Friderico comparuisset, ipse cum tota curia sua sprevit eundem, odioque sui nobili viro Degenhardo de Hedinsthein procuratori suo per omnia regalia prædia Sveviæ injunxit, quatenus personaliter accederet ad ecclesiam Urspergensem, & de voluntate fratrum in prædiis ipsorum statueret, extra abbatiam & grangias statutis apponeret annuum, quod sibi pro advocatia & defensione solveretur; ut videlicet quilibet mansus rusticanorum prædiorum solveret maltare unum avenæ, ut officiales sui equis ipsorum ex hoc haberent annonam, & ipsa ecclesia sine præjudicio omnis gravaminis imperialem haberet defensionem.* Advocato Hirsaugiensis monasterii ab Henrico IV. Imperatore pro advocatia monasterii, & juris

ris dicendi onere concessus tertius bannus, id est tertia multarum, quæ indicerentur; Trithemius in chronic. Hirsaug. ex tabulis dicti Henrici: *Hic denique abbate petente a Rege accipiat bannum legitimum, & ter in anno, si necesse fuerit, aut in ipsam cellam, aut ubicumque, vel quando abbati placuerit invitatus ab illo veniat, & ibi placitum jussum pro causis & necessitatibus monasterii rite peragat: nullum autem servitium aliud jus, aut beneficium sibi pro hoc concedi recognoscat, nisi tertium bannum & consuetudinariam justitiam.* Ita & advocato Spanheimensis cœnobii pro advocatia statuta sunt duodecim maldra annua avenæ, & pulli totidem; Idem Trithemius in chronic. Spanheimens. *Denique ad petitionem præfati Comitis Joannis Willicho abbas prædictum filium ejus advocatum suum in villa monasterii, quæ Anuen dicitur, constituit, cui 12. maldra avenæ & totidem pullos ab incolis ejusdem villæ danda singulis annis pro feudo assignavit.* Et hæc ita se habent censu ab initio constituto: advocati enim ecclesiarum patronis æquantur, & quicquam exigere vetantur præter antiquos & moderatos reditus ab initio constitutos; *d. cap. præterea, & cap. generali, de elect. in 6.*

C A P. XV.

Census ex voto a Ranimiro Rege Hispaniarum constitutus Jacobo Apostolo & ecclesiæ Compostellanæ. Par census a Carolo Magno constitutus Jacobo apud Compostellam, & Dionysio in Gallia. Primitiæ seminis & aliæ species ex voto persolutæ ecclesiæ.

NOVIMUS & census a laicis ecclesiæ ultro constitutos ex voto. Ranimirus Rex Hispaniarum ingenti de Saracenis victoria parta, non sine præsenti ope Jacobi Apostoli in somnis visi, adhortantis, ut prælium committeret, securus de belli eventu, tum in ipso prælio in equo albo dimicantis, ex voto Hispaniam vectigalem fecit Jacobo, & ecclesiæ Compostellanæ, indicto censu annuo tritici & vini in singula juga boum, & partis prædæ, quæ ferretur a Saracenis: quem censum vota nuncuparunt, quod ex voto pro salute reipublicæ facto conferretur; Lucas Tudensis lib. 4. *Rex autem Ramirus cum Episcopis & abbatibus statuerunt tunc annuatim perpetuo dare tum in terra adquisita, quam adquirenda, quam Deus sub nomine beati Jacobi dignaretur de Saracenorum manibus liberare, de unoquoque jugo boum singulas mensuras, ad modum primitiarum, & de vino similiter, clericis in ecclesia beati Jacobi Apostoli Deo servientibus. Concesserunt etiam similiter in perpetuum, quod Christiani milites in singulis expeditionibus, de eo quod a Saracenis adquisierint, ad mensuram portionis unius militis beato Jacobo conferre.* Hunc censum ecclesiæ Compostellanæ confirmavit Paschalis II. bullatis litteris, quas se vidisse refert Jo. Vasæus, *in chronic. ad ann.* 825. eundem confirmavit Innocent. III. *lib.* 2. *epist.* 139. quæ tota est de privilegiis ecclesiæ Compostellanæ: *Illum etiam censum, qui vota dicitur, quem Hispanorum Catholici Reges ex singulis boum paribus, a flumine Pisorga usque ad mare occidentale, & per totam Lusitaniam provinciam, atque etiam in Toleto, & trans serram annuatim persolvendum pro salute totius terræ liberaliter statuerunt, eidem ecclesiæ confirmamus, & omnimodo interdicimus, ut nulli fas umquam sit, eum ipsi ecclesiæ qualibet occasione subtrahere.* Hoc de censu variæ quæstiones motæ, & apud ipsum Innocent. III. prior extitit ad quem judicem pertineret cognitio causarum hujusce census. Rustici Legionenses ea de re conventi apud Regem respondere renuebant. Consultus Pontifex, rem regiæ cognitionis esse respondit *lib.* 3. *epist.* 136. ad Pe-

trum Compostellanum Archiepiscopum: *Innotuit siquidem nobis, quod quidam laici rustici de regno illustrissimi Regis Legionensis super votis beato Jacobo persolvendis nolunt in præsentia ipsius Regis, qui ordinarius judex eorum existit, quando conveniuntur aliquatenus respondere. Unde petitioni tuæ gratum præstando assensum; ad exemplar felicis recordationis Celestini Papæ prædecessoris nostri, fraternitati tuæ præsenti pagina indulgemus, ut tibi liceat rusticos ipsos tamquam votorum debitores sub examine prædicti Regis, quandoquidem tibi alias eorumdem votorum solutio denegatur, super eisdem votis remoto cujuslibet appellationis vel contradictionis obstaculo convenire.* Recte causam hujusce census ad forum regium pertinere responsum: quia erat res pecuniaria & temporalis, quæ præstabatur a laicis regiæ jurisdictioni subjectis, & in solutione & exactione census versabatur causa possessionis, quæ ad Regem pertinet, non ad ecclesiam; *cap. causam quæ 7. qui filii sint legitim.* Emersit & alia quæstio eodem de censu: nempe religiosi militares, & alii, hujusce census onus præstare recusabant: sed re cognita Pontifex edixit *eod. lib. 2. epist.* 138. ut ecclesiæ Compostellanæ debitum censum ex asse persolverent. Suborta est & tertia quæstio, qua mensura census iste solvendus esset. Archiepiscopus Compostellanus hunc censum, ad communem regionis mensuram solvendum esse contendebat: quod juvari potest ratione juris civilis, ex qua si quæratur, qua mensura res venierit, in dubio sequenda est communis mensura regionis; *l. Imperatores, ff. de contrah. empt.* Re disceptata Pontifex definiit, si ad unam eandemque mensuram census persolutus esset, ad eandem in posterum solvi debere: quod si variis mensuris, ad minorem solvendum esse, quod cum hujusmodi vota gratuita fuerint ab initio, benignius sint a viris ecclesiasticis exigenda: & hæc est sententia *cap. ex parte, de censib.* Hunc censum sua ætate solvi solitum, testis est Rodericus Toletanus scriptor horum temporum lib. 4. cap. 13. *Tunc etiam vota & donaria beato Jacobo persolverunt, & in aliquibus locis non ex tristitia, aut ex necessitate, sed devotione voluntate adhuc solvunt.* Quinimmo & census iste duravit usque ad postrema tempora: nonnullis locis adhuc solvi, & ipsius Ranimiri litteras de ea re extare, & singulis annis in ecclesiis metropoli Compostellanæ subjectis recitari, scripsit centum ante annos Joannes Vasæus, *loco modo laudato.* Præclara hæc Hispanicæ in D. Jacobum pietatis monumenta, quæ lubens, & sine livore profero: sed & nostra non desunt. Ex voto Carolus M. ob res feliciter in Hispania gestas adversum Saracenos, annuum quatuor nummorum censum Jacobo, & Compostellanæ ecclesiæ viritim solvendum imperavit; Turpinus de gestis Caroli M. cap. 19. *Et subjugavit Rex eidem ecclesiæ totam terram Hispanicam & Gallicianam, deditque ei in dote, præcipiens, ut unusquisque possessor domus totius Hispaniæ & Galliciæ, quatuor nummos annuatim ex debito daret, & ab omni servitute, Rege præcipiente, liberi essent.* Fertur & idem Carolus M. parem censum ex voto constituisse Dionysio, & ejus basilicæ, & servos qui ultro hunc censum erogarent libertate donasse, ita ut hoc pacto manumissi, Franci Dionysii vocarentur: de quo idem Turpinus *cap.* 31. & præter eum Lupoldus Bambergensis, *de zelo veter. Princip. Germanor. cap.* 11. Ex voto etiam primitias seminis D. Genulfo annuatim solvisse memorantur populares agri Sigagalomensis in Nivernensi diœcesi; testis vetustissimus auctor vit. S. Genulfi, lib. 2. cap. 20. *Ibi vero quantam gratiam suam Deus meritis hujus beati præsulis Genulfi terræ illius incolis præstiterit gratum memorare videtur: cultores siquidem agrorum circumjacentium votivum sibi fecerunt usum, ut sementis tempore portionem seminis, quantum sibi videretur, ad ecclesiam ipsam quisque deferret, ac sancto confessori ad usus sacerdotis, qui divinam ibidem mysteria celebraret, devotus offerret, ut ejus meritis eorum segetes, vel a fulgure & tempestatibus, sive adversis aeris corruptionibus illæsæ servarentur.* Pari religione primitiæ seminis ab Anglis ecclesiæ persolu-

solutæ leguntur; Ingulphus, in chronic. Croyland. *Et in festivitate sancti Martini primitiæ seminum ad ecclesiam, sub cujus parochia quisque degit, quæ Anglice Kirkset nominantur*. Ex voto quoque Terracinenses, suasu Joannis Episcopi sui, censum annuum sex millium anguillarum Cassinensi cœnobio promisere; auctor est Leo Ostiensis, *lib. 2. chron. Cassinens. cap.* 13. Et hæc de piis ex voto censibus. Ego ne omnino immunis & asymbolus abeam, hunc juniorum studiorum censum pietati dico.

C A P. XVI.

Census a Christianis præstitus pro libertate Christiani nominis. Fiscus Judaicus. Vectigal feneratorum.

SÆVIS temporibus sub censu fuit & Christianæ religionis professio: fortiores & meliores Christiani profitendi libertatem non alio pretio, quam periculo vitæ, & spe martyrii redemerunt: nec ab Imperatoribus excogitatum quodpiam vectigal pro remissione persecutionis: sed id, proh pudor! ab ignavis & imbellibus Christianis ultro oblatum securitatis parandæ causa, neve a beneficiariis Principis & curiosis inquirerentur; Tertullian. de fuga in persecut. cap. 12. *Tanta cottidie ærario augendo prospiciuntur remedia censuum, vectigalium, collationum, stipendiorum, nec umquam usque adhuc ex Christianis tale aliquid prospectum est, sub aliquam redemptionem capitis, & sectæ redigendis, cum tantæ multitudinis nemini ignotæ fructus ingens meti posset*. Et paulo inferius. *Massaliter totæ ecclesiæ tributum sibi irrogaverunt, nescio dolendum, an erubescendum sit, cum in matricibus beneficiariorum, & curiosorum, inter tabernarios & lanios & fures balnearum, & aleones, & lenones, Christiani quoque vectigales continentur? Hanc episcopatui formam Apostoli providentius condiderunt, ut regno suo securi frui possint sub obtentu procurandi*. Persecutionis clades fuit ingens lapsorum numerus, quorum alii sacrificati, qui idolis sacrificassent, alii libellatici dicti, qui a Christi cultu non recederent, sed a magistratu libellum securitatis acciperent, pretio numerato; Cyprianus epist. 52. (al. 55.) ad Antonianum: *Nec tu existimes, frater carissime, libellaticos cum sacrificatis æquari oportere; quando inter ipsos etiam qui sacrificaverint & conditio & causa diversa sit... Cum ergo inter ipsos, qui sacrificarint, multa sit diversitas, quæ inclementia esset, & quam acerba duritia libellaticos cum iis qui sacrificarint jungere? quando is cui libellus acceptus est, dicat: ego prius legeram, & Episcopo tractante cognoveram, non sacrificandum idolis, nec simulacra servum Dei adorare debere; & idcirco ne hoc facerem, quod non licebat (cum occasio libelli fuisset oblata, quem nec ipsum acciperem, nisi ostensa fuisset occasio) ad magistratum vel veni, vel alio eunte mandavi; Christianum me esse, sacrificare mihi non licere, ad aras diaboli me venire non posse, dare me ob hoc præmium, ne quod non licet faciam*. Eisdem temporibus & Judæi per universas provincias orbis Romani sparsi, Judaicæ religionis colendæ libertate usi sunt, non sine censu & collatione; Tertullian. apologetic. cap. 18. *Sed & Judæi palam lectitant, vectigalis libertas vulgo aditur, sabbatis omnibus*. Eo nomine Judæi a Tito jussi sunt binas drachmas quotannis pensitare viritim Jovi Capitolino; Xiphilinus in Vespasiano: *καὶ ἀπ' ἐκείνου δίδραχμον ἐτάχθη, τοὺς τὰ πάτρια αὐτῶν ἔθη περιστέλλοντας τῷ Καπιτωλίῳ Διί. Ab eo jussi sunt didrachmum pendere Jovi Capitolino, ii qui patrias eorum leges tuerentur*. Eo spectavit Martialis lib. 7. epigr. 54.

Sed quæ de Solymis venis perustis
Damnatam modo mentulam tributis.

Id tributi fiscum Judaicum vocat Sueton. in Domitian. cap. 12. *Præter ceteros Judaicus fiscus acerbissime actus est.* Post Constantinum æque & Judæi anniversarium canonem fisco persolverunt auri coronarii nomine ; *l. Judæorum, C. de Judæis.* Exin discisso in varias ditiones Imperio, Judæi in his degentes patriæ religionis licentiam pecunia redimere coacti; Petrus Blesensis epist. 91. ad Radulfum Lexoviens. Episcopum: *Sane quod domino Regi donas sicut ceteri fœneratores, aut Judæi, quoddam tributariæ functionis onus est, & imago quædam Judaicæ servitutis.* Ne vero Judæi ad hujusmodi vectigal præstandum vinculis compelli possent, constituit Gregor. IX. Matthæus Paris. ad ann. 1235. *Eodem anno Judæi privilegium impetrarunt a Pontifice Romano, ne a Regibus, aut Principibus pro exactione pecuniæ turpiter tractarentur, vel in carcere truderentur.* Nec tributum a Judæis exactum ob compendium fisci, sed ut vexationis sensu daretur intellectus. Eodem animo rusticos paganos in Sardinia Insula superstites, ut ad sanam frugem revocarentur, vectigalium mole quassandos scribit Gregorius I. lib. 3. epist. 26. ad Januarium Calaritanum Episcopum: *Jam vero si rusticus tantæ perfidiæ & obstinationis fuerit inventus, ut ad Deum minime venire consentiat, tanto pensionis onere gravandus est, ut ipsa exactionis suæ pœna compellatur ad rectitudinem festinare, can. jam vero, 23. qu. 6.* Eodem animo institutum vectigal lenonum & meretricum; de quo Tertull. *loco supra laudato*, & alii: & vectigal fœneratorum, de quo Augustin. in psalm. 54. (num. 14.) *Fœnus & professionem habet, fœnus etiam ars vocatur; corpus dicitur, corpus quasi necessarium civitati, & de professione sua vectigal impendit.* Ea est natura hominum, sunt quidam, qui ad rectum cogendi vi & tormentis; Seneca epist. 52. *Præter hæc adhuc invenies aliud genus hominum, ne ipsum quidem fastidiendum, eorum qui cogi ad rectum compellique possunt: quibus non duce tantum opus sit, sed adjutore, &, ut ita dicam, coactore.* Et hæc de censibus observatu digniora delibasse sufficiat.

DIS-

DISSERTATIONUM

JURIS CANONICI

LIBER V. ET VI.

DE PAROCHIS, DEQUE OFFICIO

& poteſtate parochi.

AUCTORE

ANT. DADINO ALTESERRA.

DOMINO NOSTRO
JESU CHRISTO
DEO OPTIMO MAXIMO.



OMINE DEUS MEUS, *otii rationem reddíturus, hos tibi de parochiis & parochorum munere supplex devotusque libellos offero, qualescumque otii litterarii partus. Merito tibi dicatur opera, quæ pertinet ad ecclesiam, ubi populus collectus, uno corde, uno ore te colit, ubi presbyter quotidie tibi pro plebe sacrificat, ubi tu ipse, Domine, sacrificium imples, & sacerdos & victima. Nec tuo numine indignum quod offero, etsi enim exile sit manus meæ pretium, totum cæleste & divinum est parochi munus, quod illic exponitur. Non plebejum & vile plebani officium, quod versatur in cura animarum, id est præstantissima artium,* Ars artium, regimen animarum. *Quale quantumque ministerium hominis! qui te, Deus æterne, verbo de cælo evocat, qui corpus tuum verbo paris, & ineffabili mysterio partum sibi plebique in pabulum habet. Te hujus operis Antistitem optimo jure laudo & auctorem, per te scimus & intelligimus quicquid mente assequimur, tuo de spiritu manant exempla rerum, & quicquid de mortalium ingeniis miramur insania est, si aliud inibi miremur, quam tuum beneficium, & charisma. Scis, Domine, quo consilio hæc scripserim, non quo presbyteri dignitatis fiducia tumeant, cervicemque erigant adversus Episcopos, sed quo dignitatis memores, ad ipsius amussim, vitam, moresque componant. Nec laudis studium ad scribendum sollicitat, satis mihi quam mediocris conscius sum facultatis, sed quantuluscumque sit studiorum successus, vel minimi beneficii ingens est gratia. Nihil apud me, Domine, quod a te non acceperim, totum illud tibi acceptum refero, totum id tui in numinis cultum devo-*

Lib. 5. contr. Julian. *veo: Æternum hærebit animo hæc Augustini sententia*: Una est optima causa studiorum, ut honoretur Deus.

ANT. DADINUS ALTESERRA.

Tolosæ XV. sept. M. DC. LIV.

DIS-



DISSERTATIONUM JURIS CANONICI, LIBER QUINTUS.

De parochiis, deque officio & poteſtate parochi.

CAPUT I.

Parochia quid ſit. Parochiæ varia etymologia & acceptio. Parochia etiam pro diœceſi, alias diœceſis pro parochia.



PAROCHIA, ut a definitione rei operam exordiamur, eſt congregatio plebis, quæ fit intra unam & eandem eccleſiam ſacrorum participandorum gratia. Vel vicinia, ſeu territorium ipſum, cujus plebs intra unam eandemque eccleſiam ſolet convenire religionis cauſa. Vel etiam eodem nomine ſignificatur ædes ſacra, in qua conventus populi ſacrorum cauſa celebratur. Haud ſecus atque eccleſiæ nomine intelligitur congregatio fidelium, vel locus ſacer, ubi plebs congregatur; Auguſtinus in Levitic. quæſt. 57. *Sicut eccleſia dicitur locus, quo eccleſia congregatur, nam eccleſia homines ſunt, de quibus dicitur, ut exhiberet ſibi glorioſam eccleſiam.* Parochiæ non una & conſtans eſt lectio: alii legunt parochiam, alii parœciam malunt, utriusque eadem ſignificatio, ſed diverſa origo; parochiæ enim etymon ducitur a Græco *παρέχειν* quod eſt præbere, quia ſacra myſteria ibi præbentur, & hoc ſenſu, Spiritum ſanctum gratiarum *πάροχον largitorem*, ſeu, *dispenſatorem* vocat Cyrill. Hieroſolym. catecheſ. 16. (cap. 22.) *βλέπε τὸν μέγαν προστάτην, καὶ τὸν χαρισμάτων*

πάροχον : *respice magnum hunc præsulem, & gratiarum parochum*. Eadem analogia apud veteres parochi dicebantur, qui habebant curam hospitum recipiendorum; de quibus Horatius sermon. 1. satyr. 5. (46).

. . . . *& parochi, quæ debent ligna, salemque,*

Et idem sermon. 2. satyr. 8. (35. & seq.)

Tum parochi faciem, nil sic metuentis ut acris
Potores :

Unde & iidem xenoparochi dicti, quorum munus publicum fuit; ut docet Charisius; *l. munerum*, 18. §. *hi quoque, ff. de mun. & honor.* & parochia est munus ejus, qui habebat curam hospitum publice recipiendorum; M. Tullius ad Atticum lib. 13. epist. 2. *Omnino eum Sestius noster † parochus publicus occupavit*. Parœcia vero originem repetit à Græco *παροικεῖν*, quod est *accolere*, quia parochiani ædem juxta habitant, quo facilius conveniant, & præsentius numen colant: & rectius legitur parœcia: hac voce usus est Augustinus lib. 24. de civit. Dei, cap. 24. *Presbyter fuit quidam nomine Restitutus in parœcia Calamensis ecclesiæ*. *παροικία* Græcis est vicinia: quod LXX. interpretes in psalmum 119. dixere *παροικίαν*, Latini verterunt *incolatum*. Unde & *πάροικοι* Græcis sunt *accolæ*, seu juxta habitantes; auctore Pomponio; *l. pupillus*, 239. §. *incola, ff. de V. S.* Parœciæ, ut hoc addamus, varia est significatio, modo latior, modo angustior: aliquando enim significat diœcesim qua patet ditio episcopalis, ut in *Nicæn. conc. can.* 16. *Antioch. can.* 3. & 21. *Tolet. IX. can.* 5. *can. bonæ rei*, 12. *qu.* 2. *cap. apostolica, de donat.* quod tota diœcesis sit parochia Episcopi. Hoc significatu Timotheus Ephesinæ parœciæ *τῆς ἐν Ἐφέσῳ παροικίας*, primus episcopatum obtinuisse scribitur Eusebio *lib.* 3. *cap.* 4. & hac analogia nominis, parœcianus sumitur pro diœcesano, ut in *conc. Compendiensi, can.*5. & *Meldensi, can.*2. *can. placuit, can. de illis*, 6. *qu.* 3. promiscue & diœcesis accipitur pro privata parochia, ut in *conc. Tolet. III. can.* 20. *Cabillonensi II. can.* 14. *Agathensi, can.* 54. *can. quia cognovimus, can. cavendum*, 10. *qu.* 3. *can. presbyter*, 12. *qu.*4. & ita accipiendus est *can.* 5. *conc. Carth. II. & can.* 20. *conc. African. can. Felix, can. multis*, 16. *qu.* 1. *diœceses, quæ nunquam Episcopos habuerunt, non habeant*, id est ut ecclesiæ, quæ hactenus paruerunt presbyteris, in episcopales sedes non tollantur: & ita quas diœceses primum vocavit Gregor. Turonensis, mox idem parochias vocat, lib. 6. hist. Franc. cap. 38. de Innocentio Rutenensi Episcopo: *Sed adsumpto episcopatu confestim Ursicinum Cadurcinæ urbis Episcopum lacessere cœpit, dicens, quia diœceses Rutenæ ecclesiæ debitas retineret: unde factum est ut diuturna intentione gliscente post aliquot annos conjunctus Metropolitanis cum suis provincialibus, apud urbem Arvernam residens judicium emanaret; scilicet ut parochias, quas numquam Rutena ecclesia tenuisse recoleretur, reciperet*. Et idem, cap. seq. de Sulpitio Bituricensi Episcopo: *Hic synodum illam, cujus supra meminimus, pro parochiis Cadurcinis fieri commonuit*. Diœceses pro parœciis usurpavit & idem aliis locis, ut lib. 5. cap. 5. de Munderico: *Apud Arisitensem vicum Episcopus instituitur, habens sub se plus minus diœceses quindecim, quas primum Gothi quidam tenuerant*. Et idem eodem loco de Pappolo Lingonensi Episcopo: *Anno octavo episcopatus sui dum diœceses ac villas ecclesiæ circumiret, quadam nocte dormienti apparuit illi B. Tetricus*.

CA-

C A P. II.

Paræciæ varia nomina. Titulus. Matrix. Baptismalis ecclesia. Plebania, unde plebanus, pro rectore. Basilica. Cura. Ipsa paræciæ plebes dictæ. Ecclesiæ nomine intelligitur parochialis.

PARŒCIÆ varia est nomenclatura: primum in urbe Roma parœciæ tituli dicti ab ecclesiæ cunabulis. Hoc sensu Evaristus primus in urbe titulos presbyteris divisisse scribitur: deinde etiam extra urbem parœciales ecclesias titulos vocari usus obtinuit. Unde Africani conc. *can.* 36. Episcopus vetatur distrahere rem tituli matricis ecclesiæ; *can. non habenti*, 12. *qu.* 2. & ut tituli Cardinales dicerentur etiam parœciæ extra urbem usu percrebuit: synod. Meldens. can. 54. *Ut titulos cardinales in urbibus, vel suburbiis constitutos, Episcopi canonice & honeste sine retractatione ordinent, & disponant*. Unde hoc manarit, quærit Baronius *tom.* 2. *annal. ad ann.* 112. & inde ecclesias titulos dictas tentat, quod ædibus sacris apponeretur titulus, nempe signum crucis. Scio equidem etiam privatis ædibus titulos apponi moris fuisse, quo notum fieret quis esset dominus vel possessor ædium; August. in psal. 55. *Sicut aliquam domum intraturi, cujus sit & ad quem pertineat, in titulo inspicimus, ne forte importune irruamus quo non oportet*. Sed vix est ut per tempora persecutionis hujusmodi tituli adscriberentur ecclesiis, ne per eos tolleretur libertas synaxium, & passim fideles exponerentur furori paganorum, titulorum sacrarum ædium indicio proditi. Probabilius est, quod idem addit, alia ratione ecclesias dictas esse titulos, quod qui ecclesiæ imponeretur, ab ea nomen, titulumque reciperet, ut ejus loci presbyter diceretur. Parœcia etiam matrix vocitatur, quod, sicut mater, per baptismum filios in Christo pariat: magis proprie tamen ea dicitur matrix quæ habet capellas sub se, id est ecclesias succursuales, quæ in subsidium erectæ sunt, ut in *cap. ad audientiam* 3. *de eccles. ædificand.* ubi excrescente plebe, vel reditu, ecclesiam ædificare licet in finibus majoris ecclesiæ; ita ut competens honor pro facultate loci ecclesiæ matrici servetur: & eodem sensu capellam matrici ecclesiæ restitui jubetur in *cap. ex parte*, 12. *de rescript.* Alias latiori significatione, per matricem intelligitur cathedralis ecclesia, ut in *d. can. non habenti*, & *cap. venerabili*, *de V. S.* Eadem vocatur ecclesia baptismalis, ut in *can. statuimus*, 16. *qu.* 1. quod ibi baptismus sacramentorum caput & fundamentum ministretur: unde ne extra baptismalem ecclesiam baptismus ministretur, vetat synod. Meldens. can. 48. *Ut nemo presbyterorum baptizare præsumat, nisi in vicis & ecclesiis baptismalibus*. Baptisterium vocat Sidonius quam in Rutenis consecravit ecclesiam, ab Elaphio, qui eam condiderat, invitatus, forte tum Rutenorum ecclesia Pontifice viduata; testis ipse lib. 2. epist. 15. ad Elaphium: *Nam baptisterium, quod olim fabricabimini, scribitis posse jam consecrari, ad quæ festa vos voti, nos ministerii, officii multos, fidei totos causa solicitat*. Eandem ipsam plebaniam dici tritum est, a plebe, quæ ibi synaxis celebrandæ causa congregabatur, ut in *cap. statutum, ne cler. vel monach. secular. negot. se immisc. in 6.* quo de fonte & plebanus vocatur rector ecclesiæ, qui præpositus est plebi; *cap. scriptum est, de elect. cap. cum ab ecclesiarum, de offic. jud. ordinar. cap. cum olim, de præscript. & cap. ult. ne cleric. vel monach.* & vicissim plebanus dicitur parochianus, quod in plebe numeretur; conc. Nannetens. can. 2. *Nullus presbyter, aut diaconus alterius plebanum, nisi in itinere fuerit, vel placitum ibi habuerit, ad missam recipere audeat*, *can. nullus presbyter*, 9. *qu.* 2. Non-

nulli plebaniam distinguunt a parœcia, quod hæc unam tantum ecclesiam continet, plebania plures capellas seu ædes succursuales sub se habet; *ex d. cap. statutum*. Basilicæ nomen etiam non denegatum parœciali ecclesiæ; *conc. Tolet. VII. can. 4. can. inter cetera*, 10. *qu.* 3. *& Aurelianens. I. can.* 19. *can. omnes basilica*, 16. *qu.* 7. hoc nomine jam olim celebrata basilica S. Mariæ Tolosæ, quam Deauratam vocamus; Gregor. Turonens. lib. 7. hist. Franc. cap. 10. *Rigunthis vero in basilica sanctæ Mariæ Tolosæ, in quam Ragnovaldi uxor Chilpericum metuens confugerat, residebat*. Denique parœciæ vernaculum nomen est cura, quod ibi animarum cura & solicitudo habeatur; conc. Aquisgranens. I. sub Ludovico P. can. 108. *Itaque sacerdos, cui dispensationis cura commissa est*, &c. Et Bernard. epist. 42. ad Henricum Senonens. Archiepisc. *Ceterum curritur in clero passim ab omni ætate & ordine, a doctis pariter & indoctis, ad ecclesiasticas curas, tanquam sine curis jam quisque victurus sit, cum ad curas pervenerit*. Inde rectores parœcialium ecclesiarum curiones seu curati vulgo denominati; *clem. dudum*, §. † *per hujusmodi, de sepult.* Ipsas etiam parœcias plebes dici non omittendum, quod ibi plebis conventus celebretur. Hoc sensu conc. Carthag. I. can. 12. sancivit, ut pacta inter Episcopos de divisione plebium serventur, & Carthag. III. can. 66. *ut plebes, quæ numquam Episcopos habuerunt, non nisi cum voluntate ejus Episcopi, a quo tenentur, proprios accipiant Episcopos*, quod repetitum est ex conc. Africani, *can.* 20. *can. multis*, 16. *qu.* 1. eademque ratione synodus Ravenn. cap. ult. de offic. archipresb. *Ut singulæ plebes archipresbyterum habeant: .... nec contendat Episcopus, non egere plebem archipresbytero ... & sicut ipse matrici ecclesiæ præest, ita archipresbyteri præsint plebibus*. Hoc sensu etiam plebes sæcularibus tradi, & lethale his venenum, quasi beneficium, propinari, expostulat Petr. Dam. lib. 4. epist. 13. *Sunt etiam qui plebes sæcularibus tradant, ii nimirum tanto gravius delinquunt, quanto & sacrilegium committere convincuntur, quia & sancta profanantur, & his, quibus quasi beneficium prærogatur, venenum lethale propinant*. Denique in dubio ecclesiæ nomine intelligitur parœcialis, non cathedralis, ut legatum ecclesiæ relictum, in dubio relictum intelligitur ecclesiæ parœciali loci, ubi testator domicilium habuit; *l. si quis*, 49. §. 2. *&* 3. *C. de Episc. & cleric. nov. Just.* 131. *cap.* 9. *Tiraq. de privileg. pia caus. privileg.* 56. *num.* 1.

C A P. III.

Parœciæ varia signa. Parœcialis intelligitur, quæ habet suum clerum, & plebem, & certos fines; vel cujus rector habet curam animarum, administrationem sacramentorum, & potestatem fori pænitentialis. Ejusdem signa æquivoca. Fons baptismalis, solutio & exactio decimarum, sepultura, seu cœmeterium, campanile & campana, prehensio possessionis per funem campanæ. Parochiæ signum & jus litaniæ, seu processionis cum crucis prælatione. Præter crucem in processionibus præfertur banerium, seu labarum. Jus processionis argumentum jurisdictionis, vel societatis inter ecclesias. In dubio beneficium non intelligitur curatum.

PARŒCIÆ varia & multiplicia sunt signa. Ecclesia parœcialis seu curata intelligitur, quæ habet clerum suum & populum, & territorium certis finibus distinctum; *can. ecclesias*, 13. *qu.* 1. unaquæque ecclesia certos terminos habere debet, ne populus vagetur incerto duce: unde plures ecclesiæ baptismales in una terminatione, id est in uno eodemque territorio, esse non possunt, sed

sed una tantummodo cum suis capellis; *can. plures baptismales*, 16. *qu.* 1. Dixi paroecias habere suum clerum, id est certum numerum clericorum pro facultatibus ecclesiæ, quos canonicos vocat conc. Arvernens. I. can. 14. *Si quis ex presbyteris & diaconis, qui neque in civitate, neque in parochiis canonicus esse dignoscitur*. Nimirum canonici dicti, quod essent inscripti in canone & matricula ecclesiæ: sic & archipresbyter suum clerum, & suos canonicos habuit; synod. Turonens. II. can. 20. *Quotiescumque archipresbyter seu in vico manserit, seu ad villam suam ambulaverit, unus lector canonicorum suorum, aut certus aliquis de numero clericorum cum illo ambulet*. Parœcialis ecclesia signatur & ea, cujus rector habet curam animarum, administrationem sacramentorum, & potestatem fori pœnitentialis; *cap. omnis utriusque, de pœnit. & remiss.* Et curatus dicitur, qui curam animarum exercet nomine suo, non alieno; *cap. extirpandæ*, §. *qui vero, de præbend.* ita ut unus habeat regimen ecclesiæ, non cum aliis, quia una & eadem parœcia non potest habere duos vel plures presbyteros; *can. sicut* † *in unaquaque*, 21. *qu.* 2. *cap. cum non ignores, de præbend.* Oldrad. *consf.* 67. Sunt & alia frequentiora parœciarum signa, ut baptisterium, seu fons baptismalis, unde parœciæ dicuntur ecclesiæ baptismales; *can. plures* †. *baptismales*, 16. *qu.* 1. tamen fons baptismalis non est certum & perpetuum signum parœciæ, quia ex consuetudine, vel speciali concessione, etiam capellæ quandoque baptismali fonte adornantur. Sepultura quoque, seu cœmeterium, est signum commune parœciæ; *cap. cum olim, de præscript.* jure enim communi parœcianus est sepeliendus in parœciali ecclesia, a qua dum vixit salutis pabulum percepit, nisi alibi sepulturam elegerit; *cap.* 1. *cap. de his, de sepultur. cap. is qui, eod. tit. in* 6. *clem. dudum, eod. tit.* Hoc argumento capellam quamdam ad parochiam de Tyra pertinere, quod corpora defunctorum ad dictam capellam pertinentia in dicta ecclesia sepelirentur, probare nititur Jo. Saresberiens. epist. 10. *Tum quia ad advocationem ejusdem domini æqualiter utraque pertinere videbatur, quia eamdem capellam in parochia de Tyra sitam esse asserebant: postremo quia corpora defunctorum ad capellam pertinentia ex jure consuetudinis in sæpedicta ecclesia sepeliebantur*. Tamen & hoc signum est fallax, & sepultura non efficit ecclesiam curatam, quod cœmeterium absque cura haberi possit ex consuetudine, vel beneficio Episcopi; Fredericus Senensis *consil.* 135. Hostiens. *in cap. quia nonnulli, de cleric. non resid.* Exactio & perceptio decimarum etiam inter signa parœciæ connumeratur; *d. cap. cum olim*, quod jure communi decimæ debeantur parœciali ecclesiæ; *cap. cum in tua, de decim.* unde ne decimæ extra baptismalem ecclesiam dentur, vetat *can. statuimus*, 16. *qu.* 1. & capitulare Caroli M. *lib.* 7. *cap.* 5. Sed & hoc signum non semper certum est, quod præter parochos alii percipiunt decimas ex consuetudine præscripta, vel privilegio. Inter parœciæ signa addatur campanile & campana. Campanarum usus antiquissimus est in ecclesia. Parœciarum insigne eas esse intelligere est ex eo, quod olim Episcopi & alii prælati ecclesiarum non ferebant religiosos habere campanam, vel cœmeterium benedictum, quod improbat Gregorius IX. in *cap. nimis iniqua, de excess. prælat.* & mendicantibus plures campanas habere non licet, sine summi Pontificis licentia; *extravag. un. de offic. custod. in communib.* & quod argumento est, campanam esse parochialitatis insigne, solemnis missio in possessionem parochialis ecclesiæ solet fieri per prehensionem funis campanæ, vel pulsationem campanæ, quod & in episcopali ecclesia usu celebratum docet Baldricus Noviomensis lib. 1. chron. Camerac. cap. 90. *Nam cum dignitatis tanto munere suscepto rediret, adeo quippe æstu torrente fatigatus est, ut cum ad ecclesiam usque pervenerit, vix campanam, cujus tintinnabulo episcopii dignitatem vendicandam sibi indicare deberet, vix, inquam, præ molestia ægritudinis movere potuerit*. Et pari æmulatione investituram abbatiæ per funem campanæ factam observo ex Inno-

cent. III. lib. 2. epist. 335. *Exinde ad ecclesiam pariter accedentibus, Episcopus in sede abbatis illum constituens, per funem campanæ, sicut moris est, investivit.* Nec non possessio apprehendi potest per inspectionem turris ecclesiæ seu campanilis, si forte accedere non liceat ob vim hostium, vel pestem, vel aliam vim majorem; *l. quod meo, §. si venditorem, ff. de adquir. possess.* Præter hæc parochialis ecclesiæ *σημεῖον* est jus litaniæ & processionis, & præferendæ crucis in processu ad ecclesias vel capellas subditas: antiquissimus in ecclesia est usus litaniarum, seu processionum cum crucis prælatione. Litanias & processiones prælatis crucibus argenteis & cereis facibus in ecclesia Constantinopolitana instituit Joannes Chrysostomus, æmulatioue Arianorum; auctores sunt Socrat. *lib. 6. cap.* 8. Sozomen. *lib.* 8. *cap.* 8. Nicephor. *lib.* 13. *cap.* 8. Processionum usum cum crucis prælatione non uno exemplo comprobat Gregor. Turon. de glor. confess. cap. 79. *Adsumpta igitur palla de Beati sepulcro componunt in modum feretri, accensisque super cruces cereis, atque ceroferalibus, dant voces in canticis, circumeunt urbem cum vicis.* Et idem lib. 10. hist. Franc. cap. 9. *Ebraccharius vero usque Venetias urbem accessit; miserat enim ad eum obviam Episcopus Regalis clericos suos cum crucibus & psallentio, qui eos usque ad urbem deduxerunt.* Ac demum ne litaniæ a plebe fierent sine Episcopo & cruce, vetuit *nov. Justin.* † 123. *cap.* 32. præter crucem, in litaniis præfertur & vexillum purpureum forma quadratum crucis labaro insigne, quod vocant baneriam; de quo Guillelmus Brito lib. 11. Philippid.

Vexillum simplex cendato simplice textum
Splendoris rubri, lethania qualiter uti
Ecclesiana solet certis ex more diebus.

Jus processionis, inquam, est signum parœcialis ecclesiæ, quia id est argumentum jurisdictionis. Hoc argumento abbas Eveshamiensis in Anglia nitebatur probare adversus Vigorniensem Episcopum, ecclesias, quæ sitæ essent in valle de Mortana, sibi pleno jure subjectas esse, quod solemni ex more eas per dies pentecostes cum processione adire soleret: e contra Vigorniensis Episcopus allegabat præscriptionis interruptionem circa processionem pentecostalem in Villa & ecclesia de Mortana; *cap. auditis, de præscript.* Sic abbas S. Zenonis Veronensis contendebat, ecclesiam S. Proculi sibi pleno jure esse subjectam, videlicet in institutione & destitutione archipresbyteri, ejusdem fidelitate, & obedientia, correctione, repræsentatione ad ordines, tonsuratione, susceptione chrismatis, litaniis, & aliis similibus, per quæ plena subjectio probatur; *cap. cum inter, de sent. & re judicat.* Ita Clarembaldus S. Augustini Cantuariensis prior electus, a Thoma Cantuariensi Archiepiscopo sese benedici adnuebat, sed in sua ecclesia, & sine processione; ita ut Archiepiscopus processionem non duceret, quo omnis subjectionis suspicio abesset; Matth. Paris. ad ann. † 1163. *Eodem anno Clarembaldus sancti Augustini electus, benedictionem a Thoma Cantuariensi Archiepiscopo accipere quærebat: sed in sua ecclesia, & sine processione, ut suspicio subjectionis in posterum prorsus adempta esset.* Alias jus processionis est signum fraternitatis & societatis inter ecclesias: hoc jure cum clerici S. Hilarii Pictaviensis ex more cum reliquiis & plebe sua, matricem ecclesiam per rogationes adire solerent, per injuriam se a canonicis matricis ecclesiæ repulsos jure conquesti; Gregor. VII. lib. 1. epist. 73. ad Isembertum Pictaviensem Episcopum: *Clerici sancti Hilarii questi sunt, se ex antiqua consuetudine cum sanctis reliquiis & plebe sua matricem ecclesiam in rogationibus adiisse, & a canonicis majoris ecclesiæ per contumeliam sibi fores occlusas fuisse.* Dixi jus crucis præferendæ esse signum parochialis ecclesiæ: hoc adeo verum est, ut religiosi etiam exempti, non possint per alienam parochiam, invito rectore, cum cruce levata & processione progredi ad efferendum corpus ejus, qui apud eos elegit sepulturam: alioquin rectori datur actio injuriarum, & impune crux eis auser-

auferri potest; Oldrad. *consil.* 82. & 225. hæc sunt signa parœciarum. In dubio non præsumitur beneficium curatum, sed potius præsumitur, quod beneficium sit simplex: itaque qui dicit beneficium esse curatum, id probare debet: beneficium proprie intelligitur de beneficio simplici: unde mandatum de providendo de beneficio, non porrigitur ad beneficia curata; *cap. final. de præbend. cap. cum in illis, eod. tit. in 6.* & in impetratione beneficii, si non fiat mentio, quod sit curatum, gratia est ipso jure nulla; *clem.* 1. *eod. tit.*

C A P. IV.

Parochiarum origo ab Apostolis. Parochia in urbe distincta per Evaristum. Parochia a Dionysio verius restituta, quam instituta. Parochiæ urbanæ & rusticanæ. Parochiarum fines nullo tempore præscribuntur. Parochiæ sint non minus quam decem mancipia. Parochi comparantur centenariis & vicariis Comitum.

CUM primum Episcopi ab Apostolis per civitates ordinati, ab iisdem per vicos & minora municipia constituti presbyteri, ut constat ex ipsis gestis Apostolorum, *cap.* 14. ubi scriptum est, non prius Paulum & Barnabam Lycaonia migrasse, quam per singulas ecclesias presbyteros ordinassent. Anacletum Clementis successorem nonnulla de episcopatibus, & parœciis, & locis cuique congruis statuisse, docet ipsius epist. 3. cap. 2. *Episcopi non in castellis, aut modicis civitatibus debent constitui; sed presbyteri per castella & modicas civitates, atque villas debent ab Episcopis ordinari, & poni; singuli tamen per singulos titulos suos.* Nondum in urbe facta fuit parœciarum, seu titulorum divisio, rerum cura stante penes summum Pontificem, qui presbyteros huc illuc destinabat prout opus erat. Primus Evaristus titulos in urbe divisit presbyteris, *auctore Anastasio.* Nimirum cum jam plebs Christiana auctior esset, & in dies incrementum caperet, placuit parœcias & plebes dividi, singulisque suum presbyterum imponi, ne incerto duce plebs vagaretur, & ex incerto imperii confusio oriretur. Postea vero iniquitate temporum, & sævitia persecutionis, ac diutina vacatione ecclesiarum, perturbato & obliterato fere themate parœciarum: tandem reddita pace ecclesiæ a Gallieno, rursus a Dionysio divisæ parœciæ, suisque limitibus distinctæ: idque primum in urbe, tum in provinciis. De hujusmodi parœciarum divisione habetur Dionysii epistola ad Severum Cordubensem Episcopum: *De ecclesiis ergo parochianis, unde apostolicam sedem consulere voluisti, qualiter sint custodiendæ per Cordubensem provinciam, ac dividendæ sacerdotibus, nihil tuæ caritati melius nobis videtur intimare, quam ut sequaris quod nos in Romana ecclesia nuper egisse cognoscitur: ecclesias vero singulas singulis presbyteris dedimus, parochias & cœmeteria iis divisimus, & unicuique jus proprium habere statuimus: ita videlicet, ut nullus alterius parochiæ terras, terminos, aut jus invadat, sed unusquisque suis terminis sit contentus, & taliter ecclesiam & plebem sibi commissam custodiat, ut ante tribunal æterni judicis ex omnibus sibi commissis rationem reddas.* Quorum pars extat in *can. ecclesias,* 13. *qu.* 1. & *cap. pastoralis, de his quæ fiunt a præl. sine consens. capitul.* Quod enim ibi legitur, parœcias a Dionysio Papa divisas, & limitibus distinctas, non ita accipiendum est, ut ab eo primum institutas & limitibus signatas credas; sed potius restitutas, & in meliorem statum efformatas. Dices vix credibile esse per tempora persecutionis parœcias divisas, & finibus distinctas: sed nihil est quod hæreamus, quia per ea tempora congregationes plebium quotidie fieri solebant, tantus erat fervor Christianorum; Augustin. in

brevic. collat. (cap. 17.) *Respondebant, multo facilius duodecim homines in domum convenire potuisse eo tempore, quo etiam congregationes plebium fieri solebant, quamvis persecutione fervente, sicut ipsis gestis martyrum monstrabatur, qui confitebantur in passionibus suis, se collectam & Dominicum egisse.* Primum vero institutæ urbanæ parœciæ, tum vicanæ, seu rurales: prius scilicet soliciti fuere patres de instituenda per urbes religione, ea spe, quod ab urbibus facile manaret in agros: hoc forte consilio serius a Bricio Turonensi Episcopo, Martini æmulo, & successore, ecclesias per vicos institutas tradit Gregorius Turonensis, lib. 10. hist. Franc. cap. 30. *Hunc ferunt instituisse ecclesias per vicos:* quod ita intelligendum, ut ecclesias per vicos auctas potius, quam primum institutas credamus: nam & ab ipso Martini tempore fuisse vicanas ecclesias in Turonensi diœcesi, docet Severus Sulpitius scriptor, idemque testis vitæ D. Martini, dialogo 2. cap. 8. *Claudiomachus vicus est in confinio Biturigum atque Turonorum: ecclesia ibi est celebris religione sanctorum, nec minus gloriosa sacrarum virginum multitudo.* Et idem dialog. 3. cap. 9. *In vico autem Ambatiensi, id est castello illo veteri, quod nunc frequens habitatur a fratribus, idolum noveratis grandi opere constructum. Hujus destructionem Marcello ibidem consistenti presbytero, vir beatus sæpe mandaverat.* Et Martinum ipsum a militibus occurrentibus rheda fiscali vectis atrociter verberibus cæsum & vulneratum, dum rurestres diœcesis ecclesias lustraret, auctor est Paulinus lib. 2. de ejus vita,

Lustrabat caulas commissi pastor ovilis,
Queis pia rurestrem claudebat ecclesia plebem.

Hac ætate certus & compositus fuit status parœciarum & diœcesum: octingentas curæ suæ creditas ecclesias refert Theodoritus Cyrensis Episcopus, epist. 113. *καὶ ἐν ὀκτακοσίαις ἐκκλησίαις ἔλαχον ποιμαίνειν, τοσαύτας γὰρ ἡ Κύῤῥος παροικίας ἔχει. Et octingentarum ecclesiarum curam pastoralem sortitus, tot enim Cyrus habet parœcias.* Inde leges dictæ, ne status parœciarum ullo pacto mutetur, ne parœciarum termini ullo tempore præscribantur; *can. licet, can. inter, can. dilectio, 16. qu.* † 3. & si quæstio orta fuerit de finibus parœciarum, ut ea dirimatur per inspectores viros; *d. can. inter*, vel judicio utriusque plebis, & si plebes convenire nequeant, lis Dei judicio discernatur; *can. plures baptismales, 16. qu.* 1. id est judicio ecclesiastico, ut recte adnotat *glossa*. Ita, quæ fuit lis inter Innocentium Rutenensem Episcopum, & Ursicinum Cadurcensem Episcopum de finibus parochiarum, ea terminata in synodo provinciali, cui præfuit Sulpitius Bituricensis Episcopus; auctore Gregor. Turon. *lib. 6. hist. Francor. cap.* 38. *&* 39. Quibus locis locandæ essent parœciales ecclesiæ cautum est constitutione Anacleti, nempe ut Episcopi constituerentur per civitates, presbyteri per pagos & villas: ne vero tenuiores essent parœciæ, ne parœcia instituatur, nisi quæ saltem usque ad decem habuerit mancipia, alioquin aliis conjungatur ecclesiis, constitutum concil. Toletan. XVI. can. 4. *Ecclesia, quæ usque ad decem habuerit mancipia super se, habeat sacerdotem: quæ vero minus decem mancipia habuerit, aliis conjungatur ecclesiis, can. unio*, 10. *qu.* 3. Decem mancipia requiri parœciæ constituendæ causa notandum est, quod parœcia non habeatur sine plebe: decem autem faciunt plebem; *l. prætor* 4. §. *turbam* 3. *ff. vi bonor. raptor.* mancipiorum nomine intelliguntur parochiani, fideles enim laici pietatis studio sese ecclesiæ servos & mancipia profitentur. Quia vero mos fuit parochos disponi per minores pagos, centenariis & vicariis, qui erant pagorum judices sub dispositione Comitum, eosdem comparavit Valafridus Strabo, cap. ult. de ecclesiast. offic. *Centenarii, qui & centenariones, vel vicarii, qui per pagos statuti sunt, presbyteris plebium, qui baptismales ecclesias tenent, & minoribus presbyteris præsunt, conferri queunt.*

CAP.

C A P. V.

Parochiæ urbanæ dignitate potiores rusticanis. Parochi urbani dicti honoris causa presbyteri cardinales, & parochiæ urbanæ tituli cardinales. Rurales presbyteri ἐγχώριοι, vel ἐπιχώριοι, forastici, vel forenses presbyteri. Presbyteri urbis senatus ecclesiæ. Minores parochiæ μονάσια: Parochiæ Constantinopolitanæ, harum præfecti cur καθολικοὶ dicti.

PAROECIIS in urbe & rure semel constitutis, etsi hæ minime officiis distinguerentur, cum unum & commune omnibus sit cura animarum; tamen urbani parœci ex Episcopi contubernio & sedis dignitate, vicanis & ruralibus prælati sunt: & inde nata est distinctio parœciarum urbanarum & rusticarum. Rurales & vicanas parochias ἀγροικικὰς παροικίας, ἢ ἐγχωρίους vocat synod. Chalced. *can.* 17. & sexta in Trullo, *can.* 25. quibus cavetur, ut si Episcopus triginta annis rusticanas ecclesias possederit, tutus sit præscriptione longi temporis; quo coercerentur Episcopi, qui rurales ecclesias pro derelicto habebant. Distinctionis gratia parœci urbici dicti sunt cardinales, ut in *epist.* Zachar. Papæ VII. ad Pipinum Regem, de presbyteris agrorum, quam obedientiam debeant exhibere Episcopis & presbyteris cardinalibus: & eodem nomine urbanas ecclesias titulos cardinales vocat synod. Meldens. *can.* 54. Rurales vero presbyteri, quasi minores & deterioris conditionis, non presbyteri absolute dicti, sed affectata quadam denominatione & quasi cum elogio ἐγχώριοι, vel ἐπιχώριοι in *d. can.* 17. Chalced. synod. & Neocæsar. *can.* 13. Forastici presbyteri Martino Bracarensi in collectione canonum, *can.* 56. Forenses; capitular. *lib.* 5. *cap.* 222. quod essent foris, ac extra urbem. Ita in Concil. Tolet. III. *can.* 20. distinguuntur presbyteri locales & diœcesani; *can. quia cognovimus*, 10. *qu.* 3. & in Agathens. *can.* 22. civitatenses & diœcesani presbyteri; *can. statuimus*, 12. *qu.* 2. Ecclesias civiles & suburbanas distinguit Ivo Carnot. epist. 94. *Ecclesiæ tam civiles, quam suburbanæ, usque ad satisfactionem clauduntur*. Presbyteri urbis senatum ecclesiæ constituunt: sine horum consilio nihil majoris momenti Episcopo agere licet; Hieronym. ad Rusticum: *Ecclesia habet senatum cœtum presbyterorum, sine quorum consilio nihil monachis agere licet . . . Senatum quoque Romani habebant, cujus consilio cuncta agebant: & nos habemus senatum nostrum, cœtum presbyterorum*, *can. ecclesia*, 16. *qu.* 1. Et idem in Esaiæ cap. 3. *Et nos habemus in ecclesia senatum nostrum, cœtum presbyterorum*. Iisdem dupla portio debetur, quod sint senatus Episcopi, & ecclesiæ; auctor constit. apostolicar. lib. 2. cap. 28. τοῖς δὲ πρεσβυτέροις . . . διπλῆ, ἡ αὐτοῖς ἀφοριζέσθω ἡ μοῖρα εἰς χάριν τῶν τοῦ Κυρίου Ἀποστόλων, ὧν ἡ τὸν τόπον φυλάσσουσιν, ὡς σύμβουλοι τοῦ Ἐπισκόπου καὶ τῆς ἐκκλησίας στέφανος· εἰσὶ γὰρ συνέδριον ἡ βουλὴ τῆς ἐκκλησίας. *Presbyteris autem . . . dupla seponatur portio in gratiam Apostolorum Christi, quorum locum tenent, tamquam consiliarii Episcopi & ecclesiæ corona, sunt enim consilium & senatus ecclesiæ*. Presbyterorum ecclesiæ Romanæ chorum, senatum Christi dixit Pius Papa, epist. 1. & 2. ad Justum Viennens. *Salutat te senatus pauper Christi apud Romam constitutus*. Presbyteri rurales quasi minores non possunt celebrare in ecclesia cathedrali præsente Episcopo, & presbyteris urbis; ex concil. Neocæsar. *d. can.* 13. *can. presbyteri ult.* † 95. *dist.* Martin. Bracarens. *can.* 56. & *d. epist. Zachar. Papæ ad Pipinum*. Vicanis quoque presbyteris non licet dare canonicas epistolas; synod. Antiochen. *can.* 8. quia sunt minoris ordinis presbyteri πρωτοπαπάδας hic vocat Balsamo. Inter ipsas etiam vicanas & agrestes ecclesias dignitatis

etiam ratio habita est: aliæ fuerunt minores & infrequentiores, quas quod pauciores haberent accolas, Græci vocarunt μονοίκια, quasi unicam domum habentes: quæ frequentiores erant ἐγχώριαι dicebantur; ut observavit idem Balsamo, in d. *can.* 17. synod. Chalcedonens. frequentia enim, & plebis multitudo commendat ecclesiam, ejusque dignitatem auget; Auson. epist. 13. ad Paulin.

Celebrique frequens ecclesia vico.

In urbe Constantinopoli plures erant parœciales ecclesiæ, quarum præfecti κατωκοίλοι dicebantur, ex Codino, *de officiis aulæ Constantinopolitanæ*, quasi κατὰ τὰς κοιλάδας, *juxta valles*, eo quod ecclesiæ ipsæ in editiore loco sitæ essent. Constantinopolis enim distincta est collibus, ut Roma vetus: parœcia vero, seu plebs ad eam ecclesiam pertinens, ἐν κοιλάδι, *in valle* habitabat; ut prior observavit *Francisc. Junius*, & ex eo *Jo. Filezacius*.

C A P U T. VI.

Parochiæ novæ non possunt ædificari sine consensu Episcopi, & nonnisi ex justis causis. Cum ecclesia nova fundatur competens in ea honor matrici ecclesiæ servandus est, puta, præsentatio, vel institutio rectoris, vel census annuus. Parochia privata in castris optimatum.

PAROCHIARUM status certus & inconvulsus manere debet: unde alia ecclesia, seu capella in finibus veteris parochiæ exædificari non potest, saltem sine auctoritate Episcopi; *can. ecclesiæ, can. quicumque*, 16. *qu.* 1. *cap. coram, & ibi gloss. de offic. delegat.* adeoque non sine justa & necessaria causa, ne, dum novæ exurgunt, veteres ob sumptus ἀπορίαν dilabantur: & in eo sua laude non caruit Augustus, quem magis de reficiendis sacris ædibus vetustate collapsis, aut incendio absumptis, quam de novis excitandis solicitum fuisse scribit Tranquill. *in ejus vita*, *cap.* 30. Ecclesia, inquam, nova exstruenda non est, nisi ex justis & necessariis causis: puta, si multitudo fidelium in tantum excreverit, ut ecclesia eos capere non possit; *can. præcipimus*, 16. *qu.* 1. hodie tamen sola numerosior frequentia populi non est justa causa construendæ novæ ecclesiæ; quia huic casui facile consuli potest ampliato ambitu ecclesiæ, vel adhibitis pluribus vicariis quot fuerint necessarii ad rem sacram faciendam & sacramenta administranda; ex concil. Trident. *sess.* 21. *de reform. cap.* 4. Justæ causæ exstruendæ novæ ecclesiæ intra fines antiquæ sunt, si parœciani ob distantiam locorum vel difficultatem regionis, puta, asperitatem montium, vel trajectum interfluentis fluminis, vel torrentis hybernis imbribus exundantis commode ad ecclesiam accedere, & sacris tempestive interesse non possint: his casibus ecclesia nova institui, & ibi rector collocari potest, delibata ad ejus alimoniam & sustentationem congrua parte fructuum. Sed ne antiqua ecclesia nimium dispendium patiatur, res ita ordinanda est, ut præsentario presbyteri in illa ecclesia detur rectori antiquioris ecclesiæ, & competens honor, pro facultate loci, ecclesiæ matrici servetur; *cap. ad audientiam* 3. *de ecclef. ædificand.* capitular. Carol. Calv. ex *synodo Tolosana*, *tit.* 5. *cap.* 8. & concil. Trident. *loco modo laudato*. Præsentatio rectoris novæ ecclesiæ pertinet ad rectorem matricis ecclesiæ in signum subjectionis; *d. cap. ad audientiam*, *cap. ex parte* 12. *de rescript.* ut in ecclesiis pleno jure subjectis monasteriis, institutio vel præsentatio vicarii perpetui spectat ad abbatem; *can. visis*, *can. sane quia*, 16. *qu.* 2. Præter præsentationem, etiam in fundatione providetur, ut competens honor pro facultate loci ecclesiæ matrici servetur, puta, ut census annuus matrici præstetur in argumentum subjectionis: sic a Theodorico Monasteriensi Epi-

Episcopo fundata ecclesia S. Pauli, in dotem datis novem ecclesiis, quæ censum solverent matrici, & capitulo; Albert. Krant. metropol. lib. 8. cap. 5. *Fundavit ecclesiam sancti Pauli, deditque fratribus novem ecclesias deinceps ab ipso conferendas, sed quæ censum solverent matrici & capitulo*. Sic & Cluniacense cœnobium a Bernone abbate Gigniacensi in cellam Gigniacensem constructum, ea lege, ut matrici Gigniacensi annuum censum duodecim denariorum præstitaret; Sigebertus Gemblacensis in chronic. sub anno 912. *Berno abbas moriturus Odonem olim musicum constituit abbatem Cluniacensis cœnobii, ea conditione, ut ecclesia Cluniacensis solveret annualem ecclesiæ Gigniacensi censum duodecim denariorum*. Vel hoc sibi excipit matrix ecclesia, ut filialis ecclesia certis & statis diebus solemni cum processione adeat matricem; Anselmus Leodiensis de gest. Leodiensium antistit. cap ult. *Cum nedum in episcopali cathedra, sed etiam in rusticana qualibet parochia, illud jus sibi mater ecclesia defendat, ut in majoribus solemnitatibus filiarum suarum frequentia visitetur & honoretur, quod si neglectum fuerit judicio suorum synodalium in sua synodo vindicetur*. Denique ecclesia non potest ædificari intra fines parochiæ, nisi salvo jure & honore matricis: ita Adeloldo Turonensi Archiepiscopo petenti, ut in villa parochiæ, cui Turris erat nomen, sita in diœcesi Remensi, sibi liceret oratorium ædificare, annuit Hincmarus Remensis Archiepiscopus, ea conditione, ut antiqua villæ ipsius ecclesia, vel presbyter ejusdem, nullum privilegii sui propter hoc detrimentum patiatur; ut refert Flodoardus *lib.* 3. *Remens. hist. cap.* 20. Hoc jure Nicæni concil. *can.* 7. Hierosolymorum Episcopus Patriarchæ fascibus decoratus; salvo tamen jure Metropolitani, id est Cæsariensis Archiepiscopi. Non fine justa causa ædificanda est nova ecclesia, nec ferenda novarum ecclesiarum substructio, quæ fit per ambitionem antistitum, qui passim ecclesias novas excitant, quo plurium clientum pompam, turbamque accersant; Zozim. epist. 1. ad Isichium Salonitanum Episcopum: *Facit hoc nimia remissio consacerdotum nostrorum, qui pompam multitudinis quærunt, & putant ex hac turba aliquid sibi dignitatis acquiri. Hinc passim numerosa popularitas etiam his locis, ubi solitudo est, talium reperitur, dum parochias extendi cupiunt, aut quibus aliud præstare non possunt, divinos ordines largiuntur; can. si officia*, 59. *dist.* Pari calculo damnatur & fundatio novarum ecclesiarum, quæ fit ab Episcopo per sordes, & quæstus studium: nimirum ut census episcopales adaugeantur; capitulare Caroli Calvi modo laudatum: *Ut Episcopi parochias presbyterorum propter inhonestum & periculosum lucrum non dividant: sed si necessitas populi exegerit, ut plures fiant ecclesiæ, aut statuantur altaria, cum ratione & auctoritate hoc faciant*, &c. Nec minus fœda temporum labe privatæ parochiæ ab optimatibus passim in castris, vel prædiis suis ædificatæ; ex quo injuria factum, ut clerici, qui hujusmodi ecclesias observabant, unde observantes dicebantur, dominorum patrocinio securi, Episcopi & archidiaconi correctionem facile spernerent; de quo concil. Aurelianens. IV. can. 26. *Si quæ parochiæ in potentum domibus constitutæ sunt, ubi observantes clerici ab archidiacono civitatis admoniti, secundum qualitates ordinis sui, fortasse quod ecclesiæ debent sub specie domini domus implere neglexerint, corrigantur secundum ecclesiasticam disciplinam*. Et Cabillonense I. can. 14. *De oratoriis, quæ per villas fiunt, nonnulli ex fratribus & Coepiscopis nostris residentibus nobis in sancta synodo querimonias detulerunt, quod oratoria per villas potentum jam longo constructa tempore, & facultates ibidem collatas, ipsi, quorum villæ sunt, Episcopis contradicant, & jam nec ipsos clericos, qui ad ipsa oratoria deserviunt, ab archidiacono coerceri permittant, quod convenit emendari*, &c. Inde secutum etiam, ut decimæ, quæ debentur parœcialibus ecclesiis, privatis hisce ecclesiis præter jus addicerentur; quod vetuit concil. Ticinense habitum sub Leone IV. anno 855. *Quidam autem laici, qui vel in propriis, vel in benefi-*

ciis suas habent basilicas, contempta Episcopi dispositione, non ad ecclesias ubi baptismum, & prædicationem, & manus impositionem, & alia Christi sacramenta percipiunt, decimas suas dant; sed vel propriis basilicis, vel suis clericis pro suo libitu tribuunt; quod omnimodis divinæ legi, & sacris canonibus, constat esse contrarium.

CAP. VII.

Collatio parochialium ecclesiarum de jure pertinet ad Episcopum, ex consuetudine vel privilegio ad alios. Olim ordinatio non fiebat sine titulo. Clerici acephali. Electio archipresbyteri ex consuetudine spectavit ad archidiaconum, clerum, & plebem. Electio etiam observata in parochis. Collationem beneficiorum serius sui juris fecerunt summi Pontifices. Mandata de providendo. Gratia expectativæ.

JURE communi omnes ecclesiæ parœciales & aliæ quæcumque sunt in potestate Episcopi, cujus in diœcesi positæ sunt, & collatio beneficiorum ecclesiasticorum totius diœcesis pertinet ad Episcopum; *can. quicunque*, 16. *qu.* 1. *can. omnes basilicæ, can. nullus* 11. 16. *qu.* 7. *cap. cum olim, de præscript. cap. cum ex injuncto, in fin. de hæretic.* Olim collatio beneficii non fiebat seorsim ab ordinatione: ordinatio enim non fiebat sine titulo, id est ubi quis presbyter, vel diaconus ordinabatur, ad titulum certæ ecclesiæ ordinabatur, ne quis ordinaretur ἀπολελυμένως absolute, sine titulo, & quæ sine titulo fieret ordinatio, irrita esset decretum *can. 6. concil. Chalcedonens.* quod repetitum est in *concil. Placentino* sub Urbano II. *can. neminem, can. sanctorum*, 70. *dist.* Hinc quæsitum, an si fieret ordinatio cleri ad plebem congregandam, non secuta congregatione plebis, an maneret ordinatio? de quo Augustin. de bono conjugal. (cap. 24.) *Causa pariendi: quæ cum sola sit qua nuptiæ fiunt, nec ea re non subsequente propter quam fiunt, solvitur vinculum nuptiale, nisi conjugis morte. Quemadmodum si fiat ordinatio cleri ad plebem congregandam, etiam si plebis congregatio non subsequatur, manet tamen in illis ordinatis sacramentum ordinationis.* Quin ubi Episcopus nondum presbyter creabatur, prius presbyter ordinabatur ad titulum illius ecclesiæ; Regino 2. chronic. *Porro Colonia Agrippinæ Rex Hilduvinum abbatem præponere tentavit in pontificali cathedra, fecitque a Francione Episcopo Tungrensis diœcesis, in Aquisgrani palatio presbyterum ordinari, ad titulum sancti Petri prædictæ metropolis.* Vix ante auditum, quod Paulinus, postea Nolanus Episcopus, a Lampio Barcinonensi Antistite presbyterio initiatus, his conditionibus, ne ecclesiæ certæ illigaretur; testis ipse de se, epist.6.(al.1.) ad Severum: *Scito tamen voti communis, eodem Domino præstante, salvam esse rationem: nam ea conditione in Barcinonensi ecclesia consecrari adductus sum, ut ipsi ecclesiæ non alligarer, in sacerdotium tantum Domini, non etiam in locum ecclesiæ dedicatus.* Monstro pene simile fuit clericus sine titulo, & qui careret titulo acephalus dictus est, quasi videretur fœdus & deformis truncus hominis, sine capite; Stephanus Tornacens. epist. 153. *absit, ut acephalus exeat a nobis, & tamquam ventis expositus sine titulo clericus, sine stipendio miles, sine solatio togatus discurrat, miraculum suis, spectaculum alienis.* Et Adamus Bremens. lib. 3. hist. ecclesiast. cap. 15. *Habuitque secum quemdam Episcopum nomine Osmund acephalum.* Tantum vero sequioris ætatis usu invaluit, ut ordinationes fierent etiam sine titulo, & hic modus adhibitus est, ut ordinatio sine titulo facta non esset irrita, sed ut Episcopus ordinato teneretur alimenta præbere, donec ei provisum esset de beneficio; *cap. cum secundum*,

dum, de prabend. Jure communi igitur, ut eo redeamus, collatio ecclesiarum parochialium & ceterorum beneficiorum spectat ad Episcopum: tamen ex consuetudine vel privilegio collatio beneficiorum potest pertinere ad inferiores Episcopo, puta ad abbates; *d. cap. cum olim, de praescript. & cap. cum inter, de sentent. & re judicat.* vel ad abbatissam; *cap. dilecta, de major. & obedient.* etiam ad capitulum; *cap. cum † ecclesia Vulterana, de elect.* vel ad singulos canonicos per vices suae hebdomadae; *cap. mandatum, de praebend. in 6.* Ex consuetudine etiam quandoque electio locum habuit in parœcialibus ecclesiis, puta in archipresbyteratu, & quod observatu dignum, electio archipresbyteri fuit penes archidiaconum simul cum clero, & plebe; *can. si in plebibus, 63. dist.* quem Gratianus hausit ex Isidoro: id juris in quodam archipresbyteratu suo sese habere contendebat Pictaviensis archidiaconus, pro quo ea de re scripsit Arnulphus Lexoviensis commendatitiam epistolam ad Alexandrum III. P. quae est 27. *Hoc nimirum praetextu pro P. Pictaviensi archidiacono precaturus accedo.* Et mox: *Idcirco si causae ipsius qualitas inquiratur, id juris se in quodam archipresbyteratu suo contendit habere, quod tam ipsi, quam omnibus aliis archidiaconis in omnibus archipresbyteratibus suis vetus ecclesiae illius consuetudo confirmat. Porro supervacua videtur quaestione vexari, cum sola sit de sola archipresbyteri electione contentio, cum ab archidiacono facta ad episcopale de consuetudine referatur arbitrium, eamque potest auctoritate sua, nisi fuerit idonea, reprobare ex consuetudine.* Electionem presbyteri, seu parochi fieri solitam a clericis loci, accedente assensu plebis: quod si in ecclesia idoneus clericus non inveniretur, tum rem perlatam ad Episcopum signat concil. Ticinense habitum coram Ludovico Balbo: *Et primum ipsius loci presbyteri, vel ceteri clerici, idoneum sibi rectorem eligant, deinde populi, qui ad eandem plebem adspicit sequatur assensus: si autem in ipsa plebe talis inveniri non poterit, qui illud opus competenter peragere possit, tunc Episcopus de suis quem idoneum judicaverit inibi constituat.* Quae de archipresbyteri electione intelligenda esse, innuunt quae sequuntur: *Sane removenda quorundam laicorum procacitas, qui hoc solo obtentu, quod ad electionis consortium admittuntur, archipresbyteris suis dominari praesumunt, & quos tanquam patres venerari debuerunt, velut subditos contemnunt.* In electione parochi, seu archipresbyteri, expetitus est assensus plebis: publice enim interest, ut parochianis gratus detur rector, quo facilius hi in obsequio contineantur: quo consilio decretum, ne invitis detur Episcopus; *can. nullus, 61. dist.* Concil. Paris. III. *can.* 8. Collationem beneficiorum jure communi pertinere ad solum Episcopum jam observatum est. Serius Romani Pontifices collationi beneficiorum manum injecere, argumento est, quod hac de re in toto decreto Gratiani nec vola, nec vestigium extat. Hoc jure primum precario usi sunt Pontifices, ac tantum penes se habuere tenuiores clericos Episcopis commendare, ut eis subvenirent. Ita Syracusano, & Favensi Episcopis duos clericos cardinandos commendavit Gregorius I. *lib.* 3. *epist.* 14. & *lib.* 5. *epist.* 47. Posteriores vero, ut jura quaelibet sua incrementa suasque aetates habent, preces in mandata verterunt, quae dicta sunt *mandata de providendo*, seu, *gratiae expectativae*, quarum ratio haec fuit: ut primum emitterentur litterae monitoriae, tum praeceptoriae, ac demum litterae executoriae, quibus executor delegabatur, qui ordinarium compelleret, ut beneficium vacans, vel proxime vacaturum illi clerico conferret, vel ut ipse conferret; *cap. cum te, cap. capitulum sancta crucis*, & passim, *de rescript. cap. dilectus 27. de prabend.* Hoc genere intercessionis pro Guarino clerico, Attoni Trecensi Episcopo per epistolam mandavit Innocentius II. P. ut praebendam vacantem, si qua esset, vel proxime vacaturam ei conferret; de quo Petrus Cluniacensis lib. 2. epist. 32. ad eumdem Episcopum: *Pro Guarino clerico satis sobrium vobis dominus papa mandatum imposuit, ut si libera praebenda pateret, ei dare-*

tur: si non, prima quæ occurreret præberetur: & pro Radulfo, ut ei per Alexandrum III. a Remensi Archiepiscopo, & canonicis decania obtineatur, intercedit Jo. Saresberiens. epist. 230. *De cetero quia Remensis ecclesia dicitur ad curiam proficisci, precor ut M. Radulpho per dominum Papam, & alios ab Archiepiscopo & canonicis decaniam obtineatis*. Pro quodam clerico sacelli palatini Imperatoris, litteras præposito de Marsna scripsit & Alexander III. ut ei præbendam daret; de quo Petrus Cellensis, lib. 8. epist. 15. *Nuper vero dominus Papa rem, ut credimus ignorans, jam secundo scripsit præposito nostro de Marsna, ut daret præbendam cuidam clerico Imperatoris, cum nec præpositus dare possit, nec sit præbenda quæ dari possit*. Quam ægre admitterentur Pontificiæ hujusmodi beneficiorum reservationes significat Stephanus Tornacensis, epist. 109. ad Lucium III. P. quæ scripta est in commendationem Hervei subdiaconi: *Scripsit pro eo felicis recordationis pater Alexander decano, & canonicis sancti Aniani Aurelianensis: scripsistis & vos primo & secundo, sed neque preces, neque præceptum vestrum, quamvis tres præbendæ vacarent, voluerunt audire*. Hujusmodi reservationum usum detestatur & Joannes Saresber. Polycratic. lib. 7. cap. 18. *Statuat ergo lex quod placuit latori, nam isti privilegii principalis gaudentes beneficio, quicquid ambiunt sibi competere opinantur, Episcopos ad prima beneficia obligant, & de futura successione pacisci non verentur: restat utique ut tristi pactio repleatur eventu, & illius quisque animetur & armetur in necem cujus ambit successionem: si enim cedere moretur, adversantur, vexant, & multipliciter concutiunt possessorem* &c. Inde Romanus Pontifex ordinarium ordinariorum se gessit, & quæcumque beneficia ecclesiastica per orbem Christianum vacantia in concursu, & per præventionem omnium ordinariorum conferre sui juris duxit; *cap. si a sede, de præbend. in 6. clem. 1. ut lit. pendent. pragmat. tit. de collat. §. item circa, verb. suadet, & concordat. §. si quis vero, de collat.* nec non cessante ordinario in conferendo intra sex menses, jure devoluto conferendi jus proprium idem fecit; *cap. nulli, de conceß. præbend.*

CAP. VIII.

Jura episcopalia in parœciales ecclesias. Canonica obedientia, subjectio, reverentia. Synodus, synodaticum, cathedraticum, visitatio, & hujus nomine procuratio.

EPISCOPUS in parœcialibus, & aliis suæ diœcesis ecclesiis habet canonicam obedientiam, subjectionem, & reverentiam, synodum, id est potestatem cogendæ synodi, & synodaticum, seu cathedraticum, cujus modus duo solidi; *cap. conquerente, de offic. ordinar.* Antiquissimi instituti est, Episcopos quotannis diœcesanam synodum congregare ecclesiasticæ disciplinæ tuendæ gratia, & ad eam presbyteros vocare, qui de plebium cura rationem reddant; *can. Episcopus, 2. can. annis singulis, 18. dist.* Hinc presbyteris cum ordinabantur tradebatur libellus officialis, continens rationem ecclesiastici officii circa celebrationem sacrorum, & administrationem sacramentorum, ne muneris rudes & inscii ad ecclesiam accederent, & ubi ad litanias, vel synodum proxime convenirent, de gestu officii rationem redderent; concil. Tolet. IV. can. 25. *Quando presbyteri in parochiis ordinantur, libellum officialem a suo sacerdote accipiant, ut ad ecclesias sibi deputatas instructi succedant, ne per ignorantiam etiam in ipsis divinis sacramentis offendant. Cum vero ad litanias, vel ad concilium venerint, rationem Episcopo suo reddant, qualiter susceptum officium cele-*

celebrent, vel baptizent, *can. quando*, 38. *diſt.* Ad diœceſanam ſynodum convenere, non modo parochi, ſed etiam abbates diœceſani; *d. can. Epiſcopus*, *d. can. annis ſingulis*, *cap. quod ſuper his*, *de majorit. & obedient.* unde abbatem, vel archipresbyterum deponi, vel in locum ejus alium ordinari ab Epiſcopo, niſi in ſynodo abbatum & presbyterorum, vetat *conc. Turonenſ. II. can.* 7. nec modo ad diœceſanam ſynodum, ſed & ad alios ſolemnes conventus, puta pro translatione reliquiarum, vel aliis cauſis, jubente Epiſcopo, ſimul coiere presbyteri & abbates. Ad translationem reliquiarum Benigni martyris Divionenſis, abbates convocavit Gregorius Lingonenſis Epiſcopus; Gregor. Turonenſis, de miracul. martyr. lib. 1. cap. 51. *Sed ſanctum ſepulcrum neſcio qua cauſa faciente foris evenit, quod ille intùs transferre cupiens convocavit ad hoc obſequium abbates, atque alios religioſos viros*. Ut ad translationem reliquiarum Deſiderati presbyteri ab Agricola Cabillonenſi Epiſcopo vocati presbyteri, & abbates; idem Gregorius Turonenſis, de glor. conf. cap. 86. *Poſt hæc ædificato ex xenodochio leproſorum ſacerdos ſuburbano in ejus baſilicam collectis abbatibus, & omni clero, beatum corpus transtulit*. Interdum tamen peculiaris fuit ſynodus abbatum, a ſynodo presbyterorum; *concil. Aurelianenſ. I. can.* 19. *can. abbates*, 18. *qu.* 2. nempe medio menſe maio habita eſt ſynodus presbyterorum, & kalendis novembris ſynodus abbatum; *concil. Antiſſiodor. can.* 7. Synodi nomine a presbyteris exactum vectigal, quod ſynodum, ſeu ſynodaticum nuncuparunt: præter id, inſtitutum & aliud indicti genus, nimirum cathedraticum, quod ſolveretur pro honore cathedræ: de utroque ſatis multa a nobis dicta ſunt alio loco, quæ hic repetere nimis ſupervacuum eſſet. Hoc unum addo, merito dictum cathedraticum, quod præſtaretur pro honore cathedræ; quia cathedra eſt ſymbolum & inſigne pontificii; *ſynod. Carthag. IV. can.* 35. *Epiſcopus in eccleſia, & in conſeſſu presbyterorum, ſublimior ſedeat*, *can. Epiſcopus*, † 95. *diſt.* Auguſtin. in pſalm. † 126. num. 3. *Vigilabat quantum poterat ſuper eos quibus præerat. Et Epiſcopi hoc faciunt. Nam ideo altior locus poſitus eſt Epiſcopis, ut ipſi ſuperintendant*. Ideo vetatur Epiſcopus cathedram collocare in cœnobiis, ne in loco exempto epiſcopalem juriſdictionem exercere videatur; *can. Luminoſo*, 18. *qu.* 2. Nec modo in ſynodo diœceſana, ſed & in provinciali locus fuit presbyteris, hique in ea conſedere, ſtantibus diaconis; concil. Tolet. I. in præf. *Convenientibus Epiſcopis in eccleſia Toleto, conſidentibus presbyteris, adſtantibus diaconibus*. Et Bracar. I. itidem in præf. *Conſidentibus ſimul Epiſcopis, præſentibus quoque presbyteris, adſtantibusque miniſtris, vel univerſo clero*. Non in corona Epiſcoporum presbyteris ſedes fuit, ſed a tergo Epiſcoporum, quo loco conſedere non modo presbyteri, qui vice Epiſcoporum, ſed etiam illi qui proprio nomine concilio interfuere; concil. Emeritenſ. can. 5. *Ad ſuam tamen perſonam non aliter, niſi aut archipresbyterum ſuum diriget, aut ſi archipresbytero impoſſibilitas fuerit, presbyterum utilem, cujus dignitas cum prudentia pateat, a tergo Epiſcoporum inter presbyteros ſedere, & quæque in eo concilio fuerint acta ferre, & ſubſcribere: injuſtum enim hoc accipit cœtus noſter, ut quiſquam Epiſcoporum, diaconum ad ſuam perſonam dirigat, hic enim, quia presbyteris junior eſſe videtur, ſedere cum Epiſcopis in concilio nulla ratione permittitur*. Et concil. Salegunſtadienſ. can. 20. de ritu initiandæ ſynodi: *Deinde convenientes presbyteri omnes intrent, & ſecundum ordinationis ſuæ tempus reſideant: poſt hos ingrediantur diaconi probabiles, quos ordo popoſcerit intereſſe*. Denique quocumque loco proprium fuit presbyterorum apud Epiſcopum ſedere, diaconorum ſtare; ſynod. Carthag. IV. can. 34. *Epiſcopus in quolibet loco ſedens, ſtare presbyterum non patiatur*, *can. Epiſcopus*, † 95. *diſt.* Auctor. conſtitution. apoſtolic. (lib. 2. cap. 57.) κείσθω δὲ μέσος ὁ τοῦ Ἐπισκόπου θρόνος, παρ' ἑκάτερα δὲ αὐτοῦ καθεζέσθω τὸ πρεσβυτέριον, καὶ οἱ διάκονοι παρεστάτωσαν. *Solium Epiſcopi in medio poſitum ſit, &*

ex utroque ejus latere sedeant presbyteri, & adstent diaconi. Officium Episcopi est etiam lustrare seu visitare quotannis singulas parœciales ecclesias, & alias diœcesis; *can. decrevimus, can. Episcopum, 10. qu. 1. & d. cap. conquerente.* Nec hoc proprium fuit Christianæ reipublicæ institutum, nam & in republica Romana rectores provinciarum provinciam lustrare solebant; M. Tull. Verrin. 5. (10.) *Cum autem ver esse cœperat, cujus initium iste non a Favonio, neque ab aliquo astro notabat, sed cum rosam viderat, tunc incipere ver arbitrabatur; dabat se labori atque itineribus, in quibus usque eo se prabebat patientem, atque impigrum, ut eum nemo unquam in equo sedentem viderit.* Et mox (12.) *Cum vero æstas summa esse jam cœperat, quod tempus omnes Siciliæ semper prætores in itineribus consumere consueverunt, propterea quod tum putant obeundam esse maxime provinciam, cum in areis frumenta sunt*, &c. Episcopis autem visitationis nomine debetur annona, quæ dicitur procuratio; *d. cap. conquerente, cap. procurationes*, & passim *tot. tit. de censib.* Procuratio est vox composita, id est curatio seu refectio corporis, procurare corpus idem est, quod curare, ut jam a nobis observatum ex Accio, Virgilio, & aliis, quibus addo illud Plauti, in Pœnulo, (in prol.)

Nutrices, pueros infanteis minutulos
Domi procurent, neu quæ spectatum afferant,
Ne & ipsæ sitiant, & pueri pereant fame:

C A P. IX.

Mutua officia parochorum in Episcopos, & Episcoporum in parochos. Totus ordo confunditur, si sua cuique jurisdictio non servetur.

PAROCHI & minores clerici debent obsequium, reverentiam, & subjectionem Episcopo, ac vicissim Episcopus eis rependere debet dilectionis, & tutelæ officium: ad hoc divini Numinis providentia in ecclesia ordines distincti sunt, ut minores reverentiam potioribus exhibeant, & potiores minoribus dilectionem impendant; *can. ult. 89. dist.* Parochi, inquam, debent subesse Antistiti, non ut servuli domino, sed ut liberi parenti: meminisse debent Episcopi, se non electos in dominos, sed pastores, juxta illud Petri epist. † 1. cap. 5. 3. *Neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis*, id est typus, exemplum. Recte in hanc sententiam Hieronym. epist. ad Nepotianum: *Sta subjectus pontifici tuo, & quasi animæ parentem suscipe.* Et paulo post: *Sed Episcopi sacerdotes se esse noverint non dominos: honorent clericos quasi clericos, ut & ipsis a clericis quasi Episcopis honor deferatur. Scitum est illud oratoris Domitii: cur ego te, inquit, habeam ut Principem; cum tu me non habeas ut senatorem? can. † esto subjectus, 95. dist.* Ne serviles operas a parochis exigat Episcopus vetatur *concil. Bracar. II. can. 2.* Similiter & parochiales clerici servili more in aliquibus operibus Episcopo servire non cogantur, quia scriptum est, neque ut dominantes in clero; *can. placuit, 10. qu. 1.* quod repetitum est in *can. nullus, 1. qu. 1. & cap. 1. de excess. prælat.* Clericis ut membris suis utatur Episcopus, suadet Ambros. 2. offic. cap. 28. *Episcopus ut membris suis utatur clericis, & maxime ministris, qui sunt vere filii: quem cuique viderit aptum muneri, ei deputet.* Ac ne Episcopus clericos conculcet, vetat *concil. Arelat. I. can. 17.* Denique Episcopi pudor, abjectio & contemptus presbyterorum, nec apud eum vile esse debet nomen presbyterorum, ne laicis despicabiles reddantur, nec debet Episcopus parochis invidere jura parochialia; quicquid enim honoris defertur presbyteris, refunditur in Episcopum; Gregor. I. lib.

R. lib. 7. epist. 30. *Nec honorem esse deputo in quo fratres meos honorem suum perdere cognosco, meus honor est fratrum meorum solidus vigor, tunc ego vere honoratus sum, cum singulis quibusque honor debitus non negatur.* Id exigit hierarchiæ ecclesiasticæ ratio, ut Episcopi & presbyteri suis quique terminis se contineant; Hieronym. in Ezechiel. lib. 13. cap. 45. de Episcopis & presbyteris: *Unusquisque habeat possessionem suam, quæ gradui illius constituta est.* Hierarchia enim ecclesiastica tota dissolvitur, nisi sua cuique jurisdictio incolumis & illibata servetur; Greg. lib. 9. epist. 32. *Nam si sua unicuique Episcopo jurisdictio non servatur, quid aliud agitur, nisi ut per nos, per quos ecclesiasticus custodiri debuit ordo, confundatur? can. pervenit.*, 11. *qu.* 1. Elegantem hujus œconomiæ typum tradidit Christus, cum leproso curato, vade, inquit, & ostende te sacerdoti: quo enim consilio jam mundatum misit ad sacerdotem, nisi ut veteris legis præcipuum sacerdoti servaret? Quæ fuerit sententia patrum de honorandis presbyteris, exemplo docuit Augustinus, qui Hieronymum presbyterum, ut fratrem & socium coluit, & salva dignitate episcopali, se minorem professus est, non uno loco, ut in epist. 19. (al. 82. num. 33.) ad eumdem: *Quamquam secundum honorum vocabula, quæ jam ecclesiæ usus obtinuit, episcopatus major presbyterio sit: tamen Augustinus in multis rebus Hieronymo minor est, can. quamquam*, 2. *qu.* 7. Et idem lib. 1. contra Julian. cap. † 7. num. 34. *Nec sanctum Hieronymum, quia presbyter fuit, contemnendum arbitreris.*

C A P. X.

Singulis ecclesiis unus presbyter imponendus: pluralitas benificiorum vetita, nisi ex dispensatione, eaque ob justam causam. Academiæ Parisiensis judicium circa pluralitatem beneficiorum.

IN singulis ecclesiis unus presbyter ordinandus est. Cum primum parœciæ divisæ, id actum, ut singulæ singulis adscriberentur, ut notum est ex epistol. Dionys. ad Severum: *Ecclesias singulas presbyteris dedimus, parochias & cœmeteria eis divisimus*, &c. Ideo Episcopum constitui in vico, vel minori municipio, cui vel unus presbyter sufficit, vetat *can.* 6. *Sardic. concilii*, exinde clericum in duabus ecclesiis inscribi vetitum *synodi Nicæn. II. can.* 15. *can. clericus*, 21. *qu.* 1. *& synodi Remens. can.* 9. *can. sicut in unaquaque*, 21. *qu.* 2. & Ivonis in *decret. part.* 3. *cap.* 49. cujus ratio duplex redditur: una, quod sicut nemo potest duobus dominis servire, sic nullus potest sacerdos duabus ecclesiis inservire; *d. can. clericus*: altera, quod ecclesia velut sponsa non potest honeste dividi inter plures presbyteros; *d. can. sicut in unaquaque.* Vetus hic & inviolabilis ecclesiæ mos fuit, ut singulis ecclesis unus presbyter imponeretur, ut in Mareotide, quod nomen agro Alexandriæ, plures ecclesiæ fuerunt, quæ universæ Alexandrino Episcopo subjacerent, ita ut singuli presbyteri suos pagos haberent; Athanas. *apolog.* 2. *de fuga*, (*num.* 85.) ubi Ischyræ in sceleris præmium, Mareotidis episcopatu ab Eusebianis aucti, illegitimam fuisse promotionem demonstrat, ὁ Μαρεώτης, inquit, καθὰ προεῖπον χώρα τῆς Ἀλεξανδρείας ἐστὶ, καὶ οὐδέποτε ἐν τῇ χώρᾳ γέγονεν Ἐπίσκοπος, οὐδὲ χωρεπίσκοπος· ἀλλὰ τῷ τῆς Ἀλεξανδρείας Ἐπισκόπῳ αἱ ἐκκλησίαι πάσης τῆς χώρας ὑπόκεινται· ἕκαστος δὲ τῶν πρεσβυτέρων ἔχει τὰς ἰδίας κώμας μεγίστας, καὶ ἀριθμῷ δέκα που καὶ πλείονας. *Mareotes, ut supra dictum est, regio est Alexandrina, in qua numquam Episcopus fuit, aut chorepiscopus: sed universæ illius regionis ecclesiæ Alexandrino parent Episcopo. Presbyteri autem singuli suos vicos habent.*

bent, qui decem circiter sunt, immo plures numero. Et ubi Arius Baucalensis ecclesiæ, quæ erat Alexandriæ, presbyter memoratur: Alexandriæ plures fuisse ecclesias, quibus singulis præesset unus presbyter, qui accolis sacramenta ecclesiastica ministraret, duobus locis testatur Epiphanius, hæres. 68. artic. 4: Οὗ γὰρ ὢν ἐν Βαυκάλῃ τῇ ἐκκλησίᾳ οὕτω καλουμένῃ Ἀλεξανδρείας πρεσβύτερος· καθ' ἑκάστην γὰρ εἷς πρεσβύτερος ἐστὶν ἀποτεταγμένος· ἦσαν γὰρ πολλαὶ ἐκκλησίαι, νῦν δὲ πλείους. *Arius enim Baucalæ, cujusdam apud Alexandriam ecclesiæ presbyter erat. Nam unicuique suus attribuebatur presbyter, erant tum multæ ecclesiæ, hodie vero plures*. Et idem hæres. 69. artic. 1. φασὶν δὲ αὐτὸν Λίβυν τῷ γένει, ἐν Ἀλεξανδρείᾳ δὲ πρεσβύτερον γεγονότα, ὃς προΐστατο τῆς ἐκκλησίας τῆς Βαυκάλεως οὕτω καλουμένης· ὅσαι γὰρ ἐκκλησίαι τῆς Καθολικῆς ἐκκλησίας ἐν Ἀλεξανδρείᾳ ὑπὸ ἕνα Ἀρχιεπίσκοπον οὖσαι, καὶ κατ' ἰδίαν ταύταις ἐπιτεταγμένοι εἰσὶ πρεσβύτεροι, διὰ τὰς ἐκκλησιαστικὰς χρείας τῶν οἰκητόρων, πλησίον ἑκάστης ἐκκλησίας αὐτῶν, καὶ ἀμφόδων, ἤτοι λαυρῶν ἐπιχωρίως καλουμένων, ὑπὸ τῶν τὴν Ἀλεξανδρέων κατοικούντων πόλιν. *Ferunt illum ex Libya oriundum Alexandriæ presbyterum esse factum, qui tum Baucalensis cujusdam ecclesiæ præfecturam gerebat. Etenim quotquot Alexandriæ Catholicæ communionis ecclesiæ sunt, uni Archiepiscopo subjectæ, suus cuique præpositus est presbyter, qui ecclesiastica munera iis administret, qui circa ecclesias illas habitant, eorumque conventicula, vici, sive lauræ ab Alexandrinis vulgo nominantur*. In Hispania fœda hæc labes inolevit, ut plures ecclesiæ uni traderentur, ob tenuitatem & angustias census: huic vulneri non ferro, ut par erat, mederi fategerunt patres, sed doloris sensum levi plasmate obstupefacere satis habuerunt, ne tenuiores ecclesiæ missæ solatio carerent, lege facta, ut presbytero, qui pluribus ecclesiis incubaret, plures missas celebrare liceret, singulas pro singulis ecclesiis: concil. Emeritens. can. 19. *In parochiis multæ sunt ecclesiæ constitutæ, quæ a fidelibus factæ, aut paucum, aut nihil de rebus videntur habere: sacerdotali ergo decreto, presbytero, cui plures extant commissæ, unde cavendum est ne occurrente paupertate, ordo ibidem non impleatur missæ: proinde salubri deliberatione censemus, ut pro singulis quibusque ecclesiis, in quibus presbyter jussus fuerit, per sui Episcopi ordinationem præesse, pro singulis diebus dominicis sacrificium Deo procuret offerre*. Tandem vero exurgente disciplina, ne plures ecclesiæ uni crederentur vetitum, & ut quælibet ecclesia, quæ usque ad decem mancipia, id est decem accolas, haberet, unum super se haberet sacerdotem: quæ vero minus aliis adjungeretur ecclesiis; concil. Tolet. XVI. can. 4. *Ut plures ecclesiæ uni nequaquam committantur presbytero, quia solus per totas ecclesias, nec officium valet persolvere, nec populis sacerdotali jure occurrere, sed nec rebus earum necessariam curam impendere; ea scilicet ratione, ut ecclesia, quæ usque ad decem habuerit mancipia, super se habeat sacerdotem; quæ vero minus decem mancipia habuerit, aliis conjungatur ecclesiis*, can. *unio*, 10. *qu*. 3. In Gallia etiam beneficiorum pluralitas explosa, sed ea in re dispensandi potestas Episcopo tributa; concil. Aurelian. III. can. 18. *De his vero clericorum personis, quæ de civitatensis ecclesiæ officio monasteria diœcesis, vel basilicas in quibuscumque locis positas, id est sive in territoriis, sive in ipsis civitatibus suscipiunt ordinandas, in potestate sit Episcopi, si de eo quod ante de ecclesiastico munere habebant, eos aliquid, aut nihil exinde habere voluerit, quia unicuique facultas suscepti monasterii, diœcesis, vel basilicæ debet plena ratione sufficere*. Tum etiam ut plures ecclesias quis haberet indultum, si alios presbyteros sub se in singulis haberet, qui divinum officium implerent; concil. Nannetense, can. 8. *Nullus presbyter plures præsumat habere ecclesias, nisi forte alios presbyteros sub se in unaquaque habeat, qui nocturnum atque diurnum officium solemniter adimpleant, & missarum celebrationes quotidianis expleant ceremoniis*. In villis etiam, quæ foris sunt, id est extra urbem, propter inopiam hominum, ut indulgeretur cir-

ca

ea pluralitatem beneficiorum, constitutum *concil. Nicæn. II. can.* 15. modo laudato. Plura apud eundem beneficia, nisi ex dispensatione, puta ob ecclesiæ necessitatem, vel merita personarum, non tulit Bernardus Clarevallensis, epist. 271. *Honores, & dignitates ecclesiasticas non ignoro deberi his, qui eas digne & secundum Deum administrare & velint & possint: nam nec cuiquam vel adulto plures in pluribus ecclesiis habere licet, nisi dispensatione quidem ob magnam vel ecclesiæ necessitatem, vel personarum utilitatem.* Tandem vero securis ad radicem posita est in *concil. Lateranensi* habito sub Innocent. III. quo vetitum, ne cuiquam plures parœciales ecclesias obtinere liceret, & ne lex eluderetur, ut adeptione secundi beneficii curati, prius ipso jure vacaret, statutum: hoc uno reservato summo Pontifici, ut posset dispensare circa pluralitatem beneficiorum; *cap. de multa, de præbend.* quod reservationis genus, velut quæstuosum, notavit Matth. Paris. ad ann. 1235. ubi de collectione decretalium, quæ facta est auctore Gregorio IX. *In quibus*, inquit, *quædam innovavit, ne scilicet illegitimi in prælatias, vel ecclesiastica beneficia, nisi adepta a sede Romana legitimationis dispensatione, obtineant: sciens inde Curiæ Romanæ, pro impetratione tali, multa emolumenta provenire: sicut ex statuto Innocentii pro dispensatione plurium beneficiorum obtinendorum.* Post Lateranense concilium, non sine lethali noxia teneri posse duo beneficia, quorum alterum esset idoneum ad sustentationem, decrevit academia Parisiensis; abbatis Ursperg. continuator: *Anno M. C. XXXVIII. Parisiis contra pluralitatem beneficiorum disputatum fuit, & conclusum ab omnibus, quod nemo sine periculo mortalis peccati tenere possit duo beneficia, quorum alterum sufficit ad sustentationem suam.*

C A P. XI.

Parochialis ecclesia non debet conferri in commendam, sed in titulum. Commendarum origo & usus notatur. In commendam dari solitæ, etiam abbatiæ, & ipsi episcopatus. Commenda olim erat temporalis, hodie desiit in perpetuam, hinc pro titulo habetur.

PAROCHIALIS ecclesia ipso jure non debet conferri in commendam, sed in titulum, unde ipsæ parochiales ecclesiæ dicuntur tituli; & clerici vetantur ordinari sine titulo certæ ecclesiæ; *can. neminem, can. sanctorum*, 70. *dist.* Commenda non est vere titulus. Commendatarius est nudus minister, seu procurator, & custos rerum ecclesiæ; *cap. cum nobis, de elect.* Commenda nihil aliud est, quam depositum, seu custodia. Commendare nihil aliud est, quam deponere; *l. commendare, ff. de V. S.* Item parochialis ecclesia requirit ministerium certæ personæ, idemque perpetuum: & semel ordinatus, seu titulatus, in quapiam ecclesia, ab ea removeri non potest; *d. can. sanctorum, & can. præcipimus*, 21. *qu.* 2. Commenda sua natura est temporalis, nec ultra sex menses durabat; *cap. nemo deinceps, de elect. in* 6. atque ita non cadit in parochiales ecclesias. Moribus tamen, commendarum usus etiam parochialibus in ecclesiis invaluit: etsi enim vetitum esset *can.* 10. *Chalced. concil.* ne idem plures ecclesias obtineret, labente disciplina, Episcoporum dispensatione, seu potius corruptela, effectum, ut plures ecclesiæ eidem compingerentur, & ut aliquo pacto veteris disciplinæ vulnus curaretur, vel saltem obduceretur, hoc excogitatum, ut una traderetur in titulum, altera in commendam, quasi custodiæ gratia ad tempus: primusque Leo IV. qui sedebat anno 817. Commendarum usum admisit; can. qui plures, 21. qu. 1. *Qui plures ecclesias retinet, unam quidem titulatam, aliam vero sub commendatione retinere debet.*

Eamdem comprobarunt secuti eum Pontifices; *d. cap. cum nobis*; *cap. dudum* 54. *eod. tit. de elect. & d. cap. nemo deinceps*, *de elect. in 6.* ac Episcopi etiam sui juris duxerunt commendare ecclesias ad tempus; *d. cap. nemo deinceps*. Nec in sæcularibus ecclesiis modo, sed etiam in regularibus commendarum labes jam olim irrepsit. Regum beneficio eidem abbati duæ, vel plures abbatiæ traditæ, una scilicet in titulum, alia procurationis seu administrationis nomine, quod idem est ac commenda: ut Hilduinus abbas S. Dionysii, Ludovici P. gratia habuit procurationem & aliorum plurium monasteriorum, & inter ea cœnobii S. Medardi Suessionensis; Aimoin. lib. 4. cap. 114. *Ipse autem venerabilis abbas præfatus Hilduinus, inter plurima, quæ ei augustali benignitate commissa fuerant monasteria, habebat procurationem cœnobii nobilis in prospectu urbis Suessiorum, quod Clotharius quondam Rex Francorum, filiusque ejus Sigebertus, in honorem beatissimi Medardi confessoris Christi, magnis construxerant sumptibus*. Etiam Episcopis procurationis, seu commendæ nomine, sæpius traditæ leguntur abbatiæ: ut vita functo Hilduino, Ebroino Pictaviensi Episcopo, ob bene merita de republica, abbatiæ S. Germani Parisiensis regimen dedit Ludovicus P. ex quo intelligimus Hilduinum abbatem, præter abbatias S. Dionysii, & S. Medardi Suessionensis, etiam obtinuisse abbatiam S. Germani Parisiensis; Aimoini continuator lib. 5. cap. 19. *Imperator porro præfatum Episcopum in Aquitaniam cum multis gratiarum actionibus remisit; dans ei regimen abbatiæ sancti Germani Parisiensis; nam Hilduinus abbas vita decesserat*. Anno 1175. Gothofredo Asaphensi Episcopo in Wallia, quæ est Angliæ regio, sedem suam derelinquere coacto, ob duritiem plebis, Abbendoniensem abbatiam, forte tum vacantem, in custodiam, quousque ad propriam sedem tutus esset reditus, dedit Henricus II. Rex Anglorum; Rogerus Hovedenus, in posteriore parte annal. *Ipse enim Godefridus episcopatum suum deseruit, paupertate & Walensium infestatione compulsus, veniensque in Angliam, a Christianissimo Rege Henrico benigne & honorifice susceptus est, cui & tradidit abbatiam Abbendoniæ vacantem in custodia, donec ad propriam sedem liberum haberet regressum*. Tandemque in commendam cecidere etiam ipsi episcopatus: ita Giselerus Mersburgensis Episcopus in Germania, concedente Othone III. assecutus est Magdeburgensem ecclesiam, priore tamen non relicta, quod ea ætate novum & inauditum, sed sua frequentissimum fuisse, ut idem unam haberet in titulum, alteram in commendam, refert Albertus Krantzius *lib. 3. metropol. cap.* 37. Olim, ut dixi, commenda erat temporalis, nec porrigebatur ultra semestre tempus: sed labente ævo commendæ in perpetuas desiere, ex quo commenda habetur pro titulo, & solius Romani Pontificis proprium est beneficia in perpetuum commendare; *cap. dudum* 54. *de elect.*

C A P. XII.

Qualis debeat esse vita, & conversatio presbyterorum: Hi caste & continenter vivere debent, eis interdicitur contubernio mulierum, quas vocant συνεισάκτους, subintroductas, ἀγαπητὰς dilectas, sorores, seu sororias, eisdem vetatur commatres procurare.

Qualis debeat esse vita & conversatio presbyterorum, seu parochorum, ea nimirum angelica esse debet; quoniam hi angelorum, id est ministrorum Dei, officio funguntur in terris: quinimmo eorum vitam Christi typo, quoad humanitus fieri potest, accedere par est: presbyteri enim sunt vicarii Christi; Augustin. vel alius quisquis est auctor quæst. utriusque testament. qu.

qu. 127. *Quanto magis in Dei causis? Ac per hoc antistitem ejus puriorem ceteris esse oportet: ipsius enim personam habere videtur, est enim vicarius ejus: ut quod ceteris licet, illi non liceat: quia necesse habet quotidie Christi vicem agere, aut orare pro populo, aut offerre, aut tingere.* Vitæ sanctitate ascetis, seu monachis præstantiores eos esse oportet, quia virtutis facem plebi præferre debent; nec solum plebem verbo docere, sed & exemplo. Hi suæ salutis arbitri sunt, illi suæ, & alienæ; Isidor. Pelusiot. lib. 2. epist. 284. τοὺς γὰρ ἱερωμένους, ἁγιωτέρους εἶναι χρὴ καὶ καθαρωτέρους τῶν τὰ ὄρη κατειληφότων· ἐπειδὴ οἱ μὲν καὶ ἑαυτῶν καὶ λαῶν, οἱ δὲ ἑαυτῶν μόνων φροντίζουσι. *Nam eos, qui sacerdotum munere funguntur, sanctiores ac puriores illis esse oportet, qui ad montes se contulerunt. Siquidem illi & sui & plebis; hi autem sui duntaxat curam gerunt.* In primis presbyteri continenter, & caste vivere debent. Si forte conjugati essent cum ordinabantur, secedebant ab uxore, & eam deinceps habebant ut sororem: femina vero hoc pacto a presbytero segregata, dicebatur presbytera; Gregor. dialogor. lib. 4. cap. 2. *Presbyter quidam sibi commissam regebat ecclesiam, cum magno timore Domini, qui ex tempore accepti ordinis presbyteram suam ut sororem diligens, sed quasi hostem cavens, ad se propius accedere non sinebat, eamque sibi appropinquare nulla occasione permittens, ab ea sibi communionem funditus familiaritatis abscidit, can. presbyter, 33. dist.* & concil. Turonens. II. can. 20. *Nam si inventus fuerit presbyter cum sua presbytera, aut diaconus cum sua diaconissa, aut subdiaconus cum sua subdiaconissa.* Porro presbyteri ita vivere debent, ut non modo probro careant, sed etiam suspicione probri: quapropter suspecta contubernia omnino vitare debent. Ne Episcopi & presbyteri extraneas mulieres, quas συνεισάκτους, vel συνάκτους, id est *subintroductas* vocabant, apud se haberent, vetuit *can. 3. synod. Nicæn.* de quo Basilius epist. 198. ad Paregorium presbyterum: ἀλλ' ἀνάγνωθι τὸν κανόνα τὸν ἐξενεχθέντα παρὰ τῶν ἁγίων πατέρων ἡμῶν τῶν ἐν τῇ συνόδῳ Νικαίας, ὃς φανερῶς ἀπαγόρευσε συνεισάκτους μὴ εἶναι. *Lege canonem a sanctis patribus nostris in Nicæna synodo constitutum, qui manifeste interdixit, ne quis mulierculam subintroductam habeat.* Fœdum id nomen primo Antiochiæ auditum insinuat Eusebius lib. 7. cap. † 30. ubi de Paulo Samosateno: τὰς δὲ συνεισάκτους αὐτοῦ γυναῖκας, ὡς Ἀντιοχεῖς ὀνομάζουσι. *Ascititias illas mulieres, quas subintroductas Antiocheni appellant.* Et ut nihil in specie fallacius, quam prava religio, hujusmodi mulierculas pietatis & caritatis obtentu apud se detinuere clerici, unde ἀγαπητάς, seu dilectas vocarunt; Epiphan. hæres. 63. artic. 2. κατηγοροῦσι δὲ ὅθεν τῶν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ τὰς ἀγαπητὰς λεγομένας συνεισάκτους γυναῖκας κεκτημένων. *Interim vero Catholicos illos clericos accusant, qui dilectas quas vocant, & contubernales feminas ascisceunt.* Alii sorores, vel sororias, quarum consuetudinem damnarunt Impp. in l. eum qui 19. C. de Episc. & cleric. *Eum, qui probabilem sæculo disciplinam agit, decolorari consortio sororiæ appellationis non decet.* Turpem harum contubernalium usum apud clericos ex opum affluentia ortum arguit Joannes Chrysostom. sermon. de Pseudopropbet. † ἐκ γὰρ τοῦ περιττοῦ πλούτου συνεισάκτους ἐκτήσαντο, προφάσει ἀνδραπόδων. *Quia & opum affluentia subintroductas tenent, prætextu ancillarum.* Id genus mulierum passim insectatus idem Chrysostom. ut in sermone, in illud, religiosum facetiis uti non debere, ubi post multa: πάνυ γὰρ ἀλγῶ ὅταν ἴδω ἀσκητὴν συνείσακτον ἐπισυρόμενον. *Valde quippe doleo, cum video religiosum subintroductam mulierem sibi adsciscere.* Et idem adversus eas proprium librum scripsit. Quo tollatur omnis pravæ consuetudinis occasio, presbyteri vetantur privatorum ædes frequentare, commatres procurare, id est epulis excipere; Augustin. vel alius quisquis est, sermon. † 36. ad fratres in eremo: *Non enim debet, qui animarum curam gerit, transire de domo in domum, non frequentare forum cum rusticis, non mercantias adquirere, non commatres procurare, non ligonizare, non tabernas intrare, non discurrere, nisi necessitate compulsus.*

† In lib. meo, tom. 8. inter spur. pag. 79. ἐκ τοῦ περισσοῦ γὰρ πλούτου, &c.

CAP. XIII.

Presbyterorum cultus, eorum insignia vestis demissa, & orarium seu stola, orario utuntur etiam diaconi, nec non Episcopi.

PAROCHI etiam cultu & vestitu corporis religionem ordinis sui palam facere debent: veste demissa eos uti convenit, quæ est sanctitatis insigne; Joannes Chrysostomus de divers. utriusque testam. loc. serm. de fugienda simulata specie: τὰς μὲν χιτῶνας μεχρὶ τῆς γῆς ἕλκοντες, ἐν σχήματι ἁγίων, *dum vestes quidem in terram trahimus in habitu sanctorum*. Sæculari veste eos abstinere oportet, quorum vita enim a sæculari longe abesse debet, eorum vestem disparem esse condecet; concil. Matisconens. I. can. 5. *Ut nullus clericus sagum, aut vestimenta, aut calceamenta, nisi quod religionem deceat induere præsumat*. Concil. Roman. sub Zachar. Papa, can. 3. *Ut Episcopus, presbyter, & diaconus sæculari indumento minime utantur, nisi ut condecet tunica sacerdotali*. Quo vero presbyteri a sæcularibus distinguantur, nefas est eos procedere in publicum sine orario, sive stola; concil. Moguntin. I. can. 28. *Presbyteri sine intermissione utantur orariis, propter differentiam sacerdotii dignitatis*. Et concil. Triburiense, ex Gratiano, in can. ut presbyteri, 17. qu. 4. *Ut presbyteri non vadant, nisi stola, aut orario induti*, &c. Orarium est stola, sive fascia a collo per utrumque humerum defluens; sic dicta, quod sit ori applicita, & collo circumponatur; Ambros. de excess. Satiri, (lib. 1. num. 43.) *Divinum illud fidelium sacramentum poposcit, non ut curiosos oculos † inserret arcanis, sed ut fidei suæ consequeretur auxilium. Etenim ligari fecit in orario, & orarium involvit collo, atque ita se dejecit in mare*. Ita Chramnum Clotharii filium orario suggillatum, id est strangulatum, scribit Gregor. Turonens. lib. 4. cap. 20. *Chramnus super scamnum extensus orario suggillatus est*. Inepte orarii etymon ex eo repetiere nonnulli, quod qui orat, id est prædicat, orario utatur pro officii insigni, quæ videtur fuisse sententia patrum conc. Toletan. IV. can. 39. *Unum orarium oportet levitam gestare in sinistro humero propter quod orat, id est prædicat, can. unum, 25. dist.* Orarium lævo super humero gestare diaconos præceptum; *d. can. Toletano*: & quia nonnulli diaconi orarium occultabant sub tunica, quasi erubescerent videri quod erant, eis præceptum est orarium scapulæ superpositum ferre in concil. Bracharens. I. can. 27. *Item placuit, quia in aliquantes hujus provinciæ ecclesiis diacones absconsis infra tunicas utuntur orariis, ita ut nihil differre a subdiacono videantur, ut de cetero superposito scapulæ, sicut decet, utantur orario*. Subdiaconis vero orario uti vetitum; *concil. Laodicen. can. 22. can. ministrum, 23. dist.* Habuere & Episcopi orarium suum, velut pontificiæ dignitatis insigne; vita S. Fulgentii apud Surium, 1. januar. *Orario quidem sicut omnes Episcopi nullatenus utebatur pelliceo, cingulo tamquam monachus utebatur*. Hoc vero discrimen observatur inter oraria Episcoporum & presbyterorum, quod presbyter orarium præfert utroque humero recta dependens; Episcopus vero cancellatum ad pectus in modum crucis; ex concil. Brachar. III. can. 3. *Cum sacerdos ad missarum solemnia accedit, aut per se Deo sacrificium oblaturus, aut sacramentum corporis & sanguinis Domini nostri Jesu Christi sumpturus, non aliter accedat, quam orario utroque humero circumseptus, sicut & tempore ordinationis suæ dignoscitur consecratus, ita ut de uno, eodemque orario, cervicem pariter & utrumque humerum premens, signum in suo pectore præparet crucis, can. ecclesiastica, 23. dist.*

CAP.

C A P. XIV.

Ætas, institutio, ordo, & qualitas, id est litterarum scientia ordinandorum in parochos. Ordinatis tempore ordinationis cur traditus libellus officialis.

OLIM presbyter, seu rector parœcialis ecclesiæ non potuit ordinari ante trigesimum annum; *can. 1. & per totum 78. dist.* Presbyter quoque non ordinabatur nisi post longa temporum interstitia, & diutinam moram singulis in minoribus ordinibus, quo probatior ad presbyterium perveniret; *can. si officia, 59. dist. can. monachus, 77. dist. can. monachos, 16. qu. 1.* Ita Cato presbyter de Arvernensi Episcopatu, spe & meritorum fiducia sibi blandiens, apud Gregor. Turonens. lib. 4. cap. 6. *Nam & ipsos*, inquit, *clericatus gradus, canonica sum semper institutione sortitus, lector decem annis fui, subdiaconatus officium quinque annis ministravi, diaconatui vero quindecim annis mancipatus fui, presbyterii autem jam honore viginti annis potior; quid enim mihi nunc restat, nisi ut episcopatum, quem fidelis servitus promeretur, accipiam?* Ne rudes & informes ad ecclesiam accederent ordinandi, presbyteris seu parochiarum rectoribus tamquam optimis sacræ plebis magistris tradebantur educandi, & in disciplina ecclesiastica instituendi; concil. Vasens. II. can. 1. *Placuit, ut omnes presbyteri, qui sunt in parochiis constituti, secundum consuetudinem, quam per totam Italiam satis salubriter teneri cognovimus, juniores lectores quantoscumque, sive uxores habuerint secum in domo, ubi habitare videntur, recipiant, & eos quomodo boni patres spiritualiter nutrientes psalmos parare, divinis lectionibus insistere, & in lege Domini erudire contendant, ut & sibi dignos successores provideant, & a Domino præmia æterna recipiant.* Unde ordinandorum præsentatio pertinebat ad archipresbyterum; ex *concil. Nannetens. can. quando, 24. dist.* aliquando & ordinandi in cœnobiis, aut canoniis prius instituebantur; *can. priscis, 55. dist. can. nisi aut in cœnobiis, † 56. dist.* Gregor. Turonens. lib. 5. cap. 18. *Post hæc Meroveus, cum in custodia a patre retineretur, tonsuratus est, mutataque veste, qua clericis uti mos est, presbyter ordinatur, & ad monasterium Cœnomannicum, quod vocatur Aninsula, dirigitur, ut ibi sacerdotali erudiretur regula.* Ex Lateranensi concilio, ecclesiæ parœciales, seu beneficia curam animarum habentia, conferri non possunt minoribus vigintiquinque annis; *cap. cum in cunctis, §. inferiora, de elect.* hac lege deterfa labes fœdissima, quæ inoleverat, ut beneficia ecclesiastica passim conferrentur junioribus, quam detestatur Bernardus Claravallens. epist. 42. *Scholares pueri, & impuberes adolescentuli ob sanguinis dignitatem promoventur ad ecclesiasticas dignitates, & de sub ferula transferuntur ad principandum presbyteris, lætiores interim quod virgas evaserint, quam quod meruerint principatum, nec tam illis blanditur adeptum, quam ademptum magisterium.* Eandem culpam in Rogerio Eboracensi Archiepiscopo ejusdem ætatis, notat Gvillelm. Neubrigensis, lib. 3. rer. Anglicar. cap. 5. *Pro personis spectabilibus, quibus tamquam quibusdam monilibus Eboracensis olim refulsit ecclesia, titulavit imberbes, & quosdam etiam agentes sub ferula, aptos magis pro ætate ædificare casas & plostella, adjungere muros, ludere par impar, equitare in arundine longa, quam personas gerere in ecclesia magnatum, ut scilicet usque ad annos viriles curam agens titulatorum, universa perciperet commoda titulorum.* Ex Lugdunensi concilio, parochus in presbyterum ordinandus est intra annum, alioquin ipso jure beneficio multatur; *cap. licet canon, de elect. in 6.* quia parochi munus, sine altaris ministerio, id est sacrificii celebratione, adimpleri non valet;

cap. ex litteris, de excess. prælat. annus autem currit a die adeptæ pacificæ possessionis: quod si parochus fuerit impeditus quominus susciperet ordines, & impedimentum sine culpa ejus extiterit, puta si Episcopus noluit vel non potuit conferre ordines, tunc annus ille non currit impedito; *cap. commissa, de elect. in 6.* quia tempus non currit impedito; *cap. quia diversitatem, de concess. præbend.* Solus vero Romanus Pontifex potest dispensare de ætatis defectu ad beneficia curata, vel de non promovendo intra annum, quia solus potest dispensare contra concilium; *cap. significasti, de elect.* In promovendis ad hujusmodi beneficia spectatur ætas, & ordo, ac præter hæc litterarum scientia: hac dote Malchion ex magistro scholæ Antiochenæ ob expugnatum, & erroris convictum Paulum Samosatenum, ad presbyterium ecclesiæ Antiochenæ evectus; *πρεσβυτερίου τῆς αὐτόθι παροικίας ἠξιώμενος*, ut refert Eusebius *lib.* † 7. *cap.* 23. ac infimis sæculis episcopatu submotus Episcopus Calinensis, quod grammaticam non didicisset, & Donatum non legisset; *cap. ult. de ætat. & qualit. & ordin. præfic.* In promovendis maxime requiritur eorum scientia, quæ pertinent ad administrationem sacramentorum: ideo presbyteris cum ordinarentur tradebatur libellus officialis; concil. Tolet. IV. can. 25. *Quando presbyteri in parochiis ordinantur, libellum officialem a suo sacerdote accipiant, ut ad ecclesias sibi deputatas instructi succedant, ne per ignorantiam etiam in ipsis divinis sacramentis offendant; can. quando, 38. dist.* nec clerici ordinabantur priusquam totum psalterium, & baptizandi formulare tenerent, quod supplementum vocat concil. Tolet. VIII. can. 8. *Proinde solicite constituitur, atque decernitur, ut nullius cujuscumque dignitatis ecclesiasticæ deinceps percipiant sacrum, qui non totum psalterium vel canticorum usualium, & hymnorum, sive baptizandi perfecte noverint supplementum.*

† *Lege lib.* 7. *cap.* 29. ubi invenies, quod Malchion vir disertissimus, qui sophisticæ apud Antiochiam scholæ præfuerat: & qui ob fidei sinceritatem in ejus loci ecclesia presbyterii honorem erat consecutus; post adeptum presbyterium Samosatenū coarguit, & confutavit.

CAP. XV.

Solemnis professio fidei ordinandorum in presbyteros: eadem editur ab Episcopis, metropolitis, Imperatoribus tempore inaugurationis, & a fidelibus cum baptizantur. Fidei professio, census animæ.

QUIBUS confertur beneficium quodcumque, cui inest cura animarum, tenentur intra duos menses a die adeptæ possessionis fidei professionem emittere apud Episcopum, seu ejus vicarium generalem, vel officialem; *concil. Trident. sess.* 24. *de reform. cap.* 12. nec hoc recens inventum est: vetustissimi enim moris fuit, ut ab ordinandis solemnis professio fidei ex scripto exigeretur; concil. Toletan. XI. can. 10. *Quamquam omnes, qui sacris mancipantur ordinibus, canonicis regulis teneantur adstricti; expedibile tamen est, ut promissionis suæ vota sub cautione spondeant, quos ad promotionis gradus ecclesiastica probat disciplina,* &c. *can. quamquam, 23. dist.* Solent etiam Episcopi cum consecrantur solemnem fidei professionem edere; *concil. Carth. IV. can.* 1. Eadem professio celebratur & a Metropolitanis tempore ordinationis suæ apud comprovinciales Episcopos; concil. Emeritens. can. 4. *Ut tempore, quo Metropolitanus in ecclesia Dei fuerat ordinatus Episcopus, placitum in nomine suorum comprovincialium Episcoporum faciat, ut caste, sobrie, recteque vivat.* Nec prius pallium datur Metropolitanis, quam solemnem fidei professionem ediderint chirographo suo & juramento firmatam; *can. quoniam, can. optatum, 100. dist.* Imperatores etiam, ubi solemniter inaugurati, solemnem fidei professionem apud summum Pontificem proprio chirographo exaratam deposuere; Symmachus Papa in apologetic. adversus Anastasium Imp. *Omnes Catholici Principes,*

sive

sive cum imperii gubernacula susceperunt; sive cum apostolicæ sedi novos agnoverunt Præsules institutos, ad eam sua protinus scripta miserunt, ut se docerent ejus esse consortes: itaque qui hoc non fecerunt, ab eadem seipsos profitentur alienos, quod chartis quoque tuis apud te etiam possumus adstruere, nisi te emulum & reum, & inimicum vitaremus & judicem. Nec prius ipse Anastasius corona donatus ab Euphemio Patriarcha CP. quam chirographo jurejurando firmato se obstrinxisset, quod orthodoxam fidem tueretur; de quo Evagrius *lib. 3. cap. 32.* & Zonaras *in ejusdem Anastasii vita*: & post eum Michael Rangabes non prius imperii infulas suscepit a Nicephoro Patriarcha, quam dato chirographo, se nihil de ecclesiæ institutis tentaturum; auctore eodem Zonara *in ejus vita*: & Alexio Comneno inauspicatum imperii omen visum est, quod cum ex more solemni in basilica divæ Sophiæ inauguraretur, fidei professionem tardiori stylo perscripsit: *πρῶτα μὲν ὀλιώτερον τὸ τῆς πίστεως ἐγγράφει σύμβολον βαρῦ τῇ βασιλικῇ*, ut narrat Nicetas, *in ejus vita*. Baptizandis etiam fidei professionem conceptis & solemnibus verbis edere in more positum fuit; Augustin. lib 8. confess. cap. 2. *Denique ut ventum est ad horam profitendæ fidei, quæ verbis certis conceptis, retentisque memoriter, de loco eminentiore in conspectu populi fidelis Romæ reddi solet ab eis qui accessuri sunt ad gratiam tuam*. Consulto instituta solemnis illa professio, est enim pignus & vinculum fidei, & census animæ, qui Deo rerum auctori & creatori jure optimo debetur; Ambrosf. lib. 1. in Lucam, cap. 2. **) *Professio ista fidei census animarum est*.

C A P. XVI.

Parochus tenetur residere in ecclesia, idem non potest abesse ecclesia sine justa & necessaria causa. An studiorum causa, justa absentiæ causa in parocho: etiam sacrificulis paganorum templo se movere religioni fuit.

PAROCHI officium est gregem pascere, huic invigilare & intendere: qua de causa ne desit muneri tenetur residere in loco; *cap. quia nonnulli, de cleric. non residen*. Et presbyter vel diaconus semel ordinatus in una ecclesia, non potest eam deserere, & migrare ad aliam; *can. primatus, & seqq. 71. dist. can. placuit 21. can. si qui vero, 7. qu. 1.* Hoc jure Theodulfus diaconus Parisiensis ecclesiæ a Ragnemodo Parisiensi Episcopo excommunicatione multatus, quod ad Andegavensem ecclesiam defecisset, Audoeni Episcopi gratia, quo cum arctiorem consuetudinem Parisiis contraxerat, & sæpius monitus ad propriam redire differret; de quo Gregor. Turonens. lib. 10. hist. Franc. cap. 14. *De Parisiaca urbe discedens Andegavos venit, & se Audoeno Episcopo subdidit, propter antiquam amicitiam, quam simul commorantes Parisiis habuerunt. Unde & a Ragnemodo Parisiacæ urbis Episcopo sæpius excommunicatus est, quod in ecclesiam suam, in qua diaconus ordinatus fuerat, redire differret*. Non inscite parochus comparatur colono glebæ adscripto: sicut enim colonus a fundo, cui semel inhæsit, impune discedere non potest; ita nec clericus ab ecclesia in qua semel ordinatus est; concil. Hispalens. II. can. 3. *Scribitur enim in lege mundiali de colonis agrorum, ut ubi esse quisque jam cœpit, ibi perduret: non aliter & de clericis, qui in agro ecclesiæ operantur, canonum decreto præcipitur, nisi ut ibi permaneant ubi esse cœperunt*. Ut tollatur evagandi occasio ordinatus in una ecclesia, in alia suscipiendus non est, sine litteris commendaririis proprii Episcopi, quas vocant formatas; *d. can. primatus, & seqq.* Episcopus etiam sua ecclesia abesse non debet sine justa, & necessaria causa: se numquam

sine necessaria causa ecclesia abfuisse profitetur Augustin. epist. 138. (al. 122.) *Illud noverit dilectio vestra, numquam me absentem fuisse licentiosa libertate, sed necessaria servitute, quæ sæpe sanctos fratres & collegas meos, etiam labores marinos & transmarinos compulit sustinere*. Et ubi parochus ex causa quopiam processerit, operam dare debet, ne diutius absit; Ambrof. epist. 54. (al. 75.) *Ego diligo eos vel presbyteros vel diaconos, qui cum aliquo processerint, nequaquam se patiuntur a suo diutius abesse munere*. Olim parochus potuit per septennium studiorum causa abesse ex consensu & dispensatione Episcopi; *cap. cum ex eo, de elect. in 6.* cujus rei ratio redditur, quod ecclesia ad sui regimen & ducatum viris litteratis permaxime indigeat: sed hodie parocho non licet studiorum causa abesse, nec ea est justa absentiæ causa, post concil. Trident. *sess.* 23. *de reform. cap.* 1. ex quo parochus vetatur abesse, nisi causa prius per Episcopum cognita & probata, nec ultra duos menses: nempe studiorum causa non est justa absentiæ causa in parocho, quia cura animarum est nobilissima palæstra, ad quam non est admittendus rudis & imperitus, sed vir factus & institutus. Ubi vero sunt duæ vel plures ecclesiæ in una eademque parochia, plebanus debet residere in matrice, tamquam in specula, nec potest relicta principali cathedra secedere in minorem ecclesiam, ut de Episcopo statutum est; *can. placuit* 21. 7. *qu.* 1. *Concil. Paris. V. can.* 21. *Aquisgranens. II. can.* 12. & *lib.* 1. *capitul. cap.* 41. Quod si parochus ultra sex menses ecclesia abfuerit, & trinæ citationis edicto, legitimis scilicet interstitiis temporis, admonitus, non redeat ad ecclesiam intra sex menses, beneficio privandus est; *cap. ex tuæ, de cleric. non resid.* Oldrad. *consil.* 195. Erubescant hoc loco Christi sacerdotes ab ecclesiæ signis abscedere: etiam ipsis idolorum pseudo-sacrificulis nefas fuit a limine templi recedere: ob id ne in jus vocarentur statutum, quod propter loci religionem inde se movere non possent; *l.* 2. *ff. de in jus vocand.* & judicandi munere soluti sunt, qui sacerdotium nacti essent, ut discedere ab eo sine religione non possent; *l. pen. ff. de vacat. & excusat. muner.* unde & sacerdotii omen fuit in somnis sibi viso, templo catena alligari; Artemidor. Oneirocritic. lib. 5. (somn. 1.) *ἔδοξέ τις τῷ ποσειδῶνος τῇ βάσει ἀλύσει προσδεδέσθαι, ἱερεὺς ἐγένετο τῷ ποσειδῶνος, ἔδει γὰρ αὐτὸν ἀχώριστον εἶναι ἱερέα: visus est sibi quis ad fundamentum templi Neptuni, catena alligatus esse, oportebat enim ipsum inseparabilem sacerdotem esse*.

C A P. XVII.

Parochus non per vicarium, sed per se ecclesiæ inservire debet. Ecclesia locata ad firmam, retento censu annuo, persona, seu personatus nomine: Personatuum, seu prioratuum origo. Vicarii perpetui, eis debetur congrua portio. Cura animarum habitu remanet penes priorem, actu transfertur in vicarium perpetuum. Vicarius perpetuus debet fidem & obsequium personæ, id nomen primigenio rectori, seu priori.

PAROCHUS curam animarum per se, non per vicarium exercere debet; *cap. quia nonnulli, de cleric. non residentib. cap. extirpandæ, §. qui vero, de prebend.* quia cura animarum est munus personale, in quo electa est industria & fides personæ; *l. inter artifices, ff. de solut. cap. quoniam apostolica, §. 1. de offic. delegat.* hujus oneris effugiendi causa fœdissima ratio excogitata est, ut pinguiores parochi ecclesias ad firmam traderent, seu locarent cuipiam clerico ecclesiæ deservituro, retento sibi certo annuo censu, vel majori parte fructuum, personæ & personatus nomine: quod vetitum est, primum ab Alexan-

xandro III. *cap. quoniam, ne prælat. vices suas, vel eccles. sub annuo cens. conced.* tum in conc. Londinensi habito anno 1237. apud Mathæum Paris. *Alicubi audivimus contigisse, quod vacante pingui ecclesia, quam quidam optabat habere, non tamen audebat eam recipere ut persona, ne aliis ipso jure beneficiis, quæ obtinuit, privaretur; callide procuravit, ut ecclesia illa sibi ad firmam perpetuo traderetur; ita ut modicum quid inde solveret alii, nomine personatus, sibique totum reliquum retineret. Quo dante causam, edicto statuimus, ne in tota, vel in parte ad firmam alicui sub quocumque colore in beneficium conferatur, cassum & inane fore penitus decernentes, si contra fuerit attentatum.* Eadem de causa personatus seu prioratus introducti, quorum arte & ingenio factum est, ut dignitas & emolumentum fructuum maneret apud primum rectorem, quem personam vocabant, onus ministerii in vicarium rejiceretur, delibata ei particula fructuum; Joannes Sarisber. Polycratic. lib. 7. cap. 17. *Utique & insignis prudentiæ, si quis tot quocumque modo conquirit altaria, ut quasi ritu Memphitico quotidianas hostias novis possit altaribus immolare, nolunt tamen sacerdotio dominari, aut servire altario, qui de altario vivunt, ne, ut populus arguit, dictam luxuriantur, sed personatus quosdam introduxerunt, quorum jure ad alium onera, ad alium referuntur emolumenta.* Ita passim hæc labes fœdavit ecclesiam, ut nullus fere presbyter videretur nisi firmarius, id est qui ecclesiam sub censu annuo conductam teneret; Willelmus Malmesbur. lib. 4. de gest. Reg. Anglor. *Nullus dives nisi nummularius, nullus clericus nisi causidicus, nullus presbyter nisi, ut verbo parum Latino utar, firmarius.* Parochum igitur non per vicarium, sed per se parœciali ecclesiæ deservire oportet: quod si plebs frequentior sit, quam ut unus opera sua munus implere valeat, potest sibi adjungere temporalem seu amovibilem vicarium, dummodo is a diœcesano sit approbatus; *cap. 2. de ætat. & qualit. & ordin. præf. cap. cum ex eo, de elect. in 6. extravag. execrabilis, §. quantum autem, de præbend. concil. Trident. sess. 21. de ref. cap. 3. sess. 23. cap. 15. & 17.* Quod si parœcialis ecclesia sit annexa dignitati, vel præbendæ, hoc casu qui dignitatem, vel præbendam habet in majore ecclesia, debet præponere ecclesiæ idoneum & perpetuum vicarium, adscripta ei congrua id est idonea portione de fructibus ecclesiæ; *d. cap. extirpandæ, §. qui vero, & cap. exposuisti, de præbend.* Idem dicendum si parœcialis ecclesia unita sit capitulo, seu collegio ecclesiastico, vel cœnobio; *cap. 2. de suppl. neglig. prælat. cap. unic. de capell. monach. in 6. & concil. Trident. sess. 7. de reform. cap. 7. & sess. 25. de regular. cap. 11.* Vicario perpetuo assignanda est congrua portio, de qua sese sustentare, hospitalitatem colere, & jura episcopalia luere possit; *d. cap. 2. cap. avaritiæ, cap. de monachis, de præbend. cap. ult. §. ubi autem, de decim. in 6. clem. 1. de jur. patronat.* Hac de re querelæ passim excitatæ in monachos, ecclesiarum quæ sui juris erant, congrua nimis fraudarent, ut constat ex iisdem locis, quibus addendus est Joann. Saresberiens. epist. 69. *Est quiddam, quod tam meam, quam alias vehementer angit ecclesias, quorumdam scilicet rapax & intemperans audacia monachorum, qui quo liberius effluant, sæcularis potentiæ præsidia redimentes, primo Episcopis omnem obedientiam subtrahunt, & parochiales ecclesias cum altariis & decimationibus, ceterisque beneficiis de manu laica recipere, pactis quibuslibet sacrilega temeritate præsumunt: in his ergo ab eis, nec canonicus ordo, nec episcopalis assensus exigitur; sed devoratis ad proprietatem omnibus, mercenarios in tanta paupertate ibi constituunt sacerdotes, ut ad exhibitionem suam, & ad onera ecclesia portanda non habeant quod opilioni sufficeret, aut cursori.* Hoc pacto in ecclesiis parœcialibus unitis dignitati vel præbendæ, capitulo, vel cœnobio, constituto vicario perpetuo, cura quidem animarum habitu remanet penes primigenium rectorem, sed actu transfertur in vicarium perpetuum: solus enim vicarius perpetuus exercet curam animarum;

cap. constitutus, *de filiis presbyter. cap. 2. de offic. vicar. cap. illud etiam*, *de excess. prelat.* Unde vicaria perpetua habetur pro beneficio ecclesiastico; *cap. postulasti*, *de rescript.* & primigenius rector actu sacris operam non dat, nisi statis & solemnibus diebus ad tuendam personatus dignitatem: & ita accipe quod scriptum est in *cap. super eo*, *de praebend. in 6.* eum, qui haberet praebendam, cui parœcialis ecclesia adnexa esset, in ea spiritualem jurisdictionem, & sic curam animarum habere, id est curam habitu, actualis enim transfertur in vicarium perpetuum: habitualis otiosa & vacua cum dignitate & emolumento fructuum remanet penes primatem & seniorem parochum. Ideo vicarii personis fide & sacramento obligantur, id est eis sacramento obedientiam & obsequium promittunt: & si praeter fidem ipsius ecclesiae personatum affectent, & contra personas se erexerint, ab officii executione suspenduntur; *d. cap. illud etiam*: & haec fuit origo & causa personatuum, quod nomen originem suam repetit ab illis, quos personas vocant; concil. Arvernense habitum sub Urbano II. *mutatis clericis*, *quos personas vocant*, *can. quaesitum*, 1. *qu.* 3. & Jo. Sažesber. epist. 1. *Non personas*, *sed conductos sacerdotes*. Prioratus recentiores vocarunt, quae appellatio jam olim communis fuit majoribus & pinguioribus beneficiis; Innocent. II. in synodo Romana, can. 2. *Si quis praebendas*, *vel prioratum*, *seu decanatum*, *aut honorem*, *vel promotionem aliquam ecclesiasticam*, &c. *can. si quis praebendas*, 1. *qu.* 3. sic Bethleemiticam ecclesiam ex prioratu in cathedralem erectam dixit Willelm. Tyrius lib. 11. de bell. sacro. cap. 12. *Proposuit Balduinus Rex*, *de pio mentis fervore*, *ecclesiam Bethleemiticam*, *quae usque ad illam diem prioratus tantum fuerat*, *ad cathedralem sublimare dignitatem*.

C A P. XVIII.

Monachi ad parœcialium ecclesiarum regimen assumpti non sine dispensatione. In parœcialibus ecclesiis unitis monasteriis, monachi non per se curam animarum exercere debent, sed adhibito vicario perpetuo. Canonicis regularibus parœciales ecclesias obtinere licet, quia sunt regulae laxioris. Ivonis hac de re judicium.

EX quo monachi in clerum allecti sunt constitutione Syricii; *can. monachos*, 16. *qu.* 1. etiam ad parœcialium ecclesiarum regimen admissi sunt: non tamen sine pontificia dispensatione; *can. doctos*, *can. si monachus*, *can. in parochia*, 16. *qu.* 1. & hoc casu concilio Lateranensi hic modus adhibitus est, ne singuli monachi in parœciali ecclesia locentur, sed cum aliquo fratre, quo vitae & conversationis testem habeant; *cap. monachi*, *cap. quod Dei timorem*, *de stat. monach.* ex concilio Claromontano, ubi ecclesia parœcialis annexa est monasterio, monachi non possunt per se exercere curam animarum, sed constituendus est vicarius perpetuus; *can. sane quia*, & *) *seq.* 16. *qu.* 2. eo nomine damnati monachi S. Bertini pagi Atrebatensis, quod in illis ecclesiis parœcialibus, quae monasterio suo parebant, per annuos & conductitios vicarios, ac saepius per se ipsos parochiales vices implerent; Stephanus Tornacens. epist. 200. *Ecclesiam habent apud Coclech*, *in qua per annuos & conductitios mercenariosque sacerdotes*, *saepe & per se ipsos*, *quod sacris canonibus inhibitum est*, *parochialia ministrant*. Monachi repelluntur a functione parochialium, quia monachi officium est non docentis, sed plangentis; *can. monachis*, 16. *qu.* 1. eorumque vita aliena est a commercio laicorum, quibus plebanum se immiscere necesse est, ut eos in officio contineat, & Christo lucrifaciat. Canonici regula-

gulares vero parœciales ecclesias obtinere non prohibentur, quia regulæ inserviunt laxiori; *d. sap. quod Dei timorem*: nempe parœciales ecclesias, quæ sunt in dote monasterii sui eis tenere licet, ita ut propter culpam amoveri possint, & revocari ad claustrum; Stephanus Tornacens. epist. 179. *Verum perhibemus testimonium, quod ab exordio ordinis nostri parochiales sauonicos nostros in episcopatibus, in quibus sunt libere, & absque ulla contradictione, pro necessitate vel utilitate ecclesiarum nostrarum, vel pro suarum correptione culparum, consuevimus amovere, & in claustrum reducere, & quoties res urgebat excommunicare*. De iisdem Jacob. a Vitriaco lib. 2. hist. Occid. cap. 21. *Sub unius abbatis, vel prioris obedientia continenter vivunt, proprium autem eis habere non licet, animarum curas licitum est eis suscipere, & ecclesias parochiales regere*. Episcopis gravis fuit parochiarum curatio per canonicos regulares: hoc jure eis interdictum ab Episcopo Lemovicensi, de quo valde offensus Galterus Stirpensis ecclesiæ Lemovicum præpositus, Ivonem Carnotensem Episcopum, ea ætate Summatem Galliarum rogavit, ut hac de re ad eumdem scriberet. Ivoni factum displicuit, sed rem temperandam visum, nec prorsus a parochiis removendos clericos regulares, nec passim obtrudendos; auctor ipse, epist. 69. ad eundem Galterum: *Quantum intellexi ex litteris ex vestra parte mihi nuper oblatis, graviter fert vestra fraternitas, quod Lemovicensis Episcopus in synodo agens interdixit omnibus regularibus clericis, & regimen parochiarum & confessionem pœnitentium: qui rectius quidem fecisset si omnes sacerdotes ad regularem vitam invitasset, quam regulariter viventes a dominicarum ovium custodia penitus removisset. Hoc vero interim ad inquisita respondeo, quia clerici regulares ab hoc officio nec penitus sunt removendi, nec indiscrete admovendi*. Idem ejusdem patris judicium, epist. 213. *His rationibus & auctoritatibus freti constenter asserimus, non esse audiendos qui clericos regulariter viventes a regimine animarum judicant repellendos, quia sæculo renunciaverunt, sed ideo potius ad hoc assumendos, quia voluptates & pompas sæculi contempserunt*.

C A P. XIX.

Peregrini beneficiorum ecclesiasticorum impotes in Gallia. Eadem conferenda linguæ peritis. Beneficia indigenis affecta, quæ patrimonialia vocant. Thomæ Mauroceni CP. notatio, quod ecclesias solis Venetis conferret.

CONSTITUTIONE Caroli VII. peregrini & advenæ in Gallia arceantur a beneficiis ecclesiasticis, his maxime, quibus cura animarum inest, nisi prius naturalitatis litteras a Principe impetraverint; quod optima ratione institutum est: nimis enim incivile est plebi præesse homines, quorum mores peregrini & advenæ nostrates contagio offendunt, quorum fides Principi suspecta esse potest: stultum est gregem credi illi, qui vultum gregis non agnoscit, & linguam moresque regionis minime novit. Hac de causa si in eadem diœcesi commixti sint populi diversarum linguarum, puta Græci, & Latini, Episcopus idoneos rectores instituere debet, qui pro varietate linguarum cuique sacra ministrent; *cap. quoniam in plerisque, de offic. judic. ordinar.* & beneficia ecclesiastica non debent aliis conferri, quam linguæ peritis, alioquin collatio seu provisio est nulla & irrita, juxta cancellariæ regulam de idiomate. Ita Bruno presbyter ordinatus in Aldenburgensi ecclesia castrum desertum instaurari obtinuit, deducta colonia Saxonica, quo plebem haberet cujus linguam & mores nosset; Helmold. hist. Slavor. lib. 1. cap. 84. *Et quia castrum & civitas, quæ olim ecclesia & sedes cathedralis fuerat, deserta erat, obtinuit apud Comitem,*

ut fieret Saxonum colonia, & esset solatium sacerdoti, de populo cujus nosset linguam & consuetudinem, & factum est hoc novellæ ecclesiæ non mediocre adjumentum. Eodem consilio Vespasiano suasit Apollonius, in quamque provinciam mittendos magistratus, qui linguam regionis callerent; teste Philostrat. *de vit. Apollon. lib.* 5. *cap.* 13. Eodem jure usi sunt Angli: Eduardi III. lex fuit, ne sacerdotia Anglicana concederentur advenis; de quo Thomas Walsingam, *in Eduardo III. ad ann.* 1343. & Polydor. Vergil. *lib.* 12. *hist. Anglic.* Eadem quoque lex in Hungaria observata, & hujus sciens Innocentius III. Pontifex, ne leges regni tentaret, Episcopatui Stridoniensi tum vacanti exterum obtrudere noluit; ut profitetur ipse in cap. bonæ memoriæ 4. de postulat. prælat. *Quia vero non plenam de personis illius regni notitiam habebamus, ideoque non poteramus salva conscientia eidem ecclesiæ in alia persona, nisi quæ de regno Hungariæ originem duceret congrue providere: nec vellemus ei præficere alienum*, &c. In Hispania etiam pulsis Saracenis constitutum, ut beneficia conferrentur indigenis, optimo sane consilio, ut populares hoc vinculo magis obligarentur ad tuendam patriam a Saracenis; Hieron. Zurita in indicib. Aragon. ad ann. 1131. *Decreto apostolico ecclesiastica beneficia ut indigenis conferantur sancitur, eamque sanctionem Lucius II. P. M. confirmat*: & hoc est quod ait Gonzales in *regul.* 8. *cancellariæ*, *gloss.* 9. §. 1. *num.* 3. in multis Hispaniæ partibus omnia beneficia esse patrimonialia, id est conferri solis filiis patrimonialibus, seu naturalibus loci: nec ista abhorrent a jure civili: Cæsareis enim constitutionibus vetatur, ne clerici ordinentur ex alia possessione, seu vico, quam ex eo ubi ecclesiam esse constiterit; *l. in ecclesiis* 11. *C. de Episc. & cleric.* quod non sine causa constitutum: nempe ut clerici in ecclesia vici, in quo prædia possiderent ordinati, propriæ capitationis onus ac sarcinam recognoscerent, neve mutatione soli & clericorum translatione in alium vicum, vel fundum, vectigalium ratio conturbaretur: clerici enim non erant immunes a vectigalibus prædiorum; *l. de his, C. de Episc. & cleric.* de quo Basilius *epist.* 179. Peregrinis, inquam, interdicitur beneficiis ecclesiasticis, nisi rescripto Principis civitate donati sint: nec enim virtus uspiam peregrinatur, ubique patriam & lares proprios sibi parat sub bono Principe: infelix respublica, quæ virtutis præmia peregrinis denegat, peregrinarum mercium commercio gaudet, peregrinæ virtutis commercium odit. Capta Constantinopoli a Francis & Venetis communibus auspiciis male audiit Thomas Maurocenus Constantinopolitanus Patriarcha, natione Venetus, quod ex pacto beneficia ecclesiastica Venetis tantum conferret, remotis Francis & Græcis, & ab Innocentio III. Pontifice jussus, ut viros litteratos, & alias idoneos, undecumque originem ducerent, in ecclesiis Constantinopolitanis, & maxime in majori, institueret; *cap. ad decorem, de instit.*

DIS-



DISSERTATIONUM JURIS CANONICI.

LIBER SEXTUS.

De parochiis, deque officio & poteſtate parochi.

C A P U T I.

Presbyteri, ſeu parochi, ſacerdotes ſecundi ordinis, Epiſcoporum συλλειτουργοὶ comminiſtri, compaſtores, cooperatores, adjutores. Regimen animarum ars artium. Parochi prælatorum & præſidentium nomine continentur, iidem dicti προεστῶτες, προεστῶτας. Presbyteri cardinales, perſonæ, & eorum beneficia perſonatus. Parochiales eccleſiæ in villa murata non aliis conferendæ, quam graduatis. Ex privilegio parochi habent jura epiſcopalia in ſuis eccleſiis, ea ſcilicet quæ pertinent ad jurisdictionem.



QUÆ ſit dignitas præsbyterorum ſeu parochorum ſcire ſi ſtudes, nimirum gradu proxima eſt epiſcopali, quæ eſt apex & culmen ſacerdotii. In locum Apoſtolorum ſucceſſere Epiſcopi, ſed presbyteri typum gerunt ſeptuaginta diſcipulorum, qui Apoſtolis ſuccenturiati, ex Anacleti *epiſt.* 2. *can. in nove*, 21. *diſt.* Theodulphus Aurelianenſis Epiſcopus in capitulari ad parœcos: *Scitote veſtrum gradum noſtro gradui ſecundum, & pene conjunctum eſſe: ſicut enim Epiſcopi Apoſtolorum in eccleſia, ita nimirum presbyteri ceterorum diſcipulorum Domini vicem tenent: & illi tenent gradum ſummi Pontificis Aaron, iſti vero*

filiorum ejus, &c. Unde Episcopi locantur in primo sacerdotii gradu, presbyteri in secundo; Optatus Milevitan. lib. 1. advers. Donatist. *Quid commemorem laicos, qui tunc in ecclesia nulla fuerant dignitate suffulti? quid ministros plurimos, quid diacones in tertio, quid presbyteros in secundo sacerdotio constitutos? ipsi apices & Principes omnium Episcopi.* Eademque analogia presbyteri vocantur antistites secundi ordinis; Sidon. lib. 4. epist. 11. de Claudiano fratre Mamerci Viennensis Episcopi:

Antistes fuit ordine in secundo,
Fratrem fasce levans episcopali.

Et idem *epist.* 25. ejusdem libri, Joannem presbyterum, qui postea electus est Cabillonensis Episcopus, secundi ordinis sacerdotem appellat. Presbyteros constitutos per omnes Romanæ urbis titulos teneri lege de non alienandis rebus ecclesiæ voluit synodus Romana IV. sub Symmacho, *can.* 6. hac ratione, quia nefas dictu est, obligatione qua se per caritatem Christi connectit summus Pontifex, ea hominem secundi in ecclesia ordinis non teneri. Et Vigilius Papa, *epist.* 6. ad Auxanium Arelatensem, qui ex presbytero factus erat Episcopus, ait, eum ex sequenti ordine sacerdotii provectum ad pontificalis apicem dignitatis. Penes Episcopos sane est apex & culmen pontificatus, sed negandum non est, presbyteros ascitos esse in partem solicitudinis; quam ob causam presbyteri a Græcis vocantur *συλλειτουργοὶ* comministri, ut in epistola patrum congregatorum adversus Paulum Samosatenum; Euseb. lib. 7. cap. † 30. *πᾶσι συλλειτουργοῖς, ἡμῶν Ἐπισκόποις, καὶ πρεσβυτέροις: omnibus comministris, Episcopis, & presbyteris.* Episcopos & presbyteros, illos pastores, hos compastores appellat Jo. Chrysostom. de diversis utriusque testamenti locis, serm. de pseudoprophetis: *τί*, inquit *ἀπολογησόμεθα τῷ ἀρχιποιμένι; οἱ ποιμένες, καὶ συμποιμένες; Quid summo illi pastori respondebimus? o pastores & compastores?* Presbyteros Episcoporum cooperatores agnoscit concil. Aquisgranens. III. sect. 2. de ordine rectorum, can. 5. *Quia cooperatores oneris nostri esse procul dubio noscuntur.* Vicarios & adjutores Fulbert. epist. 2. ad Finardum: *Cibum celestem repræsentat ille dominicus cibus, quem per quadraginta dies sumendum, tamquam salutis viaticum Pontifex novis ecclesiæ cultoribus distribuit, quos suæ pastoralis curæ vicarios adjutores ad erudiendam plebem sibi commissam constituit.* Eodemque dignitatis participio Episcopus non se dominum, sed collegam presbyterorum esse cognoscat, voluit synod. Carthag. IV. *can.* 35. *in can.* † *Episcopus* 10. † 95. *dist.* Quanto anima præstantior est corpore, tanto ceteris muniis publicis præstantius & nobilius est officium parochi, quod versatur in curatione animarum, unde ars artium dicitur regimen animarum; *cap. pen. de ætat. & qualit. & ordin. præficiend.* & parochi prælatorum nomine continentur; *cap. cum ab ecclesiarum, de offic. ordinar. cap. tua nos, de cleric. ægrot. vel debilit.* & melioribus ecclesiæ sæculis presbyteri cum Episcopis præsidentium nomine cohonestati; Tertull. de coron. milit. *Eucharistiæ sacramentum etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu quam præsidentium sumimus:* & præsidere dicti seniores, sive presbyteri; idem Tertullian. apologetic. cap. 39. *Præsident probati quique seniores, honorem illum non pretio, sed testimonio adepti.* Eadem ætate Episcopis & presbyteris commune fuit nomen *προεστώτων* apud Græcos; Justin. martyr, apolog. 2. (al. 1. cap. 65.) *εὐχαριστήσαντος δὲ τοῦ προεστῶτος: quum præsidens gratiarum actionem perfecerit.* Nec dispari cultu parochi dicti sunt *πρωτοπαπᾶς*, Balsamo in can. 8. synod. Antiochen. *τοὺς ἐν ταῖς χώραις πρεσβυτέρους, ἤτοι τοὺς πρωτοπαπᾶς: Presbyteros qui sunt in pagis, seu protopapas,* & iidem dicti etiam presbyteri cardinales, quod ecclesiæ incardinarentur, ut jam observatum est ex Gregorio; *can. fraternitatem*, 71. *dist. can. quorumdam*, 74. *dist. can. relatio*, 21. *qu.* 1. Posterioribus sæculis novis honorum titulis aucta est dignitas parochorum: hos enim personas vocarunt, & eorum beneficia personatus, quæ est di-

dignitatis ecclesiasticæ genus; *cap. ex parte* † 2. *al.* 12. *de rescript. cap. constitutus, de filiis presbyteror. cap. personas, de appellat. cap. ult. ne cler. vel monach. sæcular. negot. se immisc. cap. illud etiam, de excess. prælat. can. quæsitum*, 1. *qu.* 3. Personæ autem dicti sunt parochi, quod personam ecclesiæ sustineant, ut de Petro scripsit Augustinus homil. 54. *Petrus in multis locis apparet, quod personam gestet ecclesiæ*: qua de causa personas a conductitiis presbyteris distinxit Jo. Saresber. epist. 1. *Non personas, sed conductos sacerdotes*. Parochorum personatus & dignitatis insigne argumentum est, quod judices dari possunt auctoritate sedis apostolicæ; *cap. ex litteris* 29. *de offic. deleg.* quod in alios non cadit, quam personatu, aut dignitate præditos; *cap. statutum, de rescript. in* 6. Hoc honoris præcipuum urbanos parœcos a vicanis secernit, quod parœciales ecclesiæ, quæ sunt in urbe, vel villa murata, non possunt conferri alii, quam graduato; juxta *pragmatic. tit. de collat.* §. *in ecclesiis, & ibi gloss. & concord.* §. *ult. eod. tit.* nec summus Pontifex potest dispensare cum non graduato, quia non potest derogare legi, quæ vim contractus obtinet. Ex privilegio etiam pontificio quandoque presbyteri in ecclesia sua episcopalia jura exercent, intellige pertinentia ad jurisdictionem, quæ synodica vocat Ekkeardus junior, de casib. monast. S. Galli, cap. 14. apud Goldast. tom. 1. rer. Alemanicar. *Unde, ut antiquitus loci nostri mos statutus erat, publicus populo nostro etiam presbyter positus est, ut in ecclesia S. Othmari omnibus, qui inter Goldahan & Sintrianum fluvios degunt, synodica quæque præter disjunctionem conjugum pro Episcopo faceret, cujus rei privilegia cum a Joanne Papa cum Salomone Episcopo, nec non Carolo astipulante habeamus, invidi monachis nunc temporis Episcopi, vix nobis, & nostris habitum relinquentes, ut Sallustii verbis utar, nil nobis reliqui facere moliuntur*, &c.

C A P. II.

Parochi officium missas, & alia sacra celebrare. Missa parochialis hora tertia, & in majori altari celebranda. Parœcianorum officium parœcialem ecclesiam frequentare, & singulis dominicis parœciali missæ adesse.

PAROCHI dignitas non otiosa & iners, tota in actu & *ἀσκήσει* versatur. Parochi officium est gregem pascere & regere, quod varia & multiplici opera distringitur. Primum parochi officium est dominicis & aliis festivis diebus missarum solemnia & alia divina officia celebrare; ex concil. Nannetens. *can.* 1. *&* 2. *can. in dominicis, & seq.* 9. *qu.* 2: *& cap.* 2. *de parochiis*. Agendas vocarunt nostri, quia rite & solemniter aguntur; concil. Carthagin. II. can. 9. *Quisquis presbyter inconsulto Episcopo agenda in quolibet loco voluerit celebrare, ipse honori suo contrarius existit*. Parochi officium in celebrandis agendis, seu missis solemnibus, recte signat Beda lib. 2. hist. ecclesiast. cap. 3. ubi de ecclesia S. Pauli apud Londinum: *Habet hæc in medio pene sui altare in honorem beati Gregorii Papæ dedicatum, in quo per omne sabbatum a presbytero loci illius agendæ eorum solemniter celebrantur*. Adeoque presbyter, cui creditæ sunt duæ vel plures ecclesiæ ob inopiam & tenuitatem, singulis diebus dominicis in singulis missæ sacrificium celebrare debet; concil. Emeritens. *can.* 19. Missa parœcialis celebrari debet hora tertia, quæ est hora nona matutina, quo plebs commodius adesse possit, eaque religione, ut cavendum sit ne diebus dominicis per missas peculiares populus a publicis, quæ hora tertia fiunt, abstrahatur; Theodulphus Aurelianensis in *capitul. ad parochos, cap.* 45. quem locum Gratianus falso adscribit Augustino in can. & hoc, de consecr. dist. 1. *Ut*

missæ, quæ per dies dominicos peculiares a sacerdotibus fiunt, non ita in publico fiant, ut per eas populus a publicis missarum solemnibus, quæ hora tertia canonice fiunt, abstrahatur. Missæ solemnis hora tertia celebrandæ ritum testatur canon 14. concil. Aurelianens. III. de missarum celebratione: *In præcipuis duntaxat solemnitatibus id observari debebit, ut hora tertia missarum celebratio in Dei nomine celebretur.* Gregor. Turonens. in vita S. Nicetii Lugdunensis apud Surium, april. 2. *Facta quoque hora tertia cum populus ad missarum solemnia conveniret.* Et Beda lib. 4. hist. ecclef. cap. 22. *A tertia enim hora, quando missæ fieri solebant, sæpissime vincula solvebantur.* Inde presbyter quidam, querentibus apud Episcopum rusticis, quod modo hora tertia, modo nona die dominica missam celebraret, moræ causam hanc reddidit: *die dominica*, inquit, *prope altare sedeo, & quousque videam Spiritum sanctum altare obumbrantem sacra missarum solemnia non incohoo*, ut narrat Jo. Moschus, *Limonar. cap.* 27. & hujusmodi missa celebratur in majori altari, ubi sacra mysteria asservantur. Unde altare majoris missæ distinguitur ab altari minoris missæ, in vita D. Gosuini Aquicinctensis abbatis, lib. 1. cap. 20. *Videre sibi visus est de loco sanctuarii virum egredi, & per altare missæ minoris in presbyterii descendere pavimentum: cum autem transitum faceret, juxta mensam majoris missæ, ubi loco suo Sancta Sanctorum servabantur.* Et eadem missa dicitur publica, quia in publico populi conventu, & in ecclesiis parœcialibus celebratur, non in cœnobiis, ne in his popularis conventus occasio præbeatur; Gregor. lib. 4. epist. 87. *Missas quoque publicas in cœnobiis fieri omnimodo prohibemus: ne in servorum Dei recessibus & in eorum receptaculis ulla popularis conventus præbeatur occasio, can. Luminoso*, 18. *qu.* 2. Nunc videamus quæ sint partes parœcianorum: nimirum hi tenentur singulis diebus dominicis & aliis festis diebus adesse missæ parœciali, decimas enim præstant ecclesiæ, ubi per totum anni circulum missas audiunt; *can. questi*, 16. *qu.* 1. quem Gratianus falso laudat ex concil. Moguntino, repetendus enim est ex concil. Cabillonens. II. *can.* 19. & laici vetantur audire missam extra parochiam, in qua legitimus ordinariusque est conventus; *concil. Agath. can.* 21. *can. si quis etiam, de consecr. dist.* 1. Unde parœcialis ecclesia dicitur locus processionis celeberrimus, in *can. presbyteri*, 24. *dist.* & presbyter non debet admittere ad missam alienum plebanum, id est parœcianum; *d. cap.* 2. *de parochiis, & d. can. in dominicis, & seq.* ita tenentur parœciani frequentare ecclesiam parœcialem, ut non possint abesse sua ecclesia ultra tres dies dominicas sine causa, sub pœna excommunicationis; *synod. VI. in Trull. can.* 81. Nec hi perfunctorie debent parœciali missæ interesse, sed totam peraudire debent, ita ut ante benedictionem abire non liceat; ex *concil. Agath. can.* 47. *can. missas die; de consecr. dist.* 1. Denique fideles parœcialem ecclesiam, ut pii liberi matrem, colere, & frequentare, & observare debent. De eo quod quotidie fideles ecclesiam non adirent, sed tantum festis diebus, dolet Chrysostom. homil. 24. ad Antiochenos, (al. monitum in homil. de baptismo Christi, & de epiphania, in princ.) *δάκνομαι καὶ ὀδυνῶμαι τὴν ψυχήν, ὅτι τοσαῦτα τεκοῦσα τέκνα ἡ ἐκκλησία, οὐ καθ' ἑκάστην σύναξιν ἀπολαύειν αὐτῶν δύναται, ἀλλ' ἐν ἑορτῇ μόνον. Crucior & animi dolore angor, quod cum tam multos liberos peperit ecclesia, non illis ibidem in singulis collectis, sed in festo solummodo frui possit.* Et eadem ratione notantur Antiocheni, quod sacris non solutis discederent.

CAP.

C A P. III.

Paroc'i est subditos baptizare. Unde parœciales ecclesiæ baptismales dictæ. Baptismus, titulus Christianitatis, sacerdotium laici.

EPISCOPI, vel presbyteri, seu parochi, est baptizare, vel his absentibus diaconi; *can. constat, de consecr. dist.* 4. & quidem præsente Episcopo presbyter non potest baptizare sine jussu Episcopi; *can. omni tempore, de consecr. dist. ead.* Et ita accipiendum illud Tertulliani de baptismo, cap. 17. *Dandi quidem habet jus summus sacerdos, qui est Episcopus, dehinc presbyteri, & diaconi; non tamen sine Episcopi auctoritate, propter ecclesiæ honorem, quo salvo, salva pax est*, id est præsente Episcopo, eo enim absente, nihil vetat presbyterum baptizare, non expectato Episcopi præcepto; quia in ordinatione, & collatione tituli, baptizandi officium recepit. Baptismus ita pertinet ad officium parochi, ut non possit ministrari, nisi in ecclesia parœciali; synod. Meldens. can. 48. *Ut nemo presbyterorum baptizare præsumat, nisi in vicis & ecclesiis baptismalibus*, unde parœciales ecclesiæ baptismales dictæ; ut in *d. can. Meldensi, & in can. plures, can. statuimus*, 16. *qu.* 1. Aliquando tamen ecclesiæ baptismales aliæ fuere, quam parœciales, nimirum ecclesiæ privatæ, in quibus baptismus tantum ministrabatur: nempe in quibus diaconus sine presbytero ministrabat; de quibus concil. Eliber. can. 77. *Si quis diaconus regens plebem sine Episcopo vel presbytero aliquos baptizaverit, eos per benedictionem perficere debebit*. Baptismus igitur non potest ministrari, nisi in ecclesia parœciali: excipitur nisi filii Regum, vel Principum baptizandi extiterint, quibus hoc casu defertur; *clem. unic. de baptismo*. Presbyteris diligenter Episcopus tradere debet baptismi sacramentum, id est ritum & formam solemnem administrandi baptismi; conc. Turonens. III. can. 18. *Episcoporum sit magna solicitudo presbyteris suis tradere baptismi sacramentum, & quid in eodem renunciandum, quidve credendum sit*. Et presbyteri, cum ad litanias, vel synodum conveniunt, Episcopo rationem reddere debent, an rite & solemniter baptizent; *can. quando*, 38. *dist.* Et hoc est quod voluit concil. Pictaviense I. can. 6. *Presbyter autem de cura animarum, & de Christianitatis ministerio Episcopo respondeat*. Christianitatem appellat baptismi sacramentum, quo Christiani efficimur, unde titulum Christianitatis appellat Ambros. sermon. † 90. *Videns itaque Symphronius præfectus tantam in puella constantiam, parentes ejus alloquitur: & quia erant nobiles, & vim eis inferre non poterat, titulum eis Christianitatis opposuit*. Et hoc sensu quæritur in *can. sunt nonnulli*, 16. *qu.* 1. an monachi presbyteri Christianitatem largiri possint, id est baptismum, quem merito Christianitatem vocarunt: siquidem hujus gratia Christianæ fidei tesseram accipimus, & Christianorum cœtui cooptamur, & baptismus est quasi initiatio sacerdotii; Hieronym. advers. Luciferianos: *Deponat sacerdotium laici, id est baptisma*.

† In lib. meo, *ep. virginibus sacris*, 1. *inter spur. n.*4.

CAP. IV.

Pœnitentiæ publicæ indictio propria Episcoporum. Jurisdictionem ordinariam habet parochus in foro pœnitentiali. Ex Lateranensi conc. Parochiani semel in anno debent sacra exomologesi peccata expiare apud proprium parochum, & in festo paschæ SS. eucharistiam ab eodem suscipere. Veteres Christiani quotidie communicabant: quotidianæ communionis usus quando defecit. De custodia SS. eucharistiæ observatu digna. SS. eucharistia ad ægros defertur cum facibus & tintinnabulo. Parochi officium est & extremam unctionem deficientibus ministrare. Custodia SS. chrismatis.

PRESBYTERIS, seu parœciarum rectoribus non licet pœnitentiam publicam indicere, nec pœnitentes publice in ecclesia reconciliare, seu absolvere; *conc. Carthag. II. can. 3. Carthag. III. can. 32. Agathens. can. 44. can. si jubet, can.* † *ministrare, can. presbyter ult. 26. qu. 6.* nec chorepiscopis, quia pontificii apicem non habent; ex Leonis *epist. 86. can. quamvis, 68. dist.* nec abbatibus etiam; *can. accedentibus, de excess. prælat.* sed hæc reservantur Episcopo, nec inferioribus permissa sunt, nisi ex mandato Episcopi. In publica tamen pœnitentia non vacant partes presbyterorum parœciæ: cum enim pœnitentes publici præsentantur Episcopo ante fores ecclesiæ, adesse debent decani, id est archipresbyteri parochiarum, & presbyteri pœnitentium, qui pro modo culpæ pœnitentiam per gradus injungant, post hæc eos in ecclesiam introducant, solemniter demum per Episcopum reconciliandos; ex *concil. Agath. can. 9. can. in capite, 50. dist.* Pœnitentiæ publicæ locus fuit tantum in publicis & famosis sceleribus, & hæc fuit propria Episcopi: sed in occultis peccatis ad parochum pertinet confessiones audire, & pœnitentes absolvere; *can. placuit, de pœnit. dist. 6. cap. omnis utriusque, de pœnit. & remiss.* Et parochus habet jurisdictionem ordinariam in foro pœnitentiali in omnes parochianos, & censetur quoad hoc a lege approbatus, sine alia ordinarii licentia; *concil. Trident. sess. 23. de reform. cap. 15.* præterquam in casibus per Episcopum reservatis; *ejusd. Trident. concil. sess. 14. de reform. cap. 7.* Silvest. *in summ. in verb. casus*. Fideles vero ad minus semel in anno debent sacra exomologesi peccata sua expiare apud proprium parochum, & in festo paschæ sacrosanctam eucharistiam ab eodem suscipere; *d. cap. omnis utriusque*, quod desumptum est ex concil. generalis Lateranensis habiti sub Innocent. III. *can. 21.* Primis ecclesiæ temporibus, ut ingenia hominum re recenti calent, quotidie communicabant; Cyprian. de orat. dominica: *Et eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus*. Ineunte quarto sæculo Romæ, & in Occidente nondum desierat pia consuetudo; Hieronym. lib. 3. advers. Jovinian. *Scio Romæ hanc esse consuetudinem, ut fideles semper Christi corpus accipiant, quod nec reprehendo, nec probo: unusquisque enim in suo sensu abundat*, &c. Et idem *epist. ad Lucinium Beticum*. Et Ambros. lib. 5. de sacrament. cap. 4. *Panem nostrum quotidianum. Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumis, quemadmodum Græci in Oriente facere consueverunt? Accipe quotidie, quod quotidie tibi prosit. Sic vive, ut quotidie merearis accipere*. Et Augustin. de dogmatibus ecclesiastic. cap. † 23. *Quotidie eucharistiæ communionem percipere nec laudo, nec vitupero. Omnibus tamen Dominicis diebus communicandum suadeo & hortor*. Et idem *epist. 118. cap. 3.* quos locos exscripsit Gratianus in *can. quotidie, de consecr. dist. 1.* Ea ætate in Oriente defecerat ea consuetudo, & res redacta erat ad unicam communionem in anno; præter Ambrosium, loco modo laudato,

to, testis August. de verb. Domin. serm. 28. (al. 84. num. 3.) in illud : *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumis, quemadmodum Graci in Oriente facere consueverunt? Accipe quotidie quod quotidie tibi prosit. Sic vive ut quotidie merearis accipere.* Et Chrysostom. homil. 31. ad Populum Antiochen. (al. de B. Philogon. homil. 6. n. 4.) *καὶ καθάπερ τὸν οὐδὲν ἑαυτῷ συνειδότα φαῦλον καθ' ἑκάστην δεῖ προσιέναι τὴν ἡμέραν· οὕτω τὸν ἐν ἁμαρτήμασι προκατειλημμένον, καὶ μὴ μετανοοῦντα οὐδὲ ἐν ἑορτῇ προσιέναι ἀσφαλές· οὐ γὰρ δὴ τὸ ἅπαξ τοῦ ἐνιαυτοῦ προσελθεῖν ἀπαλλάττει τῶν ἐγκλημάτων ἡμᾶς, ἂν ἀναξίως προσίωμεν. Quemadmodum enim qui sibi nullius mali conscius est, hunc oportet singulis diebus accedere: sic qui peccatis occupatus est, nec pœnitet, eum ne in festis quidem accedere tutum est: neque enim semel in anno accedere liberat nos a peccatis, si indigne accesserimus.* Defervescente Christianæ religionis æstu, quotidiana communio in desuetudinem abiit, nec aliud imperatum, quam ut ter in anno sacra communio libaretur; synod. Agathens. can. 18. *Saculares, qui in natali Domini, pascha, & pentecoste non communicaverint, Catholici non credantur, nec inter Catholicos habeantur.* Et Turonens. III. can. 1. *Ut si non frequentius vel ter laici homines in anno communicent, nisi forte quis majoribus quibuslibet criminibus impediatur.* In sacræ communionis perceptione quis modus adhibendus sit, docuit conc. Cabillonense II. can. 46. *In perceptione corporis & sanguinis Dominici magna discretio adhibenda est; cavendum est enim, ne si nimium in longum differatur, ad perniciem anima pertineat, dicente Domino: Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis: si vero indiscrete accipiatur, timendum est illud quod ait Apostolus: Qui manducat & bibit indigne, judicium sibi manducat & bibit, &c.* Tandem ecclesia indulgente tempori, & fidelium nimiæ tepiditati sese præbente, in concil. generali Lateranensi satis visum est præcipi, ut semel in anno sacra communio perciperetur in festo paschæ; *d. cap. omnis utriusque.* Damnanda Christianorum remissio, quæ causam dedit edicto, sed laudanda ecclesiæ dispensatio, quæ non sine sancti Spiritus numine infirmis se accommodavit *δι' οἰκονομίαν σωτηρίας*, ut utar verbis Clementis Alexandrini, *stromat. lib. 6.* & antiquam legem remisit, ne contempta & violata videretur. Sacrosancta vero eucharistia, quod pertinet ad officium parochi, debet in ecclesia paræciali servari sub tuta custodia, adhibitis clavibus; *cap. 1. de custod. eucharist.* eademque debet honorifice collocari in loco singulari, mundo, & signato, id est obsignato; *cap. sane cum olim, de celebrat. missar.* Ut corpus Domini locetur in altari, non inter sacras imagines, quibus altare adornari solebat, sed sub ipsa cruce; quæ in meditullio altaris poni consuevit, decretum synod. Turonens. II. can. 3. *Ut corpus Domini in altari, non in imaginario ordine, sed sub crucis titulo componatur.* Sacrosancta eucharistia debet servari in sacra pyxide aurea vel argentea: ea olim servari solita intra cistam, vel arculam auro vel argento affabre factam in formam columbæ: hoc ritu Basilium sacram hostiam in tres particulas divisisse, unam sumpsisse, alteram vero una secum sepeliendam servasse, tertiam denique in columba aurea depositam super altare sacrum suspendisse, legitur in vita ipsius Basilii, quæ Amphilochii nomine inscripta habetur: *τὴν δὲ ἑτέραν ἐνθεὶς περιστερᾷ χρυσῇ ἐκρέμασεν ἐπάνω τοῦ ἁγίου θυσιαστηρίου. Tertiam denique in columba aurea depositam desuper sacrum altare suspendit.* Hujusmodi columbas furto sustulisse Severum pseudo-Episcopum Antiochenum conquesti sunt clerici & monachi Antiocheni apud synodum Constantinopolitanam quintam, qua de re exstat epistola inter acta concilii: **) *τὰς γὰρ εἰς τύπον τοῦ ἁγίου πνεύματος χρυσᾶς τε καὶ ἀργυρᾶς περιστερὰς κρεμαμένας ὑπεράνω τῶν θείων κολυμβηθρῶν, καὶ θυσιαστηρίων μετὰ τῶν ἄλλων ἐσφετερίσατο, λέγων οὐ χρὴ ἐν εἴδει περιστερᾶς ὀνομάζεσθαι τὸ ἅγιον πνεῦμα. Columbas enim aureas & argenteas in formam Spiritus sancti super divina lavacra &*

altaria appensas, una cum aliis sibi appropriavit, dicens, non oportere in specie columbæ Spiritum sanctum nominari. Deque hujusmodi columba, quæ est symbolum Spiritus sancti, intelligi velim, quod corpus Christi in sacra mensa Spiritu sancto convestitum videri suboscure propter cathecumenos dixit Chrysostom. homil. 31. ad Antiochenos (al. de B. Philogonio hom. 6. num. 3.) † καὶ γὰρ καὶ ἐνταῦθα κεῖσθαι τὸ σῶμα τὸ δεσποτικόν, οὐχὶ ἐσπαργανωμένον, καθάπερ τότε, ἀλλὰ πνεύματι πανταχόθεν ἁγίῳ περιστελλόμενον, ἴσασιν οἱ μεμυημένοι τὰ λεγόμενα: *Nam & hic ponitur corpus Dominicum, non quidem fasciis involutum sicuti tunc, sed undique Spiritu sancto convestitum: qui mysteriis initiati sunt intelligunt quæ dicuntur*. In Gallia sacrosancta eucharistia custodiæ causa deponi solita in turricula, id est arcula in speciem turriculæ efformata; Gregorius Turonens. lib. 1. de miracul. cap. 86. *Lecta igitur passione cum reliquis lectionibus, quas canon sacerdotalis invexit, tempus ad sacrificium offerendum advenit, acceptaque turre diaconus, in qua ministerium Dominici corporis habebatur, ferre cœpit ad ostium*. Hoc pacto Felix Biruricensis Episcopus, turrem auream eucharistiæ asservandæ causa eleganti opere fieri curavit, quam carmine descripsit Fortunatus *lib. 3. cap. 23.* quod carmen inscriptum est Felici Bituricensi Episcopo in turrem ejus. Ne quid desit reverentiæ tam augusto sacramento debitæ, sacram thecam eucharistiæ pallio velari vetustissimi moris est; Gregorius Turonens. lib. 7. hist. cap. 22. *Apprehende pallium altaris, infelix, quo sacra munera conteguntur, ne hinc abjiciaris*. Sacrosancta eucharistia domum defertur ad infirmos, ut viaticum πανυστάτιον ἐφόδιον, *concil. Nicæn. can. 13. Arausican. can. 3. can. qui recedunt, can. de his, 26. qu. 6. & can. presbyter, de consecr. dist. 2. cap. officium, de offic. archipresb.* Ambros. serm. † 81. *Nec te pigeat visitare ægrum, requirere clinicum, memento & quoniam nos cum decumberemus in grabato nostro cum essemus debiles, & non possemus ipsi per nos ire ad Dominum, Deus ipse venit ad nos: misit enim filium suum in similitudine carnis peccati, qui nobis attulit cibum seipsum*. Hujus moris elegans monumentum est, quod cum Serapion ob lapsum in ecclesiam recipi supplex incassum postulasset, & in extremis agens per nepotem ad se evocasset presbyterum, & is forte ob valetudinem non posset ad eum accedere, particulam eucharistiæ tradidit puero, ut eam Serapioni daret, qua ille accepta statim efflavit animam; auctore Eusebio *lib. 6. cap.* † 44. Cum presbyter eucharistiam defert ad ægrum, eam in decenti habitu superposito mundo velamine debet ferre & referre honorifice ante pectus, cum omni reverentia & timore, facibus accensis præcedentibus; *d. cap. sane cum olim*. Quoties etiam sacra eucharistia ad infirmum defertur, clericus cum tintinnabulo presbyterum præire debet, ad submovendam plebem, ex instituto Widonis Cardinalis, & apostolicæ sedis legati in Germania, tempore schismatis inter Philippum & Othonem; Cæsarius de miracul. sanctor. lib. 9. cap. 51. *Præcepit etiam idem Cardinalis, ut quoties deferendum esset ad infirmum, scholaris sive campanarius sacerdotem præcedens per nolam illud proderet*. Parochi etiam officium est sacramentum extremæ unctionis ministrare; *clem. religiosi, de privilegiis*. Ideo presbyter sub tuta custodia chrisma habere debet, ne forte a sacrilegis & maleficis ad nefarios usus convertatur; *d. cap. 1. de custod. encharist.* puta ad curationem morborum, vel quæpiam maleficia; concil. Moguntin. I. can. 17. *Presbyteri sub sigillo custodiant chrisma, & nulli sub prætextu medicinæ vel maleficii donare inde præsumant*.

† Serm. 81. in lib. meo, studio monachor. S. Mauri edito, fuit omissus, & dicitur esse apud Basil. homil. in dictum illud: *destruam horrea mea*: laudata tamen verba minime exhibet.

CAP.

C A P. V.

Parochi est nuptiarum celebratio, & benedictio contrahentium. Nuptiæ non celebrandæ, nisi prius editis solemnibus bannis. Horum institutum manavit ex consuetudine Gallicanæ ecclesiæ. Clandestinæ nuptiæ damnatæ. Nubentium abstentio ab ecclesia intra trigesimum diem post nuptias.

AD parochum pertinet celebratio nuptiarum, & solemnis benedictio contrahentium; *can. 1. 2. & seqq. 30. qu. 5.* & hoc jus ita proprium est parochi, ut monachis non liceat nuptias celebrare, seu solemnizare, sine speciali parœcialis presbyteri licentia; *clem. religiosi, de privilegiis*. Ne vero sacramenta ponantur in quæstu & commercio, parochus pro benedictione nubentium quicquam pecuniæ exigere vetatur: eoque nomine querentibus parochianis de Villafranca, damnatus capellanus, seu parochus eorum, quod pro funere mortuorum, & benedictione nubentium pecuniam extorqueret; *cap. suam nobis de simonia*, quod inscribitur, abbati de Jugo Dei. Unde nullæ & irritæ sunt nuptiæ, quæ clam & furtim contrahuntur coram non parocho proprio; *d. can. 1. & seqq. 30. qu. 5.* & justæ sunt nuptiæ, quæ constituuntur interposita ἱερολογίᾳ, seu benedictione sacerdotali, & in conspectu ecclesiæ; Tertullian. 2. ad uxorem: *Unde sufficiam ad enarrandam felicitatem ejus matrimonii, quod ecclesia conciliat, & confirmat oblatio, obsignatum Angeli renunciant, pater rato habet?* Et Ambros. epist. 70. (al. 19. num. 7.) *Nam cum ipsum conjugium velamine sacerdotali, & benedictione sanctificari oporteat; quomodo potest conjugium dici, ubi non est fidei concordia?* Nec per solam benedictionem, sed etiam per sacrosanctæ eucharistiæ participationem nuptias obsignari solitas testatur Balsamo in 2. Basilii ad Amphiloch. can. 26. ὁ μὲν καὶ σήμερον ὅταν διὰ ἱερολογίας, καὶ θείας μεταλήψεως τοῦ σώματος, καὶ αἵματος τοῦ Χριστοῦ ὁ γάμος συνίσταται. Quo clandestinæ & furtivæ nuptiæ tollantur, ne sine dote fieret conjugium, nec sine publicis nuptiis, id est solemni officio quisquam uxorem duceret, vetitum *can. nullum sine dote, 30. qu. 5.* qui can. laudatur ex *concil. Arelatensis, can. 6.* Eandem ob causam rite institutum, ne nuptiæ celebrentur, nisi prius editis bannis, id est solemnibus denunciationibus de nuptiis contrahendis; *cap. cum inhibitio, de clandestin. desponsat.* quod ex peculiari ecclesiæ Gallicanæ consuetudine commune jus factum non negat Innocet. III. in *cap. cum in tua, de sponsalib. in 4. compilat.* ad Belvacensem Episcopum, quod Raymundus repetiit, in *cap. cum in tua, de sponsalib. & cap. cum in tua, qui matrimonium accusare poss.* sed truncum, & interpolatum, omissis his verbis: *in ecclesiis secundum consuetudinem ecclesiæ Gallicanæ editis*: scilicet Romana ecclesia non dedignatur rectos aliarum mores imitari; Gregor. I. lib. 7. epist. † 64. *Tamen si quid boni vel ipsa vel altera ecclesia habet, ego & minores meos, quos ab illicitis prohibeo, in bono imitari paratus sum. Stultus est enim qui in eo se primum existimat, ut bona quæ viderit discere contemnat.* Ita quod concilium Lateranense statuit, ut in singulis ecclesiis cathedralibus magistro scholarum præbenda assignetur; *cap. 1. de magistris*, id ex consuetudine ecclesiæ Gallicanæ deductum fatetur Alexander III. in *cap. pervenit, eod. tit. in 2. collect.* & multis ante sæculis Hispania Gallicanæ ecclesiæ decreta lubens amplexa est. Gallicanos canones laudarunt Patres Tarraconensis concilii, *can. 11.* & Toletani. Pactum Francorum, id est legem Francicam; *cap. 1. de serv. non ordinand. in integra decretali.* Igitur nullæ & irritæ sunt nuptiæ, quæ clam contrahuntur, id est coram alio, quam proprio parocho, absque testibus, &

ſolemnibus bannis, ſeu edictis, quod repetita lege ſancitum eſt in *concil. Tridentino ſeſſ. 24. de reformat. cap. 1.* Nec a Chriſtianis modo damnatæ clandeſtinæ nuptiæ, eædem fœdæ & turpes viſæ gentilibus: nuptias a ſe cum Pudentilla ruri contractas, non alia ratione, quam difficultate præſtationis ſumptuum epularum, & ſportularum nuptialium, excuſat Apulejus apolog. 2. *Quippe ita placuerat in ſuburbana villa potius ut conjungeremur, ne cives denuo ad ſportulas concurrerent; cum haud pridem Pudentilla de ſuo quinquaginta millia nummûm in populum expunxiſſet ea die, qua Pontianus uxorem duxit; & hic puerulus toga eſt involutus; præterea ut conviviis multis, ac moleſtiis ſuperſederemus, quæ ferme ex more novis maritis obeunda ſunt.* Etiam gentilium calculo damnati Plato & Zeno, quod communes omnibus faciant conjuges, & occultas concilient nuptias, *καὶ λαθραίως κατασκευάζουσι γάμους*, ut ait Chryſoſtom. *homil. 1. (cap. 4.) in Matthæum*. Clandeſtinas Samaritanæ nuptias propriæ vocis judicio damnavit Chriſtus: cum enim ei Chriſtus imperaſſet ut virum vocaret, neganti ſe habere virum: *Bene*, inquit, *dixiſti, quia non habes virum, quinque enim viros habuiſti, & nunc quem habes non eſt tuus vir*: quod ſcilicet cum eo legitime nupta non eſſet, ſed virum clam haberet. Clandeſtinas quoque nuptias non tulit lex Salica; hac lege in mallo, id eſt in foro, ſeu judicio uxor ducebatur coram tribus teſtibus, adhibitis tribus ſolidis & denario, ut patet ex §. 1. *tit. 47. ejuſdem legis*. Dolenda hujus ſæculi labes, quo clandeſtina hujuſmodi conjugia nimium gliſcere audio: videant qui ea ferenda putant, ut adulteria, & ſtupra vitentur, ne animas mergant in profundum, dum earum naufragio tabulam, & ſaluti ſubſidia quæritant: nimirum quæ clam & furtim contrahuntur, non legitima conjugia ſunt, ſed potius adulteria, ſtupra, contubernia, & fornicationes; *d. can. 1. 30. qu. 5.* & de his intelligendus, ni fallor, *can. 26. 2.* Baſilii epiſtolæ ad Amphilochium: *ἡ πορνεία γάμος οὐκ ἔστιν, ἀλλ᾽ οὐδὲ γάμου ἀρχή: fornicatio non eſt matrimonium, ſed nec initium matrimonii*. Cumque matrimonium ſit magnum in eccleſia ſacramentum, religionis Chriſtianæ ſeminarium, ac pene vinculum, ſane non magis id diſſimulari poteſt, quam religio ipſa, quæ publicam & ſinceram coram Deo & hominibus profeſſionem deſiderat, juxta illud Domini: *Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo*; Matth. 10. tum hujuſmodi clandeſtinis conjugiis nimium fœdatur honeſtas nuptiarum, evertitur ſtatus liberorum: inde ſequuntur quotidiana divortia, a quibus impune patet utrique tranſitus ad alias nuptias, quæ eſt nefanda & horribilis ſeges adulteriorum. Eodem jure ad parochum pertinet tori nuptialis benedictio: hoc nomine in concilio Gangrenſi damnatus Euſtathius Sebaſtæ Epiſcopus, quod in ædibus nubentium preces fieri vetuit; de quo Socrates *lib. 2. cap. † 43.* *ἐν οἴκοις τῶν γεγαμηκότων εὐχὰς ἐκώλυε γίνεσθαι*. Idemque Sozomenus *lib. 3. cap. † 14.* Solemnem hunc ritum lectuli genialis per parochum benedicendi jampridem in Gallia receptum, patet ex vernacula fabella Heroidis Meluſinæ. Poſt nuptias tamen, quia etſi hæ naturæ, quæ veneranda eſt, & religionis vinculo teneantur, nonnihil humani pudoris in ſe habent, in trigeſimum diem conjuges eccleſiæ limine abſtinere ſolebant; Auguſtin. de tempore, ſermon. 244. (al. 292. in append. num. 5.) *Deniqne mulieres quando maritos accipiunt per triginta dies intrare in eccleſiam non præſumant: quod etiam ſimiliter viri obſervare deberent.*

CAP.

C A P. VI.

Parocho commune cum Episcopo prædicandi officium. Sermonis habendi priscus mos diebus dominicis, idque post lectionem evangelii.

PAROCHO commune cum Episcopo officium est verbum Dei prædicare; Hieronym. vel alius quisquis est ad Rusticum Narbonensem Episcopum, de septem ordinibus ecclesiæ: *Nemo hinc Episcoporum invidia diabolica tentationis inflatus irascatur in templo, si presbyteri interdum exhortentur plebem, si in ecclesiis prædicent, si plebibus, ut scriptum est, benedicant, can. ecce ego,* † *95. dist.* & certe divisum inter Episcopos & presbyteros evangelizandi officium satis testatur, quod evangelium scripsere duo ex Apostolis, Joannes, & Matthæus, & duo e discipulis, Marcus, & Lucas, quorum hi presbyterorum typum gerunt, illi Episcoporum. In Gallia presbyteris, seu parochis prædicandi evangelii jus ex more concessum, & his deficientibus, diaconis homilias patrum recitandi; concil. Vasense II. can. 2. *Hoc etiam pro ædificatione omnium ecclesiarum, & pro utilitate totius populi nobis placuit, ut non solum in civitatibus, sed etiam in omnibus parochiis verbum faciendi daremus presbyteris potestatem; ita ut si presbyter aliqua infirmitate prohibente, per seipsum non potuerit prædicare, sanctorum patrum homiliæ a diaconibus recitentur.* Et concil. Arelatens. IV. can. 10. de prædicatione: *Providimus enim, pro ædificatione omnium ecclesiarum, & pro utilitate totius populi, ut non solum in civitatibus, sed etiam in omnibus parochiis, presbyteri ad populum verbum faciant, & ut bene vivere studeant & populo sibi commisso prædicare non negligant.* Nonnullis in ecclesiis quidem moris fuit presbyteros silere præsente Episcopo, quem morem notat Hieronymus epist. ad Nepotianum: *Pessimæ consuetudinis est in quibusdam ecclesiis tacere presbyteros, & præsentibus Episcopis non loqui, quasi aut invideant, aut non dignentur audire, can.* † *ejto subjectus*, *95. dist.* Quinimmo in Alexandrina ecclesia solus Episcopus evangelium docuit, ex quo Arius presbyter Alexandrinus nefariæ hæresis auctor fuit, quæ sua totum fere orbem lue corrupit; de quo Socrat. *lib. 5. cap.* † 22. & Sozomen. *lib. 7. cap.* 19. Ac munus prædicationis ita proprium est parochi, ut parochus eo fungatur sine alia Episcopi licentia; *conc. Trident. sess. 5. de reformat. cap. 2. & sess. 24. cap. 4.* Unde monachis non licet in parœcialibus ecclesiis prædicare, nisi a parocho invitati, vel vocati fuerint, *ex Leonis epist.* † *61. al. 63. can. adjicimus, 16. qu. 1. & clem. dudum, §.* † *nos autem, vers. in ecclesiis, de sepultur.* ratio est, quia monachus non docentis, sed plangentis habet officium; *can. monachus, 16. qu. 1.* Parochi autem officium est prædicare apud plebem suam singulis diebus dominicis: nimirum hoc fuit vetus institutum ecclesiæ; Ambros. serm. 1. †† *Libenter nos prædicare, & gratanter opus Dei facere manifestum est: sed cum videmus plures e fratribus pigrius ad ecclesiam convenire, & dominicis præcipue diebus minime cælestibus interesse mysteriis, prædicamus inviti.* Et idem serm. 5. (al. 13.) *Et ipsi scitis, fratres, quod ex qua die vobiscum esse cœpi, non cessavi omnibus vos dominicis admonere mandatis*, &c. Idemque serm. 24. (al. 20.) *Retinent adhuc sensus vestri, fratres, nos hoc superiore dominica prædicasse, quod hujus quadragesimæ vestræ figuram illæ quadraginta & duæ mansiones habuerint.* Et sermo habebatur post lectionem evangelii; Chrysostom. de diverso utriusque testam. loc. sermon. in illud: *Attendite ne eleemosynam:* Διὰ τοῦτο γὰρ καὶ ἀπὸ τῶν εὐαγγελικῶν ἀναγνωσμάτων ποιούμεθα: *Idcirco enim lectis evangeliis prædicamus.* In fine sermonis sacerdos benedicebat plebi, ut & hodie

†† Hic sermo omissus fuit in libro meo, & dicitur idem esse ac 87. *August. in appendic.* in quo hæc verba desiderantur in lib. meo studio monach. S. Mauri prodito: nec otium fuit antiqu. edit. perquirere.

servatur; Ambrof. de sacrament. lib. 1. cap. 6. *Opus est, ut sanctitas vestra aures paratas habeat, promptiorem animum; ut ea quæ nos colligere possumus de serie scripturarum, & vobis intimantibus, tenere possitis, ut habeatis gratiam Patris, & Filii, & Spiritus sancti*. Sermonis exitum excipiebat solemne consecrationis, quod etiam perenni ritu servari videmus. Hinc inter missarum solemnia sermoni finem imponens, Chrysostomus de divers. utriusque testam. loc. serm. de Joseph (& de castitate oratio, in fin.) *νῦν*, inquit, *ἐπὶ τὸν κρατῆρα τῆς μυσταγωγίας ἐκδράμωμεν: Nunc ad sacrorum mysteriorum craterem accurramus*.

C A P. VII.

In singulis parœcialibus ecclesiis fuere schola sub cura parochi: in his instituti qui clero destinabantur: aliæ fuere scholæ in monasteriis. Parochi officium gratis docere. Laudatur Libanius, quod gratis docuerit egentes. Collationes inter parochos singulis kalendis.

PRÆTER scholas, quæ fuere in ecclesiis episcopalibus ex capitulari Caroli M. *lib.* 1. *cap.* 72. & *can.* 3. concil. Cabillonens. II. in singulis parochialibus ecclesiis fuerunt & scholæ, puerorum fidei & litterarum rudimentis imbuendorum causa, quarum curam penes se habuit parochus, velut sacri muneris appendicem: hujus enim fuit eligere clericum, qui sacris adesset, & scholam teneret: concil. Nannetense, can. 8. apud Burchardum lib. 2. cap. 56. & Ivonem part. 6. cap. 152. *Ut quisque presbyter, qui plebem regit, clericum habeat, qui secum cantet, & epistolam & lectionem legat, & qui scholam possit tenere, & admoneat suos parœcianos, ut filios suos ad fidem discendam mittant ad ecclesiam, quos ipse cum omni castitate erudiat*. Eundem canonem iisdem verbis ex concil. Maticen. adducit collector decretalium, in *cap. ut quisque presbyter, de vit. & honest. cleric.* in hujusmodi scholis instituti maxime qui clero destinabantur; capitular. Caroli M. lib. 1. cap. 5. *Scholæ sunt ad filios & ministros ecclesiæ instruendos vel edocendos, sicut nobis præterito tempore ad Attiniacum permisistis, & vobis injunximus in congruis locis, ubi nec dum perfectum est, ad utilitatem & profectum a vobis ordinari non negligantur*. In Gallia enim vix alii litteris operam dabant, quam qui de clericatu cogitabant; Stephanus Tornacens. epist. 12. *In Gallicanis etiam partibus ad hoc tantum plerique litteras addiscunt, sive parvuli, sive adulti, ut in ecclesia Dei gradatim per ordines promoti Deo serviant & ministrent*. Unde scholares, seu litterarum studiosi, clerici passim dicti; *cap. quod † clericis, de foro competent.* Aliæ fuerunt scholæ in monasteriis, aliæ apud forenses seu vicanos presbyteros. Patresfamilias, ut liberos disciplinæ causa tradant monasteriis, vel presbyteris, hortatur concil. Moguntin. I. can. 45. *Dignum est, ut filios suos donent ad scholam, sive ad monasteria, sive foras presbyteris*. Ut presbyteri per villas & vicos scholas habeant, in quibus pueros gratis doceant, voluit Theodulfus Aurelian. in capitul. ad parœcos, cap. 20. *Presbyteri per villas & vicos scholas habeant, & si quilibet fidelium suos parvulos ad discendas litteras eis commendare vult, eos suscipere & docere non renuant, sed cum summa caritate eos doceant: cum ergo eos docent, nihil ab eis pretii pro hac re exigant, nec aliquid ab eis accipiant, excepto quod eis parentes caritatis studio sua voluntate obtulerint*. Erubescant parochi, qui idoneam de altari alimoniam habent, magisterii mercedem exigere, postquam Libanius unus e gentilibus gratis egenos docuit; teste ipso in ea quæ est inter Basilii epistolas 145. *ὁ χρήμασι μετρήσας τὰ παρ'*

ἡμῶν

ὑμῶν, ἀλλ' ἀρκεῖ ὁ μὴ δυνάμενος δοῦναι τὸ βουληθῆναι λαβεῖν. Quod ſtudia noſtra pecuniis non eſtimentur, ſed ſatis ſit ei qui dare non poteſt, ut accipere velit. Inter ipſos parochos etiam, quo rerum ſacrarum peritiores evaderent, per ſingulas decanias inſtitutæ collationes, habendæ ſingulis kalendis, de quibus conſtitutio Riculfi Sueſſionenſis Epiſcopi, cap. 19. *Rationi quoque proximum eſſe ſancimus, ut in unoquoque menſe, ſtatuta die, id eſt in kal. uniuscujusque menſis, per ſingulas decanias presbyteri ſimul conveniant, & convenientes non paſtis vel potationibus vacent, ſed de ſuo miniſterio & religioſa converſatione, atque de his, quæ in eorum parochiis accidunt, ſermonem habeant, & qualiter pro Rege, vel rectoribus eccleſiæ, atque pro ſuis familiaribus, tam vivis, quam & defunctis orare debeant ſimul conſiderent.* Id genus collationum feliciter his diebus a patribus Gallicanis reſtitutum gaudet eccleſia: ſed de his plura in Aſceticis, ſi Deus vitam præſtiterit.

CAP. VIII.

An parochus habeat jus excommunicandi, & interdicendi in ſua eccleſia. Alexandri III. ſententia hac de re defenditur. Parochus eſt ordinarius in ſua eccleſia. Etiam canonici ordinarii dicti. Jus excommunicandi datur & abbatibus, prioribus, & decanis, etiam archidiaconis de conſuetudine. Idem jus datur & Cardinalibus in titulis ſuis.

Discussis tot parochorum officiis, & poteſtatis apicibus, occurrit gravis quæſtio, quæ a nobis nuper agitata eſt ſolemnibus in ſcholarum encæniis: an parochus habeat jus excommunicandi & interdicendi parochianos ſuos? quod affirmavit Alexander III. in *cap. cum ab eccleſiarum, de offic. judic. ordinar.* Res ſcrupulo & dubitatione non caruit, quæ merito movit Florentinum Epiſcopum, ad quem provocatum erat a ſententia excommunicationis vel interdicti lata per plebanum ſancti Pancratii in parœcianos ſuos, ut in dubio conſuleret ſummum Pontificem, an hujusmodi ſententiæ deferendum eſſet? Ratio dubitandi opponebatur, quod excommunicatio eſt cenſura eccleſiaſtica, quæ videtur propria fori epiſcopalis; Dionyſius Areopagit. de eccleſiaſt. hierarch. §. 7. *ὅθεν καὶ τὰς ἀφοριστικὰς ἔχουσιν οἱ ἱεράρχαι δυνάμεις, ὡς ἐκφαντορικοὶ τῶν θείων † δικαιωμάτων. Sic etiam ſegregandi vim habent Pontifices, ut interpretes divinæ juſtitiæ.* Excommunicatio eſt jurisdictionis ordinariæ & fori contentioſi; *cap.* *) *quærenti, de verb. ſignifi.* & ſic non videtur cadere in plebanum, qui non habet jurisdictionem contentioſam, ſed eam tantum quæ eſt fori pœnitentialis; *cap. omnis utriusque, de pœnitent. & remiſſ.* Præterea excommunicatio non ad alium pertinere videtur, quam ad Epiſcopum; quia eſt graviſſima & poſtrema pœnarum eccleſiaſticarum; ita ut poſt depoſitionem & excommunicationem non habeat eccleſia ultra quid faciat; *cap. cum non ab homine, de judic.* unde excommunicatio comparatur proſcriptioni ſeu deportationi civili, & vocatur bannus Chriſtianitatis; ex *concil. Agathenſi, cap. 2. de purgat. canonic.* interdictum Chriſtianitatis apud Matthæum Pariſ. in edicto Henrici II. Regis Anglorum (ad ann. 1164.) *Si quis inventus fuerit ferens litteras domini Papæ vel mandatum, aut Thomæ Archiepiſcopi, continens interdictum Chriſtianitatis in Anglia, capiatur & retineatur.* Et quo pacto jus deportandi habuere dumtaxat majores magiſtratus, quibus fuit imperium merum & gladii poteſtas; ita & banni, ſeu proſcriptionis eccleſiaſticæ jus, merito dicendum eſt proprium eſſe Epiſcopi, penes quem eſt apex & culmen pontificatus. Excommunicationem etiam Epiſcopi propriam eſſe colligere eſt ex eo, quod hujusmodi pœna dicitur bannus epiſcopalis; concil. Triburienſ. can. 8.

Nemo contemnat, *neque transgrediatur bannum ab Episcopis superpositum*. Et eadem dicitur mucro episcopalis, in can. visis, 16. qu. 2. *Si contra sacerdotium agere præsumpserint*, *multentur*, *& felici mucrone Episcopi sacerdotum piacula resecentur*. Et in solemni formula excommunicationis, quæ indicitur extinctis & projectis lucernis, presbyteri quidem circumstantes adhibentur Episcopo, ac ministerii & testimonii causa tantum, verum ipsum excommunicationis jus totum collocatur penes Episcopum; *can. debent*, 11. *qu.* 3. atque ita accipiendum quod refertur in concil. Lemovicensi habito anno Christi 1034. de sententia excommunicationis lata in nonnullos, ob offensam in Jordanem Lemovicensem Episcopum, per Episcopos & presbyteros extinctis & humi projectis facibus. His adde, quod Episcopus habet jurisdictionem ordinariam in tota sua diœcesi; *cap. cum Episcopus*, *de offic. judic. ordinar. in* 6. Episcopus est ordinarius in universa diœcesi, & singulis in ecclesiis perinde ac in matrice. Episcopus est in ecclesia, & ecclesia in Episcopo, ut eleganter dixit Cyprianus, in *epist.* ad Florentium, quam Gratianus adtexuit in *can. scire debes*, 7. *qu.* 1. Hoc jure quæcumque res ecclesiæ non aliter debent dispensari, quam cum judicio & potestate Episcopi, cui totius plebis animæ dicuntur esse commissæ; ex *concil. Antiocheno*, *can.* 24. *can. quæcumque*, 10. *qu.* 1. & omnes basilicæ sunt in potestate Episcopi, in cujus territorio positæ sunt; ex *concil. Aurelianensi I. can.* 19. *can. omnes basilicæ*, 16. *qu.* 7. quo jure igitur licebit parocho quempiam removere ab ecclesia, quæ non est in ejus ditione, sed in potestate Episcopi? quo jure poterit parochus sibi assumere ea quæ sunt jurisdictionis ordinariæ, & in ea concurrere cum Episcopo totius diœcesis ordinario? cum ferendus non sit concursus actionum & judiciorum. Item parochi singulis ecclesiis impositi, videntur tantum gerere vices Episcopi, nihil proprium habere, sed mandata ab Episcopo potestate defungi, quæ videtur fuisse mens Arvernensis concil. habiti sub Urbano II. quo monachi removentur a regimine parochiarum; & in eis constituendi presbyteri, qui de plebis cura Episcopo rationem reddant; *can. sane quia*, 16. *qu.* 2. Parochi officium est gregem pascere, ejus est ædificare non destruere, ejus est plantare non evellere, ejus est sacramenta ministrare, sed suis terminis contentus esse debet; *can. ecclesias*, 13. *qu.* 1. Nec debet is manum mittere in ea quæ sunt jurisdictionis episcopalis, qualia videntur excommunicatio, & interdictum, quæ cum sint ultima & lethalia tela jurisdictionis ecclesiasticæ, non ad alium spectare videntur, quam ad Episcopum, qui tenet apicem & culmen pontificatus. Denique presbyteris non licet pœnitentiam publicam indicere, aut pœnitentes publice in ecclesia reconciliare, seu absolvere, sed hæc omnia velut præcipua reservantur Episcopo; *concil. Carthag. II. can.* 3. *Carthag. III. can.* † 32. *Agath. can.* 44. *can. si jubet*, *can. ministrare*, *can. presbyter ult.* 26. *qu.* 6. Idemque interdicitur & chorepiscopis, quia pontificii apicem non habent; ex Leonis *epist.* 86. *can. quamvis*, 68. *dist.* Ex quibus satis argui videtur, presbyteros seu parochos carere potestate excommunicandi, cum eis pœnitentia publica denegetur: & hanc scholastici sententiam tribuunt D. Thomæ *in supplem.* 3. *part. art.* 22. *qu.* 1. Parochis non licere quemquam excommunicare, nisi ex mandato Episcopi, aut certis casibus; ut in furto & rapina. Multis tamen ac prævalidis argumentis constat Alexandri III. sententia. Primum, quod unum sufficeret, hæc sententia auctorem habet Alexandrum III. summum Pontificem, a quo diserte pronunciatum in *d. cap. cum ab ecclesiarum*, plebanis excommunicandi, & interdicendi potestatem suppetere, ita ut Episcopus sententiam a parocho promulgatam servare compellatur, donec satisfactum sit: nec novum & ante inauditum jus hac constitutione introductum, sed potius desuetum forte restitutum: nam & Florentinus Episcopus re ad se perlata dubitavit, an excommunicationem a parocho latam posset contemnere, & in dubio consuluit summum Pontificem, a quo responsum est,

con-

consulente Episcopo, excommunicationem a parocho latam ex justa causa valere: tuta igitur & canonica est sententia, quæ nititur oraculo & auctoritate summi Pontificis, qui legis condendæ, & interpretandæ habuit potestatem, quique jurisperitissimus fuit, & unus ceteros inter Pontifices jus canonicum maxime illustravit. Nec invidiosum presbyteris, commune cum Episcopis excommunicandi & interdicendi jus patere, cum presbyteri, etsi inferiores Episcopis, (absit enim ut Aerii in vecordiam impingam, qui presbyteros æquabat Episcopis,) in multis tamen, fatendum sit, communem eos cum Episcopis potestatem habere, salvis his quæ sunt ordinis: idem est Episcoporum, & presbyterorum officium, Christi gregem pascere, communis potestas ligandi & solvendi, commune officium prædicandi evangelium, commune jus conficiendi corpus & sanguinem Domini: quæ ergo invidia, presbyteros communi cum Episcopis jure uti, in his quæ sunt jurisdictionis exterioris, cum in majoribus sint consortes potestatis episcopalis? In locum Apostolorum successere Episcopi, verum presbyteri typum gerunt septuaginta discipulorum, qui Apostolis succenturiati ex Anacleti epistola, *can. in novo*, 21. *dist.* unde vocantur non incongrue antistites secundi ordinis, ut supra a nobis observatum est. Penes Episcopos quidem est apex & culmen pontificatus, sed presbyteri, seu parochi, vocati sunt in partem solicitudinis; arg. *can. decreto*, 2. *qu. 6.* unde a Græcis vocantur *συλλειτουργοὶ*, *συμποιμένες*, ut modo etiam observatum. Si vero opponas, excommunicationem esse jurisdictionis, parochi jurisdictionis non sunt expertes, illi habent suum clerum & populum, in quos eis tribuitur jurisdictio; Origenes in exod. cap. 18. *Audiant Principes populi; & presbyteri plebis; quia debent omni hora populum judicare, semper & sine intermissione sedere in judicio, dirimere lites, reconciliare diffidentes in gratia, concordare discordes*. Potuere parœciales clerici indifferenter, id est sine discrimine coram Episcopo, vel presbytero suo conveniri; Pelagius in can. experientiæ, 11. qu. 1. *In iis vero negotiis, in quibus ecclesiastici officii persona pulsatur, ad Episcopi vel presbyterorum in loco ubi quæstio vertitur constitutorum occurrat indifferenter examen*. Et concil. Matiscenense I. can. 8. *Omne negotium clericorum, aut in Episcopi sui, aut in presbyteri, aut archidiaconi præsentia finiatur; quod si quicumque clericus hoc implere distulerit, si junior fuerit, uno minus de quadraginta ictus accipiat: si certe honoratior, triginta dierum inclusione multetur*. Nec presbyterorum jurisdictionem tollit concursus episcopalis: etsi enim Episcopus sit ordinarius in tota sua diœcesi, parochos nihil vetat esse speciales ordinarios in ecclesiis & titulis suis. Primum, si parochorum originem spectamus, iisdem cunabulis censentur quibus Episcopi: quamprimum enim Episcopi per civitates & diœceses ab Episcopis ordinati, ab iisdem constituti parochi per singulas ecclesias, ut a Paulo & Barnaba non prius Lycaonia discessum, quam per singulas ecclesias presbyteros ordinassent; ex *actuum Apostolorum*, *cap. 14.* His initiis in justæ dignitatis gradum facile surrexere presbyteri, & æquo cum Episcopis [illegible], seu præsidentium nomine cohonestati. Hoc veteris dispensationis genio iidem *προεστῶτες*, presbyteri cardinales, & personæ dicti, ac tandem prælatorum nomen meruere, ut modo observatum. Et vero parochi ita sunt ordinarii in suis ecclesiis, ut hierarchicum ecclesiæ ordinem cum Episcopis impleant: ut enim singuli Episcopi per civitates ordinati, ita & singuli presbyteri per vicos & minores ecclesias: Hieronym. ad Rusticum, in can. in apibus, 7. qu. 1. *Singuli ecclesiarum Episcopi, singuli archipresbyteri, singuli archidiaconi, & omnis ordo ecclesiasticus suis rectoribus nititur*. Et unaquæque ecclesia unum debet habere sacerdotem; *can. sicut in unaquaque*, 21. *qu.* 2. & sicut Episcopus matrici ecclesiæ præest, presbyteri dicuntur præesse plebibus, ut in nullo titubet ecclesiastica solicitudo; *concil. Regiotícinensis*, *can.* 13. quem Raymundus perperam laudat ex synodo Ravennæ habita, in *cap. ult. de offic. archipresbyter*. Nec est

quod jactetur, parochos esse vicarios, seu delegatos Episcopi, quia parochi sunt vere ordinarii, id est ecclesias obtinent proprio jure, & propriam in his jurisdictionem exercent: unde parochus vocatur proprius sacerdos; *d. cap. omnis utriusque*: vetaturque ne ecclesia credatur conductitiis presbyteris; sed unaquæque ecclesia, cui facultas suppetit, proprium habeat sacerdotem; *can. præcipimus*, 21. *qu.* 2. proprium dico, id est suum & perpetuum: proprium dixere veteres perpetuum, stabile, firmum. Hoc sensu Virgil. 3. Æneid. (85.)

Da propriam, Tymbræe, domum.

Et idem 4. Æneid. (126.)

Connubio jungam stabili, propriamque dicabo.

Hinc & parœcialis ecclesia non debet commendari ab Episcopo, quod fiebat ad tempus, sed conferri in titulum, cujus causa perpetua est; *can. qui plures*, 21. *qu.* 1, *cap. nemo deinceps*, *de elect. in* 6. Parochos etiam ordinariorum jure censeri satis intelligimus ex *d. cap. cum* † *ab ecclesiarum*, *&* *cap. si sacerdos*, *eod. tit.* quæ concepta sunt de jurisdictione parochi: utrumque enim locatur sub titulo *de officio judic. ordinar.* nec videtur nimis thrasonicum, & phaleratum ordinariorum nomen in parochis, quoniam & Mediolanensis ecclesiæ canonici, ordinarii dicti sunt; *cap. accedentes*, *de præscript.* ut & canonici Strasburgenses in Germania; Regino 2. chronic. *Eodem anno Vitgerus Metensis Episcopus obiit, cui Benno ex ordinariis Strasburgensibus, in Alpibus quondam eremiticam vitam ducens, successor eligitur.* Nec non canonici Lincolnienses in Anglia; Matthæus Westmonasteriensis ad ann. 1260. ubi de collatione præbendarum vacante sede Lincolniensi: *Mox cum vacaverit per archidiaconos & ordinarios ecclesiæ omnis debet jurisdictio, sicut & solet, procedere.* Nec in delegatos convertuntur parochi, quod parœciales ecclesiæ, ut cetera beneficia ecclesiastica, conferantur per Episcopum: quia olim collatio beneficii non erat sejuncta ab ordinatione, sed ipso jure velut continens accedebat ordinationi: ordinatio scilicet non fiebat sine titulo; ex *concil. Chalcedonens. can.* 6. *can. neminem*, *can. sanctorum*, 70. *dist.* statimque ac quis ordinabatur, imponebatur certæ ecclesiæ, & ordinatus proprium sortiri videbatur beneficium, quod accipiebat in vim ordinationis: ut legatus proconsulis dicitur habere propriam jurisdictionem postquam ei mandata est; *l. legatus*, *ff. de offic. procons. l. pen. de offic. ejus cui mand. est jurisd.* quia nimirum proconsul tenebatur ei mandare jurisdictionem: etiam Episcopi nonne a Petro & Apostolis ordinati sunt? nemo est tamen qui dicat, eos esse vicarios Petri, aut Apostolorum: re vera enim sunt vicarii Christi, cum ordinatio, quæ fit per impositionem manuum, intelligatur fieri ab ipso Spiritu sancto. Sic Episcopos Christi vicarios, utpote successores Apostolorum, signavit Augustinus, vel alius quisquis est, sermon. 37. ad fratres in eremo: *Vicarii Domini sunt, qui vicem Apostolorum tenent.* Et auctor quæst. utriusque testament. qu. 127. (circ. fin.) *Quanto magis in Dei causis? Ac per hoc Antistitem ejus puriorem ceteris esse oportet: ipsius enim personam habere videtur, est enim vicarius ejus:* † *ut quod ceteris licet illi non liceat: quia necesse habet quotidie Christi vicem agere, aut orare pro populo, aut offerre, aut tingere.* Sic Episcopi partem habent pontificatus, vocati in partem solicitudinis, non in plenitudinem potestatis; *d. can. decreto*, 2. *qu.* 6. Hoc loco lectoris erit judicare, an eadem sit ratio parochorum ad Episcopos, quæ Episcoporum ad Pontificem. Parochos ordinarios esse in suis ecclesiis facile intelligimus ex eo, quod illi habent suas ordinationes, & præfecturam scholarum, quæ sunt partes muneris episcopalis: presbyter enim, qui plebem regit, potest ordinare lectorem & psaltem, qui psalmos concinat, lectionem & epistolam legat, quique possit tenere scholas; *cap. ut quisque*, *de vit. & honest. clericor. can. psalmista*, 23. *dist.* Parochi officium est gregem pascere, sacramenta ministrare, verbum Dei prædicare, quæ omnia sunt argumenta jurisdictionis ordina-

dinariæ: unde monachis non licet in parœcialibus ecclesiis prædicare, nisi a parocho invitati, vel vocati fuerint; *can. adjicimus*, 16. *qu.* 1. *clem. dudum*, §. † *nos autem*, *vers. in ecclesiis*, *de sepultur.* Denique ordinarii sunt, qui habent propriam jurisdictionem, quæ eis competit jure magistratus, vel sacerdotii, quæve mandari potest: hoc vero jure utitur parochus: si enim oneri superesse non valeat, vices suas delegare potest, & vicarium sibi adjungere; *cap. cum ex eo*, *de elect. in 6. extravag. execrabilis*, §. *quantum autem*, *de præbend.* dummodo is a diœcesano sit approbatus; *concil. Trident. sess.* 21. *de reform. cap.* 4. *sess.* 23. *cap.* 15. & 17. Et hoc distat vicarius, quod is alium sibi substituere non potest; *cap. clericos*, *de offic. vicar.* Cum igitur parochi tot ordinariæ jurisdictionis insignibus polleant, quæ causa erit hærendi, an eis detur potestas excommunicandi? Eo maxime quod si usum & mores ecclesiæ spectemus, potioribus abs sæculis parochos hoc jure usos constabit: nimirum ipse Joannes Chrysostomus adhuc presbyter Antiochenæ ecclesiæ popularibus suis excommunicationis diras interminatus; testis ipse homil. 17. in Matthæum (prope fin.); *ἀπαγορεύω λοιπὸν ὑμῖν τῶν ἱερῶν τούτων ἐπιβῆναι προθύρων. Ego de cetero vobis ne sacra hæc vestibula ingrediamini vetabo.* Presbytero, ut juridico, cujus in potestate sit sacris sibi interdicere, seque sathanæ tradere, caput submittit Hieronym. in epist. ad Heliodorum, in *can. alia causa*, 16. *qu.* 1. *Mihi*, inquit, loquens ex persona monachi, *ante presbyterum sedere non licet. Illi, si peccavero, licet me tradere sathanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit.* Excommunicationem in se missam a quodam monacho, haud dubie presbytero, non sprevit Theodosius junior, nec prius cibum capere voluit, quam ab eodem sacræ communioni redditus esset; teste Theodorito, *lib.* 5. *cap.* † 37. etiam sequiore ævo Episcopos, & presbyteros excommunicandi jure pariter usos probat *l. qui sua*, 39. §. 1. *C. de Episc. & cleric.* qua vetantur Episcopi & clerici ne a quoquam fructus vel angarias extorqueant, neve ob hujusmodi causas quemquam excommunicent, aut anathematizent, aut communionem vel baptismum denegent, quamvis usus, ait lex, ita obtinuerit. Idem innuit & *nov. Justiniani* 123. *cap.* 11. ubi vetatur, ne Episcopi & presbyteri aliquem segregent a communione, nisi prius causa probetur, propter quam hoc canones fieri jubent: unde desumptus est *can. nemo*, 2. *qu.* 1. & *can. de illicita*, 24. *qu.* 3. Nec est quod Episcopi presbyteris invideant id honoris insigne: præter presbyteros enim, & alii inferiores Episcopis, puta abbates, priores, & decani, qui nihil aliud sunt quam archipresbyteri rurales, eodem excommunicandi jure utuntur; *cap. cum in ecclesiis*, *de major. & obedient. cap. sicut* 33. *de simon. cap. dilecto*, *de sent. excommun. in* 6. etiam archidiaconus, de consuetudine suspendit, excommunicat, interdicit, si modo habeat curam animarum; *cap. dudum*, *de elect.* adeo verum est, excommunicationem & alias hujusmodi censuras pertinere ad curam animarum. Quinimmo jam olim diaconus habuit potestatem excommunicandi hypodiaconum, lectorem, cantorem, & diaconissam, si hoc facere opus esset, absente presbytero; teste Clemente, *constit. apostolicar. lib.*8. *cap.* 28. etiam ipsi Cardinales in titulis suis & capellis eisdem subjectis habent jurisdictionem & correctionem, simulque cum ea potestatem excommunicandi, interdicendi, & suspendendi subditos suos; *cap. his quæ*, *de major. & obedient. cap.* *) *dilectus*, *de capell. monach.* quod eis competit, non quasi hi jura episcopalia habeant in titulis suis, ut suasum nonnullis: sed potius quod veterum in his parochorum dignitatem tuentur: nec enim Cardinales in titulis suis aliam, quam archipresbyterorum personam sustinent, nec tituli cardinales aliud sunt, quam parochiæ urbis, ut constat ex *iisd. capp.* & *cap.* 2. *de cleric. non resident.* Ex his satis, superque comprobatum, parochos ordinariam in ecclesiis suis jurisdictionem habere, & cum ea potestatem excommunicandi, & interdicendi. Unum dolendum; quod labente disciplina, ea potestate desierint uti, quam enim optan-

dum esset, veterem disciplinam restitui, ac pastoribus salvam esse suam nativam & primigeniam potestatem, cujus nutu facilius parœciani in officio & obsequio continerentur, nec ea re ulla fraus fieret jurisdictioni Episcopi: etsi enim parochi vel alii inferiores Episcopo ordinariam jurisdictionem habeant, nequaquam eam obtinent privative, ut loquuntur, seu excluso & remoto Episcopo, sed in concursu cum eodem: semper Episcopus in jurisdictione ordinaria concurrit cum ceteris inferioribus, tamquam ordinarius generalis, & ordinarius ordinariorum, ut recte docet Panormitanus, in *cap. dilectus, de offic. judic. ordinar.* nec parochus penes se habet excommunicationem illam solemnem, cujus forma præscribitur in *d. can. debent*, 11. *qu.* 3. sed aliam minus solemnem, quæ tamen publice denuncianda sit: quod enim scriptum est in *cap. si sacerdos, de offic. judic. ordinarii*, non licere parocho apud se confessum nominatim excommunicare, speciale est in confessis, ne scilicet per hoc arcanum confessionis pandatur.

C A P. IX.

Alia est benedictio major, alia minor. Minorem presbyteris licet fundere super plebem. Olei benedictio monachis in usu curationum gratia. Presbyteris non licet dare apostolia, seu litteras dimissorias.

ALIA est benedictio major & solemnior, alia minor & minus solemnis: solemnem benedictionem super plebem fundere aliis non licet, quam Episcopis; *can. denique*, 21. *dist.* vel abbatibus, quibus id ex privilegio concessum est; *cap. abbates, de privileg. in 6.* Presbyteris seu parochis solemnem hujusmodi benedictionem mittere omnino non licet, & de hac accipiendum est illud concil. Agathens. can. 44. *Benedictionem quoque super plebem in ecclesia fundere, aut pœnitentem in ecclesia benedicere, presbytero penitus non licebit*, *can. ministrare*, 26. *qu.* 6. Minorem benedictionem presbyteris emittere non prohibetur; Hieronym. vel alius quisquis est ad Rusticum Narbonensem Episcopum, de septem gradibus ecclesiæ: *Si presbyter Christum consecrat, cum in altario Dei sacramenta benedicit, benedicere populo non debet, qui Christum etiam meruit consecrare? can. ecce ego*, 95. *dist.* Presbyteris, inquam, permissum est id genus benedictionis absente scilicet Episcopo; concil. Aurelianens. I. can. 38. *Cum ad celebrandas missas in Dei nomine convenitur, populus non ante discedat, quam missæ solemnitas compleatur, & ubi Episcopus non fuerit, benedictionem accipiat sacerdotis*, *can. cum ad celebrandas, de consecr. dist.* 1. & hæc est benedictio, quæ dicitur presbyteralis; *cap.* 3. *de offic. archipresb.* ubi archipresbyteri urbani est absente præsule, ejus vice officium inchoare, benedictiones presbyterales in ecclesia dare: diaconis vero non licet majorem, aut minorem benedictionem mittere: ἢ εὐλογίαν μικρὰν, ἢ μεγάλην ποιεῖσθαι, ut tradit Clemens Romanus, *constit. apostolic. lib.* 8. *cap. ult.* laicis multo minus, ut refert idem *lib.* 3. *cap.* 10. Monachis sane olei benedictionem facere, & ægris concurrentibus curationis causa oleum benedictum dare moris fuit; Ruffin. de vit. patr. cap. 1. *Non enim permittebat ad se incommodantes deferri, sed benedicens oleum dabat, ex quo peruncti sani fierent, a quacumque infirmitate tenerentur.* Et inferius: *Benedicens tamen oleum dedit ei, quo perunctus æger omnem continuo abundantiam fellis evomuit.* Et Gregor. Turonens. lib. 2. hist. Franc. cap. 37. *Hujus vero brachium beatus confessor* (is erat Maxentius abbas Pictaviensis) *cum oleo benedicto contrectans, imposito signo crucis restituit sanum.* Presbyteris etiam, aliisque inferioribus Episcopo, non licet dare apostolia, id est litteras

teras dimissorias; concil. Aurelianens. II. can. 13. *Abbates, martyrarii, reclusi, vel presbyteri, apostolia dare non praesumant*, Epistolia dixit concil. Turonens. II. can. 6. *Ut nullus clericorum, vel laicorum praeter Episcopum, epistolia facere praesumat*.

C A P. X.

Parochis licet excipere testamenta, & alia ultima suorum parochianorum judicia. Parochi munus est baptizatorum, & nuptias contrahentium, & mortuorum rationem habere. Martyrologium, ecclesiasticus codex, in quo funera, & alia quoque memorabilia fidei causa perscribebantur. Ratio libitinae etiam apud Gentiles.

Clerici in sacris ordinibus constituti tabellionatus officium exercere prohibentur; *cap. sicut te, ne cleric. vel monach. secular. negot. se immisceant*, ubi damnatur Esculanae civitatis consuetudo, in qua presbyteri passim tabellionatus officio fungebantur, ut exponitur *in antiqua decretal.* hoc ita intelligendum est, ne presbyteris liceat passim & promiscue quoad omnes actus & personas tabellionum officium gerere; & haec fuit mens capitular. Carol. M. lib. 1. cap. 158. *Ut nullus presbyter chartas scribat*. Ceterum valet testamentum, quod paroecianus condit coram presbytero suo, & idoneis testibus; *cap. cum esses, de testament.* quod consuetudine introductum favore piae causae, propter legata pia, quae hujusmodi plerumque testamentis continebantur; ut *glossa hoc loco* adnotavit: tamen postea productum est ad quaevis testamenta, ut facultas testandi adjuvetur. Certe constitutionibus regiis presbyteris parochis eorumque vicariis licet excipere testamenta, & alia ultima paroecianorum suorum judicia; nisi quid sibi, vel suis adscribant eo testamento: haec tamen longe abhorrent a jure civili; hoc enim jure expungitur mos ille, qui irrepserat, ut testamenta insinuarentur apud clericos: turpe enim est promiscuis actibus rerum turbari officia; *l. consulta 23. C. de testament. l. repetita 41. C. de Episc. & cleric.* Certe plebanus notarii ecclesiae officio fungitur, ejus munus est baptizatorum, & nuptias contrahentium matriculam seu rationem conficere; *concil. Trident. sess. 24. de reform. matrim. cap. 1.* ejusdem est mortuorum & in ecclesia sua sepultorum rationem habere: & hoc fuit vetustissimum institutum ecclesiae, ne mortuorum memoria extingueretur, piorum solatio destituta; Beda lib. 4. hist. eccles. cap. 14. de Osualdi Regis Nordanhumbrorum interitu: *Quaerant in suis codicibus, in quibus defunctorum est adnotata depositio, & invenient illum hac die raptum esse de saeculo*. Et mox: *credidit ergo verbis pueri presbyter, ac statim egressus requisivit in annali suo, & invenit eadem ipsa die Osualdum Regem fuisse peremptum*. Et hic est codex, quem veteres martyrologium vocarunt, quod testimonii & memoriae mortuorum tuendae causa perscriberetur. Unde, quia erat liber authenticus, usu factum est, ut alia quaeque memorabilia perpetuae fidei causa in eodem codice consignarentur; Ditmarus lib. ult. *Sanctorum reliquias, & munda eorum receptacula, cum aliis utilitatibus plurimis tam in praediis, quam in mancipiis ego acquisivi, & ne te forsitan lateant, martyrologio inscripsi meo*. Et Matth. Paris. ad ann. † 1238. de statutis nigri, seu Benedictini ordinis: *Fecerunt autem quamplures hae in martyrologia scribi; ut saepius in capitulo recitata, sicut solet regula B. Benedicti, audientium cordibus inhaererent*. Apud veteres Romanos funerum ratio habita est, quam rationem libitinae vocat Sueton. in Nerone, cap. 93. *Pestilentia unius anni triginta funerum millia in rationem libitinae venerunt*.

X ij

C A P. XI.

Decimæ & oblationes debentur ecclesiæ parochiali. Cur conc. Vormaciensi provisum, ut cuique ecclesiæ mansus adscriberetur. Mansus quid sit. Mansi alii ingenuiles, alii serviles.

EXPOSITIS his quæ sunt officii & jurisdictionis parochorum, nunc operæ pretium est, ut parochialia jura expendamus. Inter hæc primum locum tenent decimæ & oblationes, hæ communi jure debentur ecclesiæ parœciali, in qua ecclesiastica percipiuntur sacramenta; *cap. ad apostolicæ*, *cap. cum contingat*, *cap. cum in tua*, *de decim. cap. pastoralis*, *de his quæ fi. a prælat. sine consens. capitul. cap. cum inter*, *de verb. signif.* hoc jure parochus habet fundatam intentionem, ut loquuntur forenses, super exactione decimarum intra parochiæ fines absque alio titulo. Unde constitutum, ut si quis decimas vel oblationes extra baptismalem, id est parochialem ecclesiam, dederit, bannum pontificium componat, & communione privetur; *can. statuimus*, 16. *qu.* 1. Adeoque decimæ novalium, ecclesiæ parochiali debentur, non monachis, vel aliis, qui jure peculiari decimas percipiunt; *d. cap. cum contingat*, *d. cap. cum in tua*, *& cap. quoniam*, *eod. tit.* privilegium enim de percipiendis decimis non porrigitur ad novalia; *cap. fane*, *de privileg. cap. super quibusdam*, *de verb. signif. cap.* 2. §. 1. *de decim. in.* 6. Decimæ vero præscriptione in totum tolli non possunt; *cap. causam*, *de præscript.* tamen quota decimarum potest præscribi tempore immemoriali; *gloss. in cap. in aliquibus*, *in fin. de decim.* Guid. Pap. *decis.* 283. *& seq.* Decimæ certe minorum fructuum non debentur in Gallia, nisi ex consuetudine, juxta Philippi Pulchri constitutionem, quæ omne insolitarum decimarum genus compescuit: valere consuetudinem, ut de minutis decimæ non solvantur, probat Covarruv. *lib.* 1. *variar. cap.* 17. Compositio etiam facta super decimis valet, modo facta sit causa cognita & interposita auctoritate Episcopi; *cap. veniens*, *de transact. cap. ex multiplici*, *de decim.* Rebuff. *de decim. qu.* 13. Chopin. *de sacr. polit. lib.* 3. *cap.* 8. Nec omittendum, decimas esse solvendas absque deductione impensarum & tributi; *cap. non est*, *cap. pastoralis*, *cap. tua nobis*, *de decim.* nec non decimas solvi statim ac fructus collecti sunt submonito plebano, ut decimam recipiat; *cap. cum homines*, *eod. tit.* Decimæ igitur jure communi debentur ecclesiæ parochiali: sed quia multis locis ob duritiem plebis ægre solvebantur decimæ, nec habebat parochus unde commode se aleret & sacrum ministerium impleret, provisum est, ut unicuique ecclesiæ ascriberetur mansus integer, liber & solutus omni servitio, præterquam ecclesiastico; concil. Vormaciens. can. 1. *Sancitum est, ut unicuique ecclesiæ unus mansus integer, & absque ullo servitio tribuatur, & presbyteri in eis constituti non de decimis, neque de oblationibus fidelium, non de domibus, neque de areis, vel de hortis juxta ecclesiam positis, neque de prædicto manso aliquod servitium faciant, præter ecclesiasticum*; *cap.* 1. *de censib. can. sancitum*, 23. *qu.* 8. *Capitular. lib.* 1. *cap.* 91. Idem statuit synodus Meldens. can. 63. *Ut secundum canonicam auctoritatem & constitutionem domini imperatoris Ludovici, de agro ecclesiastico & manso, ac mancipiis, quæ ipse suis capitulis constituit, vel si quilibet pro loco sepulturæ aliquid largitus ecclesiæ fuerit, neque de decimis & oblationibus fidelium, cuiquam presbyteros aliquem censum persolvere cogat.* Quem canonem, iisdem verbis ex conc. Parisiensi laudat Gratianus in *can. secundum*, *ead. caus. & quæst.* Mansus dicebatur fundus, seu prædium, hoc est certus modus agri cum casa, ad mansionem cul-

cultoris: mansi alii fuere ingenuiles, id est liberi ab omni censu & servitio; alii serviles, qui censum, vel aliud servitium fisco præstabant; Gregor. lib. 12. epist. † 27. *viginti mansus ingenuos, & totidem serviles*. Et Baldricus Noviomensis lib. 1. chron. Camerac. cap. 1. *Mansi serviles sex, est ibi camba*.

C A P. XII.

Jus funeris seu sepulturæ inter parochialia jura: pro sepultura ne quid exigatur. Olim sepultura intra ecclesiam vetita.

INTER parochialia jura accensetur & jus funeris seu sepulturæ, id est jus condendi corpora mortuorum: mortuus enim de jure sepeliendus est in ecclesia parœciali, in qua dum vixit ecclesiastica sacramenta percepit, nisi alio loco sepulturam elegerit*; cap. 1. de sepultur. cap. 1. eod. tit. in 6.* cuique libera est electio sepulturæ extra parœcialem ecclesiam, exemplo Christi, qui sepulturam elegit in alieno sepulcro*; d. cap. 1.* nempe ut optione alieni tumuli, mortem a se alienam ostenderet; Ambrof. lib. † de virginitat. cap. 3. in fine*: Bene etiam secundum litteram alienum monumentum fuit; quia suum monumentum Dominus non quæsivit. Habeant tumulum qui sub lege sunt mortis: victor mortis suum tumulum non habebat; non enim ille sepulcrum mortis desiderabat, qui de morte trophæa referebat*. Electa sepultura in loco alieno, parœciæ debetur canonica portio mortuariorum, id est relictorum ecclesiæ, in qua defunctus elegit sepulturam, quæ est tertia vel quarta, pro consuetudine regionum*; cap. cum super, cap. certificari, de sepultur. clem. dudum, eod. tit. cap. conquerente, de offic. ordinar. cap. de quarta, de præscript.* & hæc portio ecclesiæ parœciali semper excipitur: unde in privilegiis monasteriorum semper apponi solet clausula, salva justitia ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora adsumuntur*; d. cap. certificari*. Pro sepultura vero, ne quid a plebano exigatur, ne de alieno luctu compendium quæratur: sed si quid ultro offeratur, accipi non vetatur; Gregor. I. *lib. 7. epist. 55. can. questa, 13. qu. 2. Synod. Meldens. can.* 72. Et hoc est quod dicitur in cap. ad apostolicam, de simon. *pro funere mortuorum pravas exactiones prohiberi, sed pias consuetudines non tolli*, id est spontaneas oblationes, quæ & consuetudine commendantur: nimium fœda olim consuetudo inoleverat apud Montempessulanum in Gallia Narbonensi, ut defunctis non prius effoderetur sepultura, quam pro terra, in qua sepeliendi erant, certum ecclesiæ pretium persolveretur, quam damnavit Innocent. III. *cap. abolendæ, de sepultur.* immo & prioribus sæculis male audiere clerici ob turpes nundinas funerum; auctor sermon. ad fratres in eremo, serm. 36. *Numquid missam cantare, numquid baptizare, numquid mortuum sepelire sine pretio, vel promissione dignamini? Nunquid non citius mortem divitum, quam corporis salutem desideratis videre? ecce quomodo lupi estis, ecce quomodo omni simonia infesti estis*. Olim justæ sepulturæ locus non fuit intra ecclesiam, quemadmodum nec apud Ethnicos intra muros urbis, sed corpora passim sepulta in cœmeteriis, vel in atrio seu exhedris ecclesiæ; concil. Brachar. I. can.† 18. *Item placuit, ut corpora defunctorum nullomodo intra basilicam sanctorum sepeliantur: sed si necesse est deforis circa murum basilicæ usque adeo non abhorret. Nam si firmissimum hoc privilegium usque nunc manet civitates, ut nullo modo intra ambitus murorum cujuslibet defuncti corpus humetur, quanto magis hoc venerabilium martyrum debet reverentia obtinere*. Et concil. Vasense apud Gratian. can. præcipiendum, 13. qu. 2. *Prohibendum est etiam, secundum majorum instituta, ut in ecclesia nullatenus sepeliantur, sed in atrio, aut in portico, aut in exhedris*

ecclesiæ : intra ecclesiam vero, & prope altare, ubi corpus & sanguis Domini conficitur, nullatenus sepeliantur. Solis Episcopis, abbatibus, presbyteris, aut fidelibus laicis intra ædes sacras sepulturæ honor impensus; concil. Moguntin. I. can. 52. *Nullus mortuus intra ecclesiam sepeliatur, nisi Episcopi, aut abbates, aut digni presbyteri, vel fideles laici, can. nullus, ead. caus. & qu.* in templo, quod fuit apud Quercum, Constantinopoli, conditus Dioscorus Hermopolis Episcopus; Socrar. *lib. 6. cap.* † 17. Reliquias Gervasii & Prothasii martyrum transtulit Ambrosius Mediolanensis Episcopus in basilicam Faustæ, ubi sepulturam sibi elegerat; testis ipse epist. 85. (al. 22. num 13.) *Hunc ego locum prædestinaveram mihi; dignum est enim, ut ibi requiescat sacerdos, ubi offerre consuevit: sed cedo sacris victimis dexteram portionem; locus iste martyribus debebatur*. Imperatoribus & Patriarchis communis fuit sepultura in æde Apostolorum Constantinopoli; Eusebio *lib. 4. vit. Constantin. cap.* 60. Evagrio *lib. 4. cap.* † 31. Nicephor. *lib. 14. cap.* 58. fidelibus etiam laicis, id est sæcularibus viris religione & pietate insignibus, eodem jure, quo Episcopis & presbyteris patuit sepultura intra ipsas ecclesias, aliis satis consultum ut sepelirentur in aditu vel porticu ecclesiæ. Cum in basilica S. Martini vici Condatensis sepulcrum sibi posuisset Pelagius civis Turonensis, eo effracto & detecto invento, sepultus est in porticu ipsius basilicæ; Gregor. Turon. lib. 8. hist. Franc. cap. 40. *Deposuerat enim sibi sepulcrum in basilica sancti Martini vici Condatensis, quod detectum fui & effractum in frustra reperiunt, sic postea in porticu ipsius basilicæ est sepultus*. Et laicis ipsis dignitatis argumentum fuit sepultura in atrio ecclesiæ; Baldric. Noviomens. lib. 3. cap. 22. *In atrio tamen, quia major erat villulæ, subterratus*. Porro intra ecclesiam mortuus cujuscumque conditionis sit sepeliendus non est sine consensu Episcopi, vel presbyteri seu parœci; synod. Meldensis, can. 72. *Ut nemo quemlibet mortuum, in ecclesia quasi hereditario jure, nisi quem Episcopus, aut presbyter pro qualitate conversationis, & vita dignum duxerit, sepelire præsumat*. Et sepulturas mortuorum, ut unusquisque presbyter disponat sive ordinet, cautum constitutione Riculfi Suessionensis Episcopi, quam Jo. Cordesius edidit inter opera Hincmari, cap. 18. *Sepulturas mortuorum ecclesiastica honestate, & pietate unusquisque presbyter disponat, & ne pro sepeliendis mortuis xenia exquirat.*

C A P. XIII.

Parochus debet habere suum clerum. Quæ minoribus clericis in singulis ecclesiis assignantur beneficiola dicuntur junioratus, ordines. Præstimonium unde dictum.

SINGULIS ecclesiis unus presbyter præest: in eisdem tamen sub ejus præfectura & potestate, ordinandus est certus numerus clericorum, pro dignitate, & facultatibus ecclesiæ, quo sacrum ministerium congrue adimpleatur; *l. in ecclesiis 11. C. de Episc. & cleric. & nov. Justin. 3. cap.* 1. Etiam in minoribus, & tenuioribus ecclesiis unusquisque presbyter, qui plebem regit, clericum velnt coadjuvam sibi adjungere debet, qui secum psalmos concinat, lectionem & epistolam legat, quique possit tenere scholas, ex *concil. Maticen. cap. ut quisque, de vit. & honest. clericor.* in frequentioribus ecclesiis præter presbyterum etiam diaconus ordinandus est, ne locus processionis celebrior ad sacra rite & solemniter peragenda sacerdote indigeat vel ministro; Gelasius ad Celestinum Episcopum: *Pariter etiam & Felicissimum diaconum, in ejus ecclesiæ ministerio, si conversatio ejus patitur, subrogabis, ut locus processionis celeberrimus*

mus ad mysteriorum consecrationem nec sacerdote indigeat, nec ministro, can. presbyteri, 24. *dist.* ubi presbyteri & diaconi in eadem ecclesia ordinati sunt, singuli debent hebdomadam suam obire, id est quisque in ordine suo per hebdomadam ministrare; conc. Tarraconens. I. can. 7. *De diœcesanis ecclesiis, vel clero, id placuit diffiniri, ut presbyteri & diaconi, qui inibi constituti sunt, cum clericis septimanas observent, id est ut presbyter unam faciat hebdomadam, qua expleta succedat diaconus ei similiter*. In luculentioribus etiam ecclesiis, quibus suberant plures capellæ, plures ordinabantur presbyteri, quibus præerat unus e presbyteris; concil. Nannetens. can. 8. *Nullus presbyter plures præsumat habere ecclesias, nisi forte alios presbyteros sub se in unaquaque habeat, qui nocturnum atque diurnum officium solemniter adimpleant, & missarum celebrationes quotidianis expleant cæremoniis*. Singulis vero clericis qui ordinati sunt sub parocho in parœciali ecclesia præstantur certa stipendia, seu portiones, quæ dicuntur junioratus; Ivo Carnotensis epistol. 286. *Super hæc dedimus junioratum ecclesiæ de Pontepedonis*. Sic dicta, quod minoribus clericis præstitarentur, quos ea ætas juniores ecclesiæ vocavit; Gregor. Turonens. lib. 5. hist. cap. 26. *Post hæc Chilpericus Rex de pauperibus & junioribus ecclesiæ, vel basilicæ bannos jussit exigi, pro eo quod in exercitum non ambulassent*. Flodoard. lib. 1. Remens. hist. cap. 18. ex testamento S. Remigii: *Laudunensibus subdiaconibus, lectoribus, ostiariis, & junioribus quatuor solidos derelinquo*: eadem appellantur & ordines, quod minoribus clericis in ecclesia ordinatis ordinationis jure adscriberentur; Alexander II. in epist. ad clerum & plebem Lucensem: *Beneficium ecclesiæ, quod quidam canonicam, vel præbendas, seu etiam ordines vocant, can. ex multis*, 1. *qu.* 3. posteriores passim eadem vocarunt præstimonia, de quibus in cap. quoniam, de concess. præbend. in 6. *Super canonicatibus, dignitatibus, personatibus, præbendis, officiis, portionibus, præstimoniis, ecclesiis parœcialibus ruralibus, & aliis quibuscumque beneficiis ecclesiasticis*. Præstimonia dicta, quod alimentorum præstationem contineant: quo sensu præsteria dicitur & obedientia, quod est regularis beneficii genus; Innocent. III. lib. 2. epist. 227. *Obedientiam, quæ præsteria nuncupatur*.

C A P. XIV.

Matriculariorum officium sacras ædes tueri, vota & oblationes fidelium suscipere, pauperes qui erant in matricula ecclesiæ curare, expositos infantes colligere & alendos tradere, eorundem est fabricæ ecclesiæ præesse.

AD ecclesiæ obsequium adhibentur & fideles laici, qui matricularii appellantur, vulgo *marguilliers*: eorum officium in primis est sacras ædes tueri & custodire, unde matricularios, custodes ecclesiarum interpretatur Vandelbertus diaconus, in vita S. Goaris apud Surium 6. jul. *Custodes, vel matricularii ecclesiæ*: & hi respondent æditius templorum, qui sic dicti, quod sacras ædes tuerentur apud Gentiles; *l.* 1. §. 1. *ff. de tutel. l. cum pater* 77. §. *donationis, ff. de legat.* 2. De his Jul. Firmic. lib. 8. mathes. *Æditüos faciet, templorumque custodes hierodulos, & qui sacris officiis deputantur*. Matricularii sunt æditui & custodes ecclesiarum, unde excubitores eos appellat Adrevaldus Floriacens. de miracul. S. Benedict. cap. 26. *Excubitorum officium sacris templis dicatum, non modo modernis temporibus constat, verum prisca ætate sub beato Moyse a Domino legimus tabernaculo sacrato ex levitarum genere custodum munia subrogata*. Matriculariorum etiam est vota & oblationes suscipere; synod. Antissiodor. can. 3. *Quicumque votum habuerit in ecclesia vigilet, & ma-*

triculæ ipsum votum, aut pauperibus reddat. Ita Clodoveus victis Gothis, cæsoque Alarico Vogladensi in prœlio, equum, quem voverat, si e Gothis victoriam reportaret, voti reus Martino Turonensi obtulit, & voti redimendi causa centum dedit matriculariis ecclesiæ: verum cum equus fixus hæreret, sentiens numinis religionem alia centum adjecit, nec mora sine vi ulla equus recessit; cujus rei casu is lætatus: *Martinus*, inquit, *bonus in auxilio, carus in negotio*; rem narrat abbas Urspergensis in chronic. *Cumque interfecto Alarico reverteretur cum victoria, veniens ad eandem ecclesiam pro solvendo voto dona obtulit plurima: pro equo vero quem ibi dimiserat dedit matricularis ecclesiæ centum solidos, ut eum reciperet*. Idem narrant Sigebertus ad ann. 509. & Otto Frisingens. *lib.* 4. *chronic. cap.* 32. Sed cubicularios vocant, quos Urspergensis matricularios. Eorundem fuit matriculam pauperum curare, & in eorum alimoniam stipes colligere, & coactas erogare; Gregor. Turonens. lib. 1. de mirac. S. Martin. cap. 31. *Cum ad matriculam illam, quam sanctus suo beneficio devotorum eleemosynis pascit, quotidie a fidelibus necessaria tribuantur, consuetudinem benedicti pauperes habent, ut cum multi ex his per loca discesserint, custodem inibi derelinquant, qui quod fuerit oblatum accipiat*. Unde forte custodes isti pauperum, matriculariorum nomen acceperunt, quod curam haberent matriculariorum, id est pauperum, qui in matricula ecclesiæ pascebantur. Hoc sensu matricularii dicuntur pauperes, qui in matricula ecclesiæ inscripti erant. Matriculariorum etiam fuit expositos infantes pro foribus ecclesiæ colligere, & lactandos tradere; quo pertinet vetus formula cap. 11. *Nos quoque in Dei nomine matricularii sancti illius; dum matutinis horis ad ostia ipsius ecclesiæ observanda convenissemus, ibique infantulum sanguinolentum periculo mortis imminentem pannis involutum invenimus, & ipsum per triduum seu amplius apud plures homines inquisivimus quis suum esse diceret, & non invenimus: cui nomen ipsum imposuimus; sed postea pietate interveniente, & Domini misericordia opitulante, ipsum infantulum homini aliquo nomine illo ad nutriendum dedimus*, &c. Signanter huiusmodi apud Treviros matriculariorum officium depingit Vandelbertus in vita Goaris: *Moris quippe tunc Trevirorum erat, ut cum casu qualibet femina infantem peperisset, cujus nollet sciri parentes, aut certe quem præ inopia rei familiaris nequaquam nutrire sufficeret, ortum parvulum in quadam marmorea concha, quæ ad hoc ipsum statuta erat, exponeret*. Et mox: *Si quando igitur id contigisset, custodes vel matricularii ecclesiæ puerum accipientes quærebant in populo si quis forte eum suscipere nutriendum, & pro suo deinceps habere vellet*. Matriculariis etiam incumbit præfectura fabricæ, unde ad eosdem pertinet administratio portionis fabricæ, & eo nomine vulgo operarii appellantur, quod in eorum operis sit curatio fabricæ.

C A P. XV.

Parochi est curare pauperes, in singulis parochialibus ecclesiis fuit matricula pauperum, id nomen tabulæ seu catalogo pauperum, unde pauperes hujusmodi tabulæ inscripti matricularii dicti, pauperes pro foribus ecclesiæ, unaquæque civitas suos pauperes alat.

ETSI matricularii sunt curatores pauperum, tamen presbytero seu parocho maxime incumbit cura pauperum, eademque proprium illorum munus est. Idcirco Atticus Constantinopolitanus Episcopus Nicænæ civitatis pauperes fame laborare sentiens, trecentos aureos in pauperes erogandos misit Calliopio, Nicænæ ecclesiæ presbytero, tamquam proprio rei dispensatori; ut nos docet ejus epi-

epistola apud Socratem, lib. 7. cap. 25. λαβὼν, ὦ φίλη μοι κεφαλή, τούτους τοὺς τριακοσίους χρυσίνους, ἀναλίσκων ὅπως ἂν θελήσῃς: *Accipe, o carissimum caput, istos trecentos aureos, eosque in pauperes impende uti volueris*. In singulis parochialibus ecclesiis fuit matricula pauperum loci, qui sustentabantur sumptu ecclesiæ pro modo facultatum, in eam referebantur dumtaxat pauperes loci, nec alii, quam ægri, & debiles: ne vero xenia, id est munuscula, exigeret presbyter pro receptione pauperum in matriculam, neve cognatos, aut validos in eam cooptaret, aut de infirmis operas exigeret, vetat Hincmarus Remens. epist. 7. cap. 35. *Sed & de matriculariis per singulas ecclesias juxta facultatem & possibilitatem loci curam adhibeant, ne presbyteri pro locis matriculæ xenia accipiant, ne suos parentes sanos & robustos in eadem matricula collocent, nec opera ab ipsis matriculariis exigant, non de matriculariis bubulcos aut porcarios faciant, sed pauperes ac debiles & de eadem villa, de qua decimam accipiunt, matricularios faciant*. Matricula dicebatur tabula, seu descriptio pauperum, qui e penu ecclesiæ diurnam stipem sumebant, unde qui matriculæ inscribebantur matricularii dicti; ut illo loco Hincmari, & apud Gregor. Turonens. lib. 7. cap. 29. *Nonnulli etiam matriculariorum & reliquorum pauperum, pro scelere commisso tectum cellulæ conantur evertere*. Pauperibus in matricula positis singulis diebus stipes erogabatur, pro foribus ecclesiæ, ne debitum eis subsidium subriperetur. In testamento D. Remigii apud Flodoard. lib. 1. Remens. hist. cap. 18. *Pauperibus duodecim in matricula positis ante fores ecclesiæ expectantibus stipem duo solidi, unde reficiantur, inferentur*. Stabant pauperes pro foribus ecclesiæ, ut eorum conspectu fideles provocarentur ad erogandam his stipem; Chrysostom. de divers. utriusq. testam. loc. orat. in decem virgines: οἱ τὰς θύρας τῶν ἐκκλησιῶν παρακαθήμενοι πένητες, *qui ecclesiarum fores obsident pauperes*. Et Moschus in Limonar. cap. 185. **) ὡς δὲ εἰσήγαγεν αὐτὸν εἰς τὸν πρόναον τῆς ἐκκλησίας, ἔδειξεν αὐτῷ τοὺς πτωχούς. *Postquam igitur ipsum detulit in porticum ecclesiæ, ostendit ei pauperes*. In matriculam admittebantur tantum pauperes loci, unde decimæ percipiebantur: quia matriculæ subsidium erat pars decimarum, quæ reservata est sumptui & alimoniæ pauperum; *can. vobis, can. Vulteranæ, 12. qu. 2.* peregrinis pauperibus non erat locus in matricula, quia unaquæque civitas suos pauperes alere debet, & presbyteri simul atque municipes conjunctis officiis suos pauperes pro viribus pascere tenentur, ne his evagandi detur occasio; conc. Turonens. II. can. 5. *Ut unaquæque civitas pauperes & egenos incolas alimentis congruentibus pascat secundum vires, ut tam vicini presbyteri, quam cives omnes suum pauperem pascant, quo fiet ut ipsi pauperes per civitates alias non vagentur*.

C A P. XVI.

Parochi est sacræ ædis constructio, tuitio, & refectio: quale parochianorum onus circa ea. Parochi est etiam ornare ecclesiam ut sponsi sponsam. Sacræ ædes floribus herbulisque ornari pridem solitæ, harum incuria & squallor sequioris ævi nota.

PAROCHI etiam, & alii quotquot decimales fructus percipiunt, tenentur ædificare ecclesiam, collapsamque instaurare, & sartam tectam tueri; *concil. Moguntin. I. can. 42. cap. 1. cap. de his, de eccles. ædificand. concil. Trident. sess. 21. de reform. cap. 7.* constructio & refectio ecclesiarum est onus fructuum, eoque nomine tertia vel quarta decimarum reservatur fabricæ ecclesiæ; *can. decrevimus, 10. qu. 1. can. vobis, can. Vulteranæ, can. quatuor, can. de*

ædificibus, 12. *qu.* 2. Parochianorum onus est conferre operas & vecturas ad ædificandum necessarias. Quod ad cultum & ornatum ecclesiarum, sicut sponsus ornat sponsam suam, ita & parochus tenetur adornare ecclesiam suam; Ambros. lib. 2. offic. cap. 21. *Et maxime sacerdoti hoc convenit ornare Dei templum decore congruo, ut etiam hoc cultu aula Domini resplendeat.* Altaris ornamenta crucis signum, & sacræ imagines; de quibus synod. Turonens. II. can. 3. *Ut corpus Domini in altari, non in imaginario ordine, sed sub crucis titulo componatur.* In cultu sacrarum ædium maxime desiderata munditties: hinc jam olim suave olentibus floribus & herbulis conspersa memorantur templa, & altaria; Hieronym. in epist. ad Heliodor. de morte Nepotiani presbyteri: *Erat ergo solicitus si niteret altare, si parietes absque fuligine, si pavimenta tersa, si janitor creber in porta, vela semper in ostiis, si sacrarium mundum, si vasa lucidenta, & in omnes ceremonias pia solicitudo disposita, non minus, non majus negligebat officium.* Et mox: *Hoc idem possumus & de isto dicere, qui basilicas ecclesiæ, & martyrum conciliabula, diversis floribus & arborum comis, vitiumque pampinis adumbraret, ut quicquid placebat in ecclesia, tam dispositione quam visu presbyteri laborem & studium testaretur.* Et Gregor. Turonens. lib. 7. hist. cap. 12. *Et non solum ipse, sed etiam herbula olim collecta, altarioque locata nequaquam exustæ sunt.* Idemque lib. 1. de miracul. cap. 71. *Accidit autem fortuitu, ut extensa dexteræ manus palma, folium herbæ salviæ, quod pro honore martyrum in crypta conspersum fuerat, operiret.* Sequioris ævi probrum ac labes fuit incuria & squallor sacrarum ædium, quam acri stilo detestatur Petrus de Vineis lib. 1. epist. 37. *Quid ergo aliud superest, nisi ut ecclesias nostras conditas ad Dei & sanctorum suorum honorem funditus diruamus, & in quibus nihil aliud cultus & ornatus remansit quam tintinnabulum, & vetus imago fuligine superinducta? proh dolor! plura loca, quæ olim pro devotione fidelium multis signis & miraculis coruscabant, privatarum personarum supellectilibus jacent plena, sacrataque altaria multo ornatu composita, vix uno nudo linteamine, vel perforata sindone vestiuntur, pavimenta etiam multo studio dudum lota, ut herbarum odorum & florum suavitate compluta, nunc pulvericata sordescunt.* Hodie sane singulari Antistitum studio Gallicanæ ecclesiæ ubique fere antiquo decori restitutæ: sed modo cavendum ne censoriæ locus detur querelæ D. Bernardi, in apolog. ad Willelm. abbat. *Fulget ecclesia in parietibus, & in pauperibus eget.*

CAP. XVII.

Domus presbyteralis juxta ecclesiam, vulgo caminata. Hæc constitutione regia exempta est onere metati militaris. Ex consuetudine parochi nonnullis locis solemne epulum præstant parochianis suis certo die.

QUO jure parochus tenetur residere & ministrare in ecclesia sua, eodem parœciani obligantur ei construere domum juxta ecclesiam, eamque necessaria supellectile adornare; ut colligitur ex concil. Wormac. *can.* 50. *can. sancitum*, 23. *qu.* 8. *cap.* 1. *de censib.* hæc est quæ caminata dicitur, & semper locatur juxta ecclesiam; Helmold. hist. Slav. lib. 1. cap. 14. *in loco qui dicitur Nezama, ubi etiam fuit oratorium, caminata murato opere facta.* Finitis precibus matutinis, diebus solemnibus, ad caminatam, quæ erat conjuncta ecclesiæ, sæpius divertebat ipse Carolus M. testis Sangallensis in ejus vit. cap. 5. *Finitis autem laudibus matutinis; cum Rex ad palatium, vel caminatam dormitoriam calefaciendi, & ornandi se gratia, pro tantæ festivitatis honore rediret.*

diret. Domum presbyteralem hactenus parochus reficere tenetur, ut farcta tecta habeantur, modica enim hujusmodi refectio est onus fructuarii; *l. usufructu*, §. 2. *verf. hactenus*, *ff. de usufruct. l. cum ad quem*, *C. eod.* constitutione Ludovici Justi domus presbyterales solvuntur onere metati, id est hospitii militum, qua jus novum nequaquam institutum, sed antiquum restitutum. Jure civili enim clerici excusantur a metatis, & susceptione hospitum; *l.* 1. & 2. *C. de Episc. & cleric. l. placet*, *C. de sacros. eccles.* & ut in domibus ecclesiarum missi dominici, vel Comites, quasi pro consuetudine placitum, id est conventum juridicum, vel hospitium sibi vindicent, vetat concil. Turonens. III. *can.* 39. Moguntin. *can.* 40. Arelat. VI. *can.* 7. & 10. & synod. Joannis. IX. *cap.* 1. *de immun. eccles.* Hæc tecta subire non dedignati Reges & Imperatores. Ludovicum III. vel Conradum I. venationis studio regia abnoctantem, hospitio excepit Willelmus plebanus in Catzenhusen, a quo aliquid petere jussus, cum nihil aliud petiisset, quam cingulum de corio cervi, quem primum is venatu cepisset; Princeps viri moderationem miratus, episcopatum Monasteriensem ut primum vacavit ei dedit; auctore Alberto Krantzio *lib.* 2. *metropol. cap.* 29. Multis locis ex consuetudine parochus epulas præbere solet parœcianis suis certo die solemni; Gregor. Tur. lib. 7. hist. cap. 29. *Die autem cum nos in villa quasi triginta ab urbe commoraremur ad convivium basilicæ sanctæ, cum eodem & reliquis civibus est ascitus*. Et idem cap. 47. ejusd. libr. *Sicharius Joannis quondam filius, dum ad natalis Dominici solemnia apud Montamotagensem vicum cum Austrigisilo, reliquisque pagensibus celebraret, presbyter loci misit puerum ad aliquorum hominum invitationem, ut ad domum ejus bibendi gratia venire deberent*. Ex consuetudine municipibus suis abbas Cluniacensis certas procurationes, id est solemnes epulas præstare solebat, quas Valterus abbas sustulit; de quo Robertus Montens. in suppl. Sigebert. ad ann. 1180. *Walterius Cluniacensis abbas septies viginti procurationes, quas burgenses ex consuetudine habere solebant ex donis abbatum, penitus delevit*.

CAP. XVIII.

Clericorum statio intra cancellos seu presbyterium, laici extra cancellos. Etiam monachorum ab initio dum erant extra clerum proprius locus extra cancellos, medius inter clerum & plebem. Inter laicos, in ecclesia distincta fuit statio virorum & mulierum, necnon & devotarum virginum. Olim in ecclesia nulla habita ratio dignitatis. Posterioribus seculis senioribus honor tributus in ecclesia.

PARŒCIANORUM, quæ fuerit ratio in consessu ecclesiæ, a proposito nostro haud alienum erit dispungere. Clericis, ut par erat, in ecclesia propria sedes seu statio fuit intra presbyterium, seu intra cancellos, nec laicis patuit aditus vel sessio intra cancellos, nisi communicandi causa; *can. sacerdotum*, *de consecr. dist.* † 2. *cap.* 1. *de vit. & honest. clericor.* laicis, inquam, non licuit sanctuarium ingredi, excepto Imperatore cum Deo dona esset oblaturus; *can.* 69. *Synod. VI.* in Trullo. Monachis (ab initio enim fuere extra clerum) proprius locus fuit in ecclesia parœciali extra cancellos, medius inter clerum & plebem; Dionys. Areopag. epist. 8. ad Demophil. *τοῖς δὲ τετελεσμένοις θεραπευταῖς, αἱ πύλαι τῶν ἀδύτων εἰσὶν ἀφωρισμέναι, καθ' ἃς καὶ τελοῦνται, καὶ παρεδρεύουσιν, οὐ πρὸς φυλακὴν αὐτῶν, ἀλλὰ πρὸς τάξιν καὶ ἐπίγνωσιν ἑαυτῶν, μᾶλλον τῷ λαῷ παρὰ τοὺς ἱερατικοὺς πλησιάζοντες. Iis qui monachi sunt ordinati adytorum portæ segregatæ sunt, juxta quas initiantur, & adstant, non ad custodiam, sed ut or-*

dinem recognoscant suum, sintque ipso populo propinquiores sacerdotibus. Inter laicos ipsos distincta fuit in ecclesia virorum & mulierum statio; auctor constit. apostolic. lib. 2. cap. 57. *καὶ αἱ γυναῖκες κεχωρισμένως, καὶ αὐταὶ καθεζέσθωσαν σιωπὴν ἄγουσαι. Item ut sedeant mulieres separatim, ac cum silentio*. Augustin. de civit. Dei lib. 22. cap. 8. (num. 3.) *Admonetur in somnis appropinquante pascha, ut in parte feminarum observanti ad baptisterium, quaecumque illi baptizata primitus occurrisset, signaret ei locum signo crucis Christi*: adeoque pudori sexus consultum est, feminæ a viris segregatæ tabulati intergerio, & superius fuit tabulatum, in quo mulieres in ecclesia stetere seorsim a viris: hac occasione Joannes Chrysostomus diaconum, mysteriorum tempore mulierem quandam ex iis, quæ desuper solebant despicere, curiosius intuentem gradu amovit, & ut in futurum caveret, jussit velis superiora muniri tabulata, ut refertur in ipsius vita *apud Surium 27. januar.* Ipsis etiam devotis virginibus, quæ domi scilicet virginitatem colebant, locus fuit in ecclesia seorsim a feminis tabulato interjecto dispositus; Ambros. ad virginem lapsam (cap. 6.) *Nonne vel illum locum tabulis separatum, in quo in ecclesia stabas, recordari debuisti, ad quem religiosæ matronæ & nobiles certatim currebant, tua oscula petentes, quæ sanctiores & meliores te erant?* Labente ævo simul ac disciplina, promiscue viri & feminæ consedere in ecclesia: fœdum hunc apud Latinos morem sua ætate notavit Balsamo, in *d. can. 69. synod. Trullens. & can.* 54. *Laodicen.* Melioribus sæculis inter laicos nulla habita est ratio dignitatis, vel natalium, in ecclesiæ consessu, unicuique locus fuit quem fortuito occupasset, in ecclesia Dei eodem jure fuere plebeji & nobiles, servi & domini, divites & pauperes, omnes scilicet æquavit Christus, quos pariter proprio sanguine redemit, nec Deus est acceptor personarum, qui omnes homines eodem luto finxit; Ambros. in Luc. lib. 9. † super cap. 20. num. 29. *Recte igitur vinea Christi populus nominatur, vel quod crucis in fronte prætexatur indicium, vel quod fructus ejus postrema anni legatur ætate, vel quod omnibus ut ordinibus vinearum, ita pauperibus atque divitibus, humilibus atque potentibus, servis ac dominis in ecclesia Dei æqua dimensio, nulla discretio sit*. In ecclesia etiam ipsis magistratibus fortuita fuit sedes in turba; Chrysost. de divers. utriusq. testam. loc. serm. in sanctam parasceven: *καὶ πληροῦμεν ἐκκλησίαν, καὶ ἀλλήλους ὠθοῦμεν, ἱδρῶντες πονοῦντες ἐπὶ μὲν δικαστῶν πολλάκις ἀξιούμενοι προεδρίας ἐπὶ δὲ Ἰησοῦ ἡδέως ἑστῶτες. Et ecclesiam implemus, nosque invicem trudimus sudantes, laborantes, & quidem coram judicibus sæpe in prima sede collocati, coram Jesu vero libenter etiam stantes*. Inde præsides sine fascibus & lictoribus templum inire jussit Julianus Christianæ religionis simia, quod magistratus simul atque templi limen attigit, privati personam subeat; ut ipse edixit in epist. ad Arsacium Pontificem Galat. *ἅμα γὰρ εἰς τὸν οὐδὸν ἦλθε τοῦ τεμένους, καὶ γέγονεν ἰδιώτης. Nam simul ut ingreditur limen delubri, privati personam induit*. Sequioris ævi labe, deficiente veteri disciplina, honorum studio etiam in ecclesia insaniere magistratus, & dynastæ, quos ea ætas seniores vocabat, & pacis publicæ fovendæ causa, suos honores ipsis in ecclesia tribui jussum, consentiente providentia canonum & legum; concil. Wormaciense, can. 58. *Ut Episcopi provideant, quem honorem presbyteri pro ecclesiis suis senioribus tribuant*; Unde iisdem verbis exscriptum est capitulare Caroli M. *lib.* 1. *cap.* 148. Et concil. Troslejan. can. 6. *Presbyteris nostris humilitatis exempla & monita dare debemus, videlicet ut ais, in quorum ditione suæ consistunt ecclesiæ, congruum honorem & obsequium impendant debitum, id est spiritale atque ecclesiasticum, & hoc sine ullo typho, vel contentione, aut rebellione*.

CAP.

C A P. XIX.

Delectus militaris per parochias ducibus presbyteris.

ETSI de sacris parochorum & parochianorum muneribus sermo a nobis dumtaxat institutus sit; non abs re tamen erit publica & civilia erga rempublicam eorumdem officia attingere; cum ecclesia sit in republica, ejusque ope & præsidio secura sit. Jam olim in Gallia, laborante republica, delectus militaris per vicos & parœcias indictus: & sicut Episcopi, ac Comites cum hominibus, id est vassallis suis; ita & presbyteri cum parochianis suis ad militiam vocati. Anno 1119. Rege Ludovico Crasso, Nogione infeliciter commisso prœlio cum Anglis, copiarum instaurandarum gratia consilium id Regi suggestum est ab Amalrico, uno e regio comitatu, ut delectus indiceretur Episcopis, Comitibus, & presbyteris, eorumque parochianis; Ordericus Vitalis lib. 12. ubi Amalricus sic Regem affatur: *Nunc ergo consideratis opibus Galliæ, & immensis viribus collectis, undique insurgens ad reparanda laudis nostræ damna & potentiæ, salubre quod edam consilium accipe: Episcopi, & Comites, aliæque potestates regni tui ad te conveniant, & presbyteri cum omnibus parochianis suis tecum quo jusseris eant, ut communis exercitus communem vindictam super hostes publicos exerceat.* Communem exercitum vocat, quod collectus esset ex plebibus, quas communias appellitant. Hoc genere delectus per plebes, seu communias, sæpius usi Franci pro defensione regni adversus hostes, & eorum exemplum secuti Angli; Matthæus Paris. in Henrico III. ad ann. 1242. *Fecit etiam militare subsidium per provincias sibi subditas, quale solet Francia fundere, edicto regali communiter convocari; & civilium communiarum legiones ad submonitionem regiam alacriter animari.* Militias vocant hodie nostri: hoc genere delectus nuper usæ Germanæ provinciæ Occitania, & Aquitania, feliciter propriis viribus regni limites defensarunt adversus Hispanos irruptionem molientes.

C A P. XX.

Parochiarum fines præscribi non possunt. Parochiales ecclesiæ non cadunt in regaliam. Parochiali beneficio quatenus pensio imponi potest.

SUPERIORIBUS velut corollarii vice addemus nonnulla parochialium ecclesiarum insignia jura, quæ omittenda non videntur. Primum est, quod parochiarum fines præscribi non possunt, si constet de finibus parochiarum, id est si certis hæ limitibus distinctæ sint; *can. quicumque, can. licet in regulis, can. inter memoratos, & seqq. 16. qu. 5. cap. super eo, de paroch.* quod optima ratione constitutum est, ne ecclesiarum termini confundantur; *d. can. quicumque, & d. can. licet.* Secundum est, quod parochiales ecclesiæ non cadunt in regaliam. Vacante sede episcopali Rex Christianissimus passim confert præbendas vacantes in cathedralibus & collegiatis ecclesiis: sed parochiales ecclesiæ hoc jure non teneutur; *gloss. in pragmat. tit. de annat. §. item quod dicta, verb. regalia & ibi Probus*, Rufeus *de regalib. cap. 39. & seq.* Ægid. Magister, *tract. de eod. jure, cap. 5.* Gregor. *syntagm. lib. 17. cap. 8. num. 21.* Etsi enim jus patronatus locum habeat etiam in parœcialibus ecclesiis; *cap. postulasti, de ju-*

re patronat. jus regaliæ ad eas non pertinet; Rex quidem jure regaliæ utitur tamquam patronus omnium ecclesiarum ditionis suæ: sed hoc intelligitur de cathedralibus, & collegiatis ecclesiis, nec spectat ad minores ecclesias. Tertium est, quod parochialibus beneficiis pensio imponi non potest, nisi reditus excedat centum ducatos; *conc. Trident. sess.* 24. *de reform. cap.* 13. Unde in pensione, quæ hujusmodi super beneficiis constituitur, solet apponi clausula, dummodo remaneant centum ducati annuatim liberi pro rectore, id est liberi & soluti ab omni onere & sumptu: quod rectissime constitutum est, ne beneficia, quæ satis laborant sua mole, id est cura animarum, duplici graventur onere: regimen enim animarum, ars artium præstantissima, & longe operosissima, vix aliud onus recipit: sed hæc lex passim luditur, quot beneficia etiam curata non una pensione exhausta, & diruta? ita ut pastor egestate deficiat, nec auditur, si pensionem ad congruum modum redigi postulet, ecclesia evertitur, ut pacti fides servetur, & honesta rerum interpretatione, non honesto, immo fœdissimo quæstui, locus fit. Videant, obsecro, qui ecclesiæ & judiciis præsunt, ut corruptelæ hujuscemodi medeantur. Et hæc de parochiis & parochorum juribus dicta sufficiant.

F I N I S.

